



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Kahle/Austin Foundation

<https://archive.org/details/oratoresatticiet0xviunse>



*R. Gibson
1845*

ORATORES

ATTICI

ET QUOS SIC VOCANT


SOPHISTÆ

OPERA ET STUDIO

GULIELMI STEPHANI DOBSON A.M.

REGIAE SOCIETATIS LITERARUM SOCII

TOMUS DECIMUS SEXTUS




LONDINI

EX CUDIT J. F. DOVE

(APUD QUEM ETIAM VENEUNT)

A. S. MDCCCXXVIII.



D E M O S T H E N I S

ET

ÆSCHINIS

I N T E R P R E T A T I O L A T I N A

L O N D I N I

P R O S T A N T A P U D J . F . D O V E

A . S . M D C C C X X V I I I .

TABULA
EORUM QUÆ CONTINENTUR
IN
TOMO DECIMO SEXTO.

DEMOSTHENES LATINE.

TOM. III.

	Pag.
Adversus Zenothemidem	515
Adversus Apaturium	521
Adversus Phormionem	528
Adversus Lacritum	538
Pro Phormione	548
Adversus Pantænetum	560
Adversus Nausimachum et Xenopithem	571

TOM. IV.

Adversus Bœotum de Nomine	579
Adversus Bœotum de Dote Materna	587
Adversus Spudiam	597
Adversus Phænippum	603
Adversus Macartatum	609
Adversus Leocharem	623
In Stephanum I.	634
In Stephanum II.	649
In Evergum et Mnesibulum	653
In Olympiodorum	669
Adversus Timotheum	679
Adversus Polyclem	690
De Corona Præfecturæ navalis	702
Adversus Callippum	706

TABULA ETC.

	Pag.
Adversus Nicostratum	712
Contra Cononem	718
Adversus Calliclem	727
Adversus Dionysodorum	733
Adversus Eubulidem	741
Contra Theocrinem	754
Contra Neāram	767
Oratio Funebris	789
Oratio Amatoria	795
Exordia Concionum	807
Epistolæ	835

ÆSCHINES LATINE.

Contra Timarchum	4
De male gesta Legatione	37
In Ctesiphontem	70
Epistolæ	123

**DEMOSTHENIS
EXCEPTIONES.**

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS ZENO THEMIDIEM.

MUTUATUS a Demone quodam, Demosthenis cognato, mercator quidam nomine Protus, pecuniam, ea frumentum emit Syraensis; quod Athenas vexit in navi cuius dominus fuit Hegestratus. Hegestratus autem et Zenothemis, adversus quem hæc exceptio scribitur, genere Massilienses, Syracusis tale facinus moliti sunt, ut Orator asserit. Mutuati sunt pecuniam; quam navi non imposuerunt, sed olam Massiliam miserunt, eo consilio ut creditores defraudarent. Cum enim in contractu scriptum esset, si quid navi accidisset, non repetendam esse ab his pecuniam, de submergenda navi deliberarunt. Noctu igitur in navigatione descendit Hegestratus et navigii fundamentum perforat: deprehensus et dum vectores fugit in mare delapsus, statim perit. Zenothemis socius, ut orator ait, Hegestrati, vix Athenas perducta nave incolumi, controversiam de frumento movet, affirmans frumentum Hegestrati esse, illum vero a se pecuniam esse mutuatum. Cum vero uterque cum eo contenderet et Protus et Demon, utriusque mercatoriam diom dixit. Cumque Protum absentem damnasset volentem, ut ait Demosthenes, et cum adversario colludentem, etiam Demonem secundo loco in judicium adducit. Is vero exceptione utens ei actionem, convenire negat, lege nitens quæ mercatoribus actionem det de contractibus qui vel Athenas aliunde vel Athenis alio referantur. Zenothemidi vero secum quicquam esse commercii negat. Ac de exceptione quidem agitur: oratio vero ita instituta est, tanquam controversia recta in forum deducta sit; explicatur enim in ea, Zenothemidis non esse frumentum, sed Proti, cui Demon pecuniam crediderit. Non enim videri vult solo verbo legis uiti, tanquam æquitati cause dissidens: sed ostendit, se etiam rectum judicium non pertimescere, sed ex supervacaneo exceptione quam lex largiatur uti.

DEMOSTHENIS EXCEPTIO ADVERSUS ZENO THEMIDIEM.

1. POSTEAQUAM, Judices, exceptione sum usus de non danda adversario actione, leges primum explicabo, secundum quas exceptionem opposui. Leges jubent, Judices, actiones dari naviculariis et mercatoribus in iis contractibus qui vel Athenas aliunde vel Athenis alio referantur, de quibus extant tabulæ: quod si quis præter hæc litem intendat, non dandam ei esse actionem. Zenothemidi autem nihil fuisse mecum negotii, nullas literas, ipse etiam in accusatione confitetur: sed se naviculario Hegestrato mutuasse. Nos, post ejus in pelago interitum, pro vectura non solvisse dicit; hæc accusatio est. Vos autem ex eadem oratione tum actionem ei non esse dandam cognoscetis, tum universas istius hominis insidias et improbitatem cognoscetis. Vos igitur, Judices, oratos

omnes volo, si quod unquam negotium attente audivistis, ut et hanc causam attente audiatis: cognoscetis enim hominis audaciam et improbitatem haud vulgarem, si modo ego facinora illius vobis, uti spero, exponere potuero.

2. Zenothemis, minister Hegestrati navicularii, quem et ipse in accusatione scripsit, in pelago periisse,—sed quomodo perierit, non adscripsit, ego vero dicam,—tale scelus cum illo excogitavit. Pecuniam et iste et ille Syracusis mutuati sunt. Ac ille quidem ad eos qui isti mutuum dabant, si quis rogabat, dicebat, isti multum in navi esse frumenti: iste, ad eos qui illi, merces atque onus navis illius esse proprium. Cum autem alter navicularius, alter vector esset: non mirum fuit esse credita quæ alter de altero affirmabat. Pecuniam autem acceptam domum Massiliam miserunt neque quicquam in navim intulerunt. Sed quia tabulæ, id quod omnes solent, continebant, si navis mansisset in columis pecuniam esse redditam, in fraudem creditorum, navem submergere statuerunt. Hegestratus igitur, cum a terra bidui aut tridui iter navem abduxisset, noctu in carinam descendit, et fundum navis perforat: iste vero ut totius rei ignarus, supra cum cæteris vectoribus versabatur. Orto strepitu, qui in navi erant sensere, in carina mali quippam geri, atque opitulaturi descendunt. Dèprchensus Hegestratus, ut se pœnas daturum putat, fugit, fugatusque se in mare jacit: et lembum propter noctem non adeptus, suffocatur. Ille igitur sic, uti merebatur, malus male periit, suis ipse insidiis, quas in alios instruxerat, captus atque oppressus. Iste vero socius et adjutor, primum statim in navigio in ipso facinore, tanquam ignarus, sed et ipse etiam perterritus, rectori proræ et nautis suadebat ut in lembum descenderent, navi quam celerrime relicta, quasi nulla esset speranda salus, et navis statim submergenda, ut, quod cogitarant, id conficeretur, navique perdita æs alienum fraudarent. Quo consilio frustratus, et nostrate quodam vectore adversato, et nautis magnas mercedes, si navem conservassent, pollicito, perducta in Cephaleniam nave, deorum ope immortalium in primis, deinde virtute nautarum, rursus cum Massiliensibus Hegestrati civibus agebat ne navigium Athenas perveheretur, dicens et se et merces esse illinc, et tam navicularium, quam creditores esse Massilienses. Quod ubi et ipsum non successit, et Cephaleniorum, magistratus pronunciaverunt navem Athenas, unde solvisset, perducendam: quem nemo omnium huc venire ausurum putaret, post tales insidias taliaque facinora, Athenienses, is tam insigni est impudentia et audacia, ut non modo venerit, sed et nostro frumento sibi vendicato nos insuper in jus vocarit. Quæ causa est igitur, aut qua re fretus et venit et in jus vocavit, ego vobis dicam, Judices, invitius, Jovem optimum maximum testor et omnes deos, sed coactus.

3. Sunt officinæ hominum in Piræo improborum qui conspirarunt, quos neque vos ignorabitis si videatis. Horum unum, postquam iste id agebat ne huc perveheretur navis, inito consilio legatum deligimus, non omnino quidem ignotum illum, sed talem esse ignari: in quo, prope dixerim, æque magnam cladem accepimus atque in eo cum primum in hominum improborum commercium incidimus. Is missus a nobis est, Aristophon nomine, qui et Micallionis negotia instruxit. Ea igitur eum omnia audivimus prævaricatum et isti pollicitatum esse. Denique is dux et auctor est omnium. Quæ iste avide amplexus est. Postquam enim navis interitu frustratus creditoribus pecuniam reddere non potest,—qui enim posset, quam nunquam imposuit?—nostra sibi vendicat, et Hegestrato se pro eo frumento fœnerasse dicit, quod is qui a nobis enavigavit emit. Creditores autem statim initio decepti, cum videant sibi pro pecunia improbum debitorem esse reliquum, et sua se ab istis recuperaturos ne sperandum quidem esse animadvertant, sed deceptis vobis de nostris fortunis ea recepturos non desperent, quem in nos ista mentiri sciunt, ab eo stare sui commodi causa coguntur.

4. Res igitur de qua suffragia feretis, in summa ita gesta est: volo autem testibus eorum quæ dico ad vos adductis in primis, mox et reliqua dicere. Recita ergo mihi testimonia.

TESTIMONIA.

Ut igitur pervenit huc navgium, cum Cephalenii, quanquam isto adversante, pronunciassent, ut eo unde solvisset reduceretur, navem qui in eam mutuarant hic statim tenebant: frumentum autem qui emerat; is nimirum qui pecuniam nobis debebat. Post hæc venit iste et legatum a nobis missum Aristophontem adducens, de frumento litem movit, quod se mutuo dedisse Hegestrato dicceret. Quid ais homo? inquit Protus—nam id nomen crat frumentatori, qui nobis pecuniam debebat—, tun' Hegestrato pecuniam mutuasti, cum quo decepisti cæteros ut mutuam sumeretis? qui quidem tibi sœpe dicebat, perituram iis pecuniam qui credidissent? tu igitur qui illa audires, ipse ei credidisses? Affirmabat homo impudens. Proinde ut maxime vera dicas, subjicit eorum quidam qui aderant, tuus te socius et civis Hegestratus, ut appareat, circumvenit, proptereaque seipsum damnavit capit, et periit. Quin signum etiam vobis dicam, inquit adstantium quidam, unde intelligatis, istum ad omnia illi fuisse adjutorem. Antequam navem perforare cœpissent, mulctam statuunt coram vectoribus iste et Hegestratus scriptis tabulis. Quod, si bona fide dederas, quamobrem ante maleficium caveri tibi volebas? Sin diffidebas, cur non

in terra jus tuum, ut cæteri, persequebaro? Quid multa dicam? Nihil his verbis profieebamus: sed frumentum iste sibi vendicabat. Educerebat eum Protus, et Proti soeius Phertatus: iste vero educise nolebat, seque ab ullo eductum iri palam negabat, nisi ego eduxisse. Post hæc Protus eum et nos ad magistratum Syracusanum provoeabamus. Iis conditionibus, si Protum emisse frumentum, et vectigalia illi esse inscripta, et pretium illum numerasse eonstaret, ut iste improbitatis suæ pœnas daret: sin minus, ut et eontroversum frumentum reciperet, et talentum insuper aeeiperet, nosque ei frumento eederemus. Hæc offerente et polliente illo, nihil profieebamus: sed ea dabatur optio, ut aut istum edueeremus, aut nostras merces eonservatas præsentes amitteremus. Nam Protus testificabatur se edueere, firmare fidem, redire velle in Siciliam. Quod cum ipse vellet, si nos isti frumentum conederemus, id sibi euræ non fore. Atque hæc a me vere dici neque eum nisi a me eduei velle asseruisse, nee quæ ei offerretur de reditu in Siciliam eonditionem aecepisse, et in navigio tabulas confecisse, ut eonstet, reeita testimonia.

TESTIMONIA.

5. Quum igitur nec eduei vellet a Proto, neque ad jus adipisceendum redire in Sieilam, et omnium Hegestrati seelerum fuisse præseius videretur, reliquum erat nobis qui hic contractum feeramus, et frumentum ab eo qui legitime illie emerat receperamus, istum educere. Quid enim aliud faeremus? Neque enim hoe quisquam e nostra societate putabat, vos ei frumentum adjudicatores, quod ipse relinquendum suaserat nautis, ut periret navi demersa. Quod vel maximum signum est, id nihil ad eum attinere. Quis enim suum frumentum descendendum suaderet iis qui id eonservatum vellent? Quis non navigasset aeepta conditione in Siciliam, ubi res liquido probari posset? Atqui nec ita de vobis existimare poteram, fore ut pronunciaretis, isti de his rebus dandam esse actionem, quæ, ne huc pervehementur, ipse multis modis studisset prohibere. Primum suadendo nautis, ut eas relinquenter: deinde, in Cephalenia laborando ne' navis huc veheretur. Quid enim fieri turpius aut iniquius queat, quam, eum Cephalenii pronunciarint, ut Atheniensium merees ineolumes essent, navim huc pervehendam, vos qui sitis Athenienses ea quæ civium sunt iis qui submergere conati sunt tradere? et quæ iste ne hue pervehementur avertere omnino studuit, de iis darec isti actionem? Absit, o Jupiter et dii. Recita mili quid exceperim.

EXCEPTIO.

Recita etiam legem.

LEX.

6. Me igitur secundum leges exceptionem de non danda actione adversario opposuisse, satis opinor est ostensum: artem autem audietis sapientis illius instructoris horum omnium Aristophontis. Ut enim in causa nihil sibi prorsus esse praesidii reliquum videbant, internunciis ad Protum missis, homini persuadent ut prævaricetur sibique causam tradat: quod quidem statim etiam ab initio egerunt, ut nos nunc cognovimus, sed persuadere non potuerunt. Protus enim, dum frumentum huc advectum putabat lucro sibi fore, id retinebat, et præoptabat potius tum ipse lucrari tum id præstare nobis quod æquum esset, quam conspiratione cum istis inita aut eos in lucri portionem admittere, aut facere nobis injuriam: ut vero, cum huc pervenisset et hoc negotio occuparetur, laxata annona est, statim mutavit consilium. Atque etiam—dicitur enim apud vos, Athenienses, veritas—nos creditores eum urgebamus infestis atque inquis animis, quæ et jactura frumenti in nos redundaret, et eum nobis istum calumniatorem pecuniae loco attulisse querebamur. His de causis, cum etiam natura nimirum homo esset non bonus, ad istos se confert, neque cavit quo minus deserto vadimonio condemnetur, tum ab isto vocatus in judicium, cum nondum conspirassent. Nam si Protum iste omisisset, statim animadversum esset eum nobis facere calumniam: damnari se autem coram ille non passus esset, ut aut pactis et conventis illi starent, aut deserti vadimonii actionem in eos retorqueret. Sed quorsum haec? Nam ea si fecit quæ iste in accusatione scribit, non damnandus modo, sed interficiendus etiam jure fuit Protus mea quidem opinione. Nam si in malis et tempestate tantum vini hauserat, ut insano similis videretur, quod supplicium non merebatur? aut si tabulas surripuerat, clamve apruerat?

7. Sed vos haec inter vos quo pacto se habeant transigetis: meæ autem causæ nihil inde admissee. Sive te verbis sive factis læsit Protus, datur tibi actio nimirum: nemo nostrum prohibuit, aut nunc etiam recusat. Si vero illum calumniatus es, parum id curamus, at medius fidius e medio excessit homo: propter vos nimirum, ut et testificationes nostras desereret, et nunc vos quicquid erit libitum, in eum dicatis. Nisi enim propter vos ab eo desertum esset vadimonium, simul eum et citasses et apud Polemarchum sponsione obligasses. Quod si vades tibi dedisset, aut manere cogeretur, aut tu a quibus tibi satisficeret haberet: si non dedisset, in domicilium plebis iret. Nunc communicato negotio, et ipse, quicquid te obstrepente nobis decessit, se redditurum esse nobis non putat: et tu illum accusando nostris te mercibus potiturum.

Cujus rei argumentum illud evidens est. Ego eum citabo : tu nec sponсione obligasti, neque nunc citabis.

8. Præterea spes etiam alia eis est vestri circumveniendi et fal-lendi. Criminabuntur Demosthenem, eoque me fretum dicent eduxisse istum, existimant enim, quia et orator ille sit et celebris, probabile se crimen afferre. Mihi vero, Athenienses, genere sane conjunctus est Demosthenes : atque per omnes vobis adjuro deos, me vera dicturum. Sed cum ad eum accessissem, et ut mihi ades-set opemque ferret, si quid posset, postularem : Ego, Demon, inquit, faciam ut tu jusseris. Nec enim aliud me decuerit. Sed tamen et tui et mei est habenda ratio. Mihi usuvenit ex quo de republica conciones habere cœpi, ut ad nullam unquam privatam causam accesserim : sed in ipsa etiam administratione reipublicæ falia declinarim.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS APATURIUM.

Is qui judicium detrectat, cum privatim commercia cum Apaturio quædam haberet, ea sustulit et transegit: nunc vero propter Parmenontem accusatur et de peccânia appellatur. Nam Parmeno civis fuerat mercatoris Apaturii Byzantins, sed a judicibus actus in exsilium. Ac principio amicitia usus Apaturii, orto dissidio, postea in judicium venit, Apaturio et verberum et dati damni die dicta: qui Parmenontem vicissim accusavit. Apaturi ins igitur Aristocli arbitro rem permissam esse dicit, qui Parmenontem damnarit. Quamobrem eum qui exceptione iudicium deprecatur nunc invadit, quod pro Parmenonte sponderit. Hic vero nihil eorum fatetur; sed negotium tribus primum arbitris esse commissum ait, non nisi Aristocli. Deinde sponsorem Parmenontis in pactis Archippum esse scriptum, atque illa pacta calliditate Apaturii esse abolita, qui Aristocli persuaserit ea asservanti ne afferret in medium, sed diceret puerum tabulas dormientem amisisse: alia præterea pacta non esse scripta, neque rem ad arbitrum delatam, cum primum arbitrium tabularum amissione sublatum fuerit, nec de altero inter eos postea convenerit. Aristoclem autem contra omnia jura, qui jam non esset arbiter, adversus Parmenontem tulisse sententiam, idque cum ob magnam cladem peregre ille abesset et ne arbitraretur vetuisset. His igitur firmamentis reus nititur et exceptione judicium repellit, seque iis quæcum Apaturio fuerint negotiis liberatus, postea nihil cum eo commercii habuisse contendit: in talibus autem rebus non dari legibus actionem.

D E M O S T H E N I S EXCEPTIO ADVERSUS APATURIUM.

I. MERCATORIBUS, Athenienses, et naviculariis jubet lex actionem dari apud sexviros, si qua injuria in mercatu afficiantur, sive hinc alio navigantes sive aliunde huc, et sontibus vincula mulctam statuit, tantisper dum judicatum solvant, ut ne quis temere ullum mercatorem circumveniat: qui vero contractum qui facti non sunt rei fiant, iis exceptionis confugium largifur lex, ne eis calumnia intendatur, iis autem mercatoribus et naviculariis qui revera laeduntur jure experiendi dat potestatem. Ac multi jam actione mercatoria postulati, exceptione ex lege hac opposita ingressi ad vos, accusatores et iniquæ accusationis et factæ per speciem mercaturæ calumniæ convicerunt. Ac vos eum qui his artibus instructus insidias fecit mihiique negotium facessit, progressu orationis, cognoscetis: quum autem Apaturius falso me accuset, et, quicquid cum eo rei mihi fuit, omne sit transactum et sublatum, neque aliud mihi eum

eo commercium intercedat vel nauticum vel terrestre, exceptionem opposui non licere ei agere his legibus.

LEGES.

2. Ac Apaturium contra has leges diem mihi dixisse et falso me accusasse, id ego vobis multifariam ostendam. Ego, Judices, qui longo jam tempore ex mercatura quæstum facio, aliquousque ipse mari me committebam: nondum autem septimus annus abiit cum, navigatione omissa, mediocres opes quas habeo nautis credendo rem facere conor. Quod vero et varia accessi loca et frequens in mercatu versor, cum plurimis eorum qui navigant notus sum; tum Byzantiis valde etiam familiariter utor, ut in ea urbe diutius commoratus. Cum autem ita se res mee, ut dico, haberent, huc profectus est abhinc triennium iste cum civi suo Parmenonte, Byzantio genere, sed exsule: mecumque in mercatu congressi mentionem pecuniæ fecerunt. Debebat enim iste pro nave sua quadraginta minas, et a creditoribus per injuriam ita urgebatur, ut et navem ejus pignerarentur, quod ad diem non solvisset. Aestuanti autem ei et pecuniam non habenti se minas decem pollicetur daturum Parmeno; iste vero me orat ut sibi triginta minas suppeditem, conquerens se a creditoribus qui navem appeterent in mercatu traductum, ut, se eo loci redacto ne pecuniam reddere posset, ipsi nave potirentur. Ac mihi quidem præsens pecunia non erat, sed, cum ab Heraclide mensario quo utebar impetrasset ut ei mutuaret, ipse pro eo spopondi. Triginta porro minis jam numeratis, alienatus erat ab isto Parmeno. Sed quia minas ei decem promiserat, harumque tres dederat, ob hanc quam modo dixi pecuniam reliquum etiam dare cogebatur. Ac ipse hac de causa faceret tabulas nolebat: me vero ita eas confidere jubebat, ut sibi optime caveretur. Ego acceptis septem a Parmenonte minis, et isto, tres illas quas ab illo acceperat antea, coram confessu, emo navem ab eo et mancipia, donec decem minas redderet quas per me acceperat, et triginta quarum me sponsorem mensario constituerat. Ac ut me vera dicere constet, audite testimonia.

TESTIMONIA.

3. Ad hunc modum creditores absolvit Apaturius: non multo post mensa eversa, et Heraclide initio latitante, iste per insidias Athenis ablegare mancipia et portu navem educere instituit. Unde prima cum eo mihi controversia exstitit. Animadversa enim re Parmeno et mancipia quæ abducebantur arripit, et navem eum commovere portu prohibet, et mihi accersito rem narrat. Qua ego

audita, te istum qui talia moliretur hominem summe nefarium esse duxi; et viam quæsivi, qua et ego mensaria sponsione liberarer, et hospes ea quæ per me isti mutuarat non amitteret. Constitutis ergo navis custodibus, mensæ sponsoribus negotium exposui, pignusque tradidi, ac decem minas hospitem habere in nave dixi. His factis, mancipia sponsione obstrinx, ut, si quid deesset, per ea completeretur. Ita ego, deprehensis istius injuriis, mihi et hospiti consului: at iste perinde ac si acciperet, non faceret, injuriam, me incusabat, rogitans an non mihi satis esset sponsione ad mensarium exsolvi, nisi et pro pecunia Parmenontis navem et mancipia sponsione obstringerem, et propter hominem exsulem suas susciperem inimicitias? Ego vero eum qui mihi credidisset eo minus me deserturum asserebam, quod et exsuli et calamitoso fieret per eum injuria. Postquam autem nihil prætermisi et omnes istius inimicitias et odia provocavi, vix redegi argentum, nave quadraginta minis vendita; quanti erat oppignerata. Redditis igitur triginta minis ad mensam et decem minis Parmenonti coram multis testibus, et tabulas sustulimus secundum quas credita erat pecunia, et mutua commercia renunciamus, et invicem missos fecimus, ita ut neque isti mecum, neque mihi cum isto negotii quicquam esset. Ac ut vera me dicere intelligatis, audite testimonia.

TESTIMONIA.

4. Jam posthæc nihil mihi cum isto rei vel magnæ vel parvæ fuit: Parmeno autem istum accusabat tum verberum, quibus ab eo, dum mancipia quæ ablegabantur corriperet, affectus esset, tum impeditæ ab eo quam in Siciliam instituisse navigationis. Instante autem judicio, defert Parmeno jusjurandum isti de quibusdam criminibus: id iste accipit, pactus insuper etiam pecuniam, nisi jusjurandum illud dedisset. Ac ut me vera dicere constet, cape mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Accepto igitur jurejurando, haud ignarus multos sibi si pejerasset fore conscius, ad jurandum præsto non fuit: sed tanquam judicio soluturus jusjurandum, Parmenonti diem dicit. Instante autem eis judicio, adducti ab iis qui aderant, ad compromissum veniunt: et pactio conscripta, unum arbitrum Phocritum, civem suum communiter diligunt, cui unum uterque attribuit, iste Aristoclem *Œensem*, Parmeno me. Itaque inter se paciscuntur, quæ nos tres de communi sententia constituissimus, ea se rata habituros: sin minus, quæ duo decrevissent, ea necessario fore servanda. Hac

pactione facta, sponsores harum rerum inter se dederunt, iste illi Aristoclem, Parmeno isti Archippum Myrrhinusium. Ac pactionem primum apud Phocritum; deinde, cum Phocritus eam alii cui-dam tradi jussisset, apud Aristoclem deponunt. Ac ut vera me dicere constet, audite testimonia.

TESTIMONIA.

5. Depositam igitur fuisse pactionem apud Aristoclem, negoti-umque Phocrito et Aristocli et mihi fuisse commissum, homines rei gnari apud vos testati sunt: rogo autem vos, Judices, ut quæ post acciderunt ex me audiatis. Inde enim, mihi calumniam fieri ab Apaturio, perspicue cognoscetis. Ubi animadvertisit me et Pho-critum consentire, et se a nobis damnatum iri vidit, abolendi com-promissi cupidus, perdere tabulas cum eo per quem asservabantur instituit: et contendere cœpit, arbitrum sibi esse Aristoclem, Pho-critum autem et me non aliud habere auctoritatis, nisi negotii una transigendi. Verba hæc ægre ferens Parmeno, postulabat ut Aristocles tabulas proferret, non procul esse quærendum argumen-tum dictitans, si qua fraus in tabulis commissa esset; quas servus suus scripsisset. Assensus Aristocles se prolatarum pactionem, in conspectum nec hodie protulit: sed ad dictam diem in æde Vulcani nobiscum congressus, prætexebat puerum, dum se is ex-spectaret, amisisse tabulas dormientem. Auctor autem et adjutor istius commenti est, ille e Piræo, medicus Euryxias Aristocli familiaris; qui idem, quod inimicus mihi est, in hoc discrimen me adduxit. Ac, prætendisse Aristoclem amissionem tabularum, e testimonii audietis.

TESTIMONIA.

Jam igitur abolitum erat compromissum, pactione abolita et arbitris repudiatis: aliam autem scribere pactionem cum instituerent, de ea dissenserunt, quod iste ad Aristoclem, Parmeno ad tres illos, quibus initio commissa esset, rem deferri volebat. Cæterum pactione alia non scripta, primaque abolita, eo impudentiæ processit is qui tabulas aboleverat, ut ipse unus se pro arbitrio pronuncia-turum affirmaret. Parmeno autem testibus advocatis, interdixit Aristocli ne contra pactionem sine coarbitris contra se ferret sen-tentiam. Ac, quibus præsentibus vetuerit, audite testimonium.

TESTIMONIUM.

6. Post hæc Parmenontem acerba clades oppressit, Judices: cum enim ut patria pulsus Ophryni habitaret, illo terræmotu qui

accidit in Chersoneso, collapsis aedibus, et uxori ejus et liberi perierunt. Qua ipse calamitate audita, nave consensa hinc abiit: Aristocles autem, cum Parmeno testibus adhibitis vetuisset ne contra se absque coarbitris pronunciaret, homine propter calamitatem hinc profecto, absentem condemnavit. Ac ego quidem et Phocritus in eadem pactione scripti, quoniam iste contenderat non esse sibi nos arbitros, abstinuimus arbitrio: ille autem, cum non modo non concessum, sed interdictum etiam ei esset, nihilominus sententiam tulit. Id quod neque vestrum, neque reliquorum Atheniensium facere quisquam auderet. Quae igitur in abolitione tabularum et in sententia arbitrii Apaturius et arbiter ille designarunt, is cui facta est injuria, si quando redierit in columnis, ulciscetur: postquam autem eo processit impudentiae Apaturius, ut et me in jus vocet, ac criminetur me, quanti damnaretur Parmeno, solutum receperisse, et me sponsorem in tabulis inscriptum esse aiat, ita uti decet tale refutare crimen, primum vobis adducam testes, non me pro Parmenonte spoondisse, sed Archippum Myrrhinusium, post etiam argumentis me defendam, Judiccs.

7. Jam primum omnium ipsum mihi tempus ementitum esse crimen testatur. Compromissum enim ab isto et Parmenonte anno abhinc tertio factum est, et cognitio Aristoclis: sortitiones autem judiciorum mercatoribus semestres sunt a Sextili usque ad Martium, ut jus suum statim adepti navigent. Quod si ego revera sponsor fui Parmenontis, cur primum non statim, facta cognitione, sponsum exigebat? Nec enim scilicet hoc dicere potest, se propter amicitiam nostram molestum esse mihi noluisse: ego enim mille drachmas Parmenontis odiose ab eo exegeram, et cum navem protraheret, clam se subducturus et debito mensario fraudaturus, a me prohibitus fuerat. Proinde, si ego pro Parmenonte fidem meam obstrinxisset, non tertio anno demum, sed tum statim me de sponsose appellasset. At abundabat opibus credo, ut ei etiam post me convenire liceret, tum vero navigando erat occupatus? Imo propter inopiam et bonis suis cesserat, et navem vendiderat. Ac ut maxime impedimenti aliquid ei objectum sit quo minus tum statim in jus me vocaret, quamobrem anno superiore hic versatus, nedum in jus vocare, sed nec appellare me ausus fuit? Atqui conveniebat, si et Parmeno judicio victus ei debebat, et ego sponsonderam, eum ad me testibus adhibitis accedere sponsumque postulare, si non abhinc tertio, superiore saltem anno: ac, si praestitisset, auferre, sin minus, judicio experiri. In talibus enim causis omnes postulare prius, quam in foro contendere, consueverunt. Nemo autem est qui testaturus sit se affuisse, cum iste vel superiore anno vel tertio abhinc aut diem mihi dixerit, aut ullum apud me verbum fecerit,

his de rebus de quibus nunc litigat. Fuisse autem eum hic anno præterito, cum judicia exercecerentur, recitato testimonio cognoscetis.

TESTIMONIUM.

Age legem etiam, quæ sponsiones annuas esse jubet, mihi recita. Neque vero ea lege ita nitor, ut, si spponsoriterim, poenas dare me non oporteat, sed eam ipsam legem non spponsorisse me testimonio mihi esse affirmo: nam ex sponsu egisset mecum tempore hac lege præfinito.

LEX.

8. Sit igitur hoc etiam vobis argumento mentiri Apaturium. Nam si ei pro Parmenonte spponsorissem, non utique istius inimicitias propter illum suscepissem, dum providebam, ne amitteret ea quæ per me isti mutuarat: ipse vero mihi propter illum apud istum sponsione obligato non cavissem. Quid enim spei habere poteram istum mihi parsurum, quem ipse coegeram illi satisfacere? a quo mensariam sponsionem odiose exegeram? Quid ab eo mihi exspectandum arbitrarer?

9. Quin illud etiam considerare, Athenienses, est operæ pretium, si spponsorissem, me nunquam fuisse iturum inficias. Multo enim confitenti mihi et ad pactionem eunti, ex qua factum fuit compromissum, firmior esset defensio. Tribus enim arbitris rem fuisse permisam, testatum vobis est: cum vero a tribus lata sententia non sit, quid neganda sponsione mihi voluisse? Cognitione enim secundum pactionem non facta, nec ego jam sponsione tenebar. Quare nequaquam, Judices, prætermissa vera defensione si spponsorissem, ad inficiandum venissem. Jam illud etiam testatum vobis est, pactione ab istis abolita, aliam istum et Parmenontem conscribere voluisse, quasi irrita essent ea quæ prius inter eos convenerant. Atqui, cum de futura cognitione aliam pactionem conscribere voluerint priore perdita, quo pacto, alia pactione non scripta, vel arbitrium fieri vel sponsio potuit? De hoc ipso enim orta controversia, tabulas alias non fecerunt, isto unum, illo tres arbitros postulante. Postquam autem prima pactio, qua me sponsorem esse factum ait, perii, alia vero scripta non est, quo jure mecum agere potest, contra quem nequit proferre pactionem? At interdixisse Parmenontem Aristechi ne contra se absque coarbitris pronunciaret, testatum vobis est. Quod si constat eundem hominem et pactionem abolesse, ex qua arbitrium fieri conveniebat, et sine arbitris cæteris sententiam se tulisse ipse fatetur, qui convenit, ut illi fide habita me perdat?

10. Illud enim considerate, Athenienses, si non me nunc, sed Parmenontem accusaret Apaturius, minas viginti postulans, Aristoclis cognitione fretus: Parmeno autem sese præsens defenderet apud vos testesque adduceret, tum, non soli se Aristocli sed cum duobus aliis rem commisisse, tum, interdixisse ne se absente pronunciaret, tum, uxore sibi et liberis terræmotu oppressis, seque ad tantam calamitatem domum profecto, eum qui pactionem abolesset contra absentem tanquam deserto vadimonio sententiam tulisse—estne yestrum quisquam, qui Parmenonte in hanc sententiam se defendantे, tanta iniquitate factum arbitrium ratum esse oportere decerneret? Non modo certe controversis omnibus, sed tametsi extaret pactio, si constaret delatum esse ad unum Aristoclem arbitrium, si non vetuisset Parmeno contra se pronunciare, tametsi evenisset, ut ante arbitri sententiam talis homini calamitas objiceretur, quis ita inhumanus est adversarius aut arbiter, qui non usque ad ejus redditum distulisset? Quod si Parmeno, ratione redita, ab omni parte æquiora dicere videretur quam iste, quo jure me damnabis, cui cum isto homine rei prorsus nihil est?

11. Me igitur exceptionem recte opposuisse, Apaturium autem falso me accusasse contraque leges judicium esse adeptum, id vobis, Judices, multis argumentis probatum esse confido. Et quod præcipuum est, quicquam sibi mecum esse commercii, Apaturius nec dicere instituet. Sin per mendacium dicet, me in pactione Parmenontia sponsorem esse inscriptum, pactionem ab eo requirite, et hic ei occurrite, omnes homines, cum tabulas inter se conficiunt, propterea obsignatas apud eos deponere quibus fidem habeant, ut, si qua dissensio exstiterit inter ipsos, ad tabulas reversi, controversiarum explicationem inde petant. Si quis autem tabulis abolebit eludere veritatem verbis studuerit, quid illi fidei est habendum?

12. At fortasse id—quod est omnino factu facillimum injuriarum et calumniarum studiosis—testimonium aliquis ei in me dicet? Eum autem ego testem si de falso testimonio postularo, unde probabit se testari verum? E pactione? Id igitur ne differat, sed mox proferat qui habet. Sin eam tum perisse dicet, unde ego mendacio circumventus argumenta petam? Nam si apud me depositæ essent tabulæ, Apaturio criminari licuisset, me propter sponzionem pactionem abolevisse: sin apud Aristoclem, quamobrem, si absque suo consensu pactio perii, me accusat, cum ei qui accepit illam et non exhibet diem non dicat? Cur eum contra me testem producit qui tabulas abolevit, cui eum irasci conveniebat, nisi communictatis operis fallaciam istam commenti essent? Ego causæ meæ æquitatem defendi, ut potui: vos igitur secundum leges quæ æqua sunt decernite.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS PHORMIONIS EXCEPTIONEM.

PHORMIO mercator, Bosporum uavigaturus, minas a Chrysippo viginuti mutuatur. Quo cum venisset, res ita comparatas offendit ut, quas uehebat merces, non essent vendibiles. Quare naviculario Lampide Athenas redituro, eumque imponere nava ea quæ Chrysippæa pecunia comparasset jubente—sic enim tabulæ continebant—, neque sarcinam ullam, nec argentum imposuit. Sed ad Lampidem dixit præstare in præsentia se ea non posse, sed paulo post alia navi cum pecunia abiturum. Lampidis ergo navis in altum proiecta perit: isque cum paucis lembo evadit, Athenasque reversus, Chrysippo felicitatem Phormionis prædicat, qui et Bospori remansisset, et nihil navi imposuisset. Post Phormio Athenas pervectns, cum argentum ab eo reposceretur, primum, ut ait Chrysippus, et debere se fatetur et redditum pollicetur: deinde quicquam debere negat, ut qui Lampidi dedisset. Quod tabulæ, si quid in mari acciderit navi, se liberent ære alieno. Diem illi Chrysippns dicit. Is exceptionem opponit; et Lampis apud arbitrum testatur, se pecuniam a Phormione Bospori recepisse, et una cum cæteris in naufragio perdidisse. Prius autem contrarium dixerat apud Chrysippum, Phormionem nihil in navem posuisse. Quorum cum Lampis coargueretur, se tum apud se fuisse negat, cum ad Chrysippum illa diceret. His arbiter auditis, nulla sententia lata, negotium in judicium remittit. Ac causa nomen illa quidem habet exceptionis: revera autem recto judicio agitnr. Id quod etiam Orator satis innuit in principio, non omnino esse exceptionem cum dicit se fecisse omnia secundum pacta et conveuta, reddidisse Lampidi pecuniam, id quod tabulæ jubeant, æs alienum tali eventu remitteentes. Hæc enim ejus sunt qui recto judicio contendit et objecta crimina diluit, non illius qui totam controversiam tollit agendique potestatem negat. Exceptionem præterea, inquit, largitur lex de his qui prorsus Athenis non sunt neque Athenas referendi sunt contractibns. Idem autem in hac oratione obseruatum est, quod in oratione contra Neæram, quod non ab una persona est habita: sed illic utriusque discrimen apparct, hic eadem confuse sunt. Mihi vero secundus hinc ordiri videtur. Cum igitur e nobis, Athenienses, sape audivisset Theodotus, atque existimaret Lampidem falsum esse testem. Apparet autem, socios esse eos qui cum Phormione litigant.

DEMOSTHENIS ADVERSUS PHORMIONEM DE MUTUO DATA PECUNIA ORATIO.

1. REM æquam precabimur a vobis, Judices, ut nos cum benevolentia audiatis alternis dicentes, eam ob causam, quod et literarum omnino rudes sumus, et, cum longo jam tempore mercatum vestrum frequentemus et cum multis contrahamus, nunquam in vestrum judicium venimus, vel ipsi accusantes, vel ab aliis accu-

sati. Ac ne nunc quidem, Athenienses, credite nobis, si putaremus fracta navi perisse pecuniam, quam Phormioni mutuavimus, unquam ei diem dixissemus: non ita nos impudentes sumus, aut jacturæ insolentes. Cum vero multi nostram ignaviam reprehenderent, et mercatores in primis cum Phormione illic versati, qui eum sciebant non una cum cæteris pecuniam amisisse in navi, non committendum esse putabamus ut ab isto injuriam fieri nobis patremur.

2. Ac de exceptione quidem, non multis est opus, nam adversarii non omnino negant contractum in vestro mercatu esse factum: sed nihil secum rei nobis jam esse dicunt, quod nihil extra ea quæ tabulis contineantur fecerint. Leges autem, e quarum præscripto vos Judices sèdetis, non ita loquuntur. Sed de contractibus Athenis omnino non factis nec in Atheniensium mercatum referendis præscribere permiserunt: si quis autem factum esse fateatur, seque fecisse quæ convenerint omnia contendat, recta intentionis depulsione se defendere jubent reum, non criminari accusatorem. Ego vero spero me ipsa re ostensurum dandam esse nobis actionem. Considerate, Athenienses, quid isti ipsi fateantur, quid negent: sic enim rem optime intelligetis. Fatentur se et mutuatos pecuniam, et fecisse pactum de mutuo: sed reddidisse aurum Lampidi, famulo Dionis, Bospori aiunt. Nos vero non id ostendemus, non reddidisse eum: sed, ne licuisse quidem reddere. Necesse autem est vobis pauca quæ ab initio acta sunt narrari.

3. Ego, Athenienses, Phormioni mutuavi minas viginti, ultro citroque in Pontum, alio accepto pignore, et syngrapham apud Cittum argentarium deposui. Cum autem syngrapha imponi navi onera pretii quater mille drachmarum jubeat, facinus audet omnium iniquissimum. Statim enim in Piræeo mutuatur insuper clam nobis, a Theodoro Phœnlice drachmas quater mille quingen-tas, a Lampide naviculario mille drachmas. Cumque eum oporteret commercari Athenis onera minis centum quindecim, si præstare creditoribus pacta in syngraphis voluisset, non mercatus est amplius, quam quinques mille quingentis drachmis cum com-meatu; minasque debet septuaginta quinque. Hoc initium fuit, Athenienses, injuriarum: neque enim vel pignus præstitit, vel pecuniam in navem contulit, cum syngrapha cogat in eam conferri. Cape syngrapham.

SYNGRAPHÆ.

Cape et portitorum descriptionem, et testimonia.

DESCRIPTIO. TESTIMONIUM.

4. Profectus Bosporum, quum literas a me haberet, quas ei de-

deram filio meo reddendas illic hybernanti, atque etiam socium quendam per literas certiorem reddidisse tum de argento quod mutuaram tum de pignore, ac mandassem, cum primum essent merces expositae, eas ut excuteret et exploraret—literas a me acceptas non reddidit, ne quicquam eorum illi quæ ipse ageret rescicerent: cum autem calamitoso Bospori statu propter bellum a Parisade cum Scytha gestum, onera quæ vehebat distrahi minime possent, maximo animi æstu conflictabatur, ignarus quo se verteret. Nam creditores qui eo usque duntaxat mutuarant urgebant: adeo ut naviculario jubente emptas mea pecunia merces ex syngrapha imponere, is qui nunc se aurum reddidisse dicit, nummos conferre in navim posse negaret. Distrahi enim minime posse viles merces. Atque eum solvere jubebat: se vero, postquam merces distraxisset, alia nave abitum dicebat. Recita hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

5. Post hæc, Athenienses, isto Bospori relictio, Lampis proiectus in altum, naufragium fecit non procul a mercatu. Completa enim jam navi, ut audimus, ultra quam oportebat, etiam mille coria in tabulatum accepit. Unde contigit, ut navis interiret: ac ipse quidem cum reliquis Dionis servis lembo evasit, corpora autem praeter cætera supra trecenta perdidit. Cum autem, auditio navis interitu, magnus esset Bospori luctus, felicitatem Phormionis prædicabant omnes, qui nec ipse concendisset, nec navi quicquam imposuisset. Idque cum ab aliis tum ab isto dictitabatur. Recita mihi hæc testimonia.

TESTIMONIA.

Ipse igitur Lampis, cui se reddidisse aurum dicit—hoc quæso diligenter attendite—, me eum aggresso, cum primum e naufragio Athenas redisset, et hac de re interrogante, dicebat, istum neque pecuniam ex syngrapha in navem imposuisse, neque se aurum ab isto tum Bospori accepisse. Age lege mihi eorum qui affuerunt testimonium.

TESTIMONIUM.

6. Postquam autem, Athenienses, Phormio alia nave redierat incolumis, accedo ad eum mutuum repetens: atque is ab initio nunquam, Athenienses, istam orationem attulit, qua nunc utitur, sed semper se redditurum promisit. Verum ubi cum his qui nunc ei adsunt et patrocinantur rem communicarat, alias jam erat et non idem. Ut autem sensi me ab eo deludi, ad Lampidem accedo,

Phormionem nihil æqui agere, nec mutuum reddere conquerens, simulque rogo, sciretne ubi esset, ut hominem vocarem in jus. Is vero sequi me jubet, et ad tabernas unguentarias eum deprehendimus. Ego viatoribus adductis diem ei dico. Ibi Lampis, Athenienses, cum adesset me arcessente, nusquam dicere ausus est, se ab isto recepisse aurum, neque quod factum oportuit, Chrysippe *insanis*, inquit, qui istum in jus voces? Mihi enim aurum reddidit. Neque vero Lampis tantum nihil est locutus, sed nec iste ipse quicquam dicere voluit, adstante Lampide, cui nunc se reddidisse aurum dicit. Atqui par erat eum dicere, Athenienses, quid me arcessis, bone vir? reddidi aurum isti qui adstat, et simul confitentem id Lampidem exhibere: nunc neuter eorum quicquam dixit eo temporis articulo. Et me vera dicere uti constet, cape testimonium viatorum.

TESTIMONIUM.

Cape et accusationem, quam in eum anno superiore institui: quæ vel in primis argumento est, nunquam dixisse Phormionem se aurum Lampidi reddidisse.

ACCUSATIO.

Hanc accusationem ego institui, Athenienses, nulla alia re fretus, quam nuncio Lampidis, qui neque merces eum imposuisse, nec aurum numerasse diceret: nec enim putare debetis me ita attonitum esse et prorsus insanum, ut tales, Athenienses, accusationem scriberem, fatente Lampide se aurum recepisse, a quo essem coargendum. Illud etiam, Athenienses, considerate: istos ipsos anno superiore, cum exceptionem opponerent, in ea exceptione scribere non fuisse ausos, se aurum Lampidi reddidisse. Recita mihi eam exceptionem.

EXCEPTIO.

Auditis, Athenienses, nusquam in exceptione scriptum, Phormionem aurum Lampidi reddidisse: præsertim, cum id ego apertis verbis in accusatione quam modo audistis scripsisse, eum nec merces in navem imposuisse, nec reddidisse aurum. Quis igitur vobis *alius* testis exspectandus est, cum tantum testimonium ab istis ipsis habeatis?

7. Cum vero causa jam a judicibus cognoscenda esset, precabantur nos ut ad arbitrum aliquem veniremus. Nos igitur rem per-

misimus Theodoto municipi ex pacto. Tum vero Lampis tutum sibi jam esse ratus testari apud arbitrum quicquid libuisset, partitus meum aurum cum Phormione, prioribus suis verbis dixit contraria. Nam alia res est, Athenienses, in vestros vultus intuentem testari falsum, quam apud arbitrum: apud vos enim et indignatio vehe mens et poena proposita est mentientibus, apud arbitrum autem secure et impudenter pro testimonio mentiuntur quicquid collibitum fuerit. Me vero iniquo animo ferente, Athenienses, et inventante in Lampidis audaciam, et apud arbitrum idem proferente, quod et nunc apud vos profero, testimonium, eorum qui ab initio nobiscum ad eum accesserant, cum se nec aurum ab isto recepisse, neque pecuniam eum in navem imposuisse diceret, ibi Lampis violenter convictus falsi testimonii et improbitatis, se dixisse quidem haec ad istum fatebatur, sed apud se non fuisse cum diceret. Lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Theodotus igitur, Athenienses, saepe nobis auditus, et falsum testari Lampidem arbitratus, de re nihil pronunciavit, sed nos ad vos in judicium remisit. Nam et condemnare noluit, propterea quod Phormioni familiaris est, ut nos postea cognovimus; et absolvere veritus est, ne ipse pejeraret.

8. Agite vero, Judices, ex ipsa re apud vos considerate, unde iste aurum reddere potuisset. Cum enim hinc navigaret, nec pecuniam in navem imposuerat et pignus non habebat, sed ad meam pecuniam plus erat mutuatus: Bosporum autem eo tempore venit, quo vendi merces non potuerunt, vixque illis satisfecit qui tantum eousque ei mutuarant. Et hic quidem mutuatus ei fuit bis mille drachmas ultra citroque, ut Athenis bis mille sexcentas drachmas reciperet: Phormio autem dicit se Lampidi centum et viginti stateres Cyzicenos Bospori reddidisse—hoc animadvertisite—quos mutuatus sit terrestribus usuris. Eas autem fuisse terrestres usuras, ut sexta pars sortis esset numeranda; et Cyzicenum valuisse illic viginti et octo drachmas Atticas. Cognoscendum igitur vobis est, quantum se pecuniæ reddidisse dicat. Nam centum viginti stateres faciunt ter mille trecentas et sexaginta drachmas, usura autem illa terrestris, de qua diximus, triginta minarum et trium et sexaginta drachmarum quingentæ drachmæ et sexaginta: tota autem summa fit tanta et tanta. Vivitne is homo, Judices, aut unquam nasceretur, qui pro bis mille sexcentis drachmis pecuniæ mutuae triginta minas et trecentas drachmas, et usuram quingentas drachmas et sexaginta vellet solvere, quas Phormio se Lampidi reddidisse ait, ter

mille nongentas viginti? Cum ei liceret ultiro citroque creditum Athenis reddere argentum, Bospori redderet, tredecim minis amplius?

9. Itane iis qui illo usque mutuarant vix sortem reddidisti, qui et navigarant tecum et assidue te urgebant: huic vero absenti non modo sortem et usuras reddebas, sed etiam mulctam syngraphæ inscriptam dependebas, nulla cogente necessitate? Illos non verebaris, quibus syngraphæ in Bosporo mutui exactionem dabant: hunc curasse te dicis, quem ab ipso lare, ut aiunt, statim fallebas, non impositis mercibus in navem quod syngrapha jubebat Athenis soluturus? Cum nunc in mercatu, ubi contractus factus est, non dubites fraudare creditorem: Bospori plura te præstissee dicis quam jus postularit, ubi pœnas datus non eras?

10. Cum reliqui omnes qui ultiro mutuantur e mercatibus solventes, multos advocent, testificantes pecuniam periculo creditoris vehi: tu ejus unius testimonio niteris qui est tibi socius injuriarum, nec puerο nostro adhibito qui Bospori agebat, neque socio, neque literis redditis quas ad eos dedimus, quibus continebatur, ut quicquid ageres, observarent? Quid autem, Athenienses, non faceret is, qui acceptas literas non ita ut rectum et æquum est reddidit? Qui ejus malitiam ex istis factis non cognoscere non potestis? Atqui, o dīi immortales! decebat utique tantum auri reddentem, et plus quam creditum fuerat, celebre id in mercatu reddere et omnes homines advocare, in primis autem puerum hujus et socium. Omnes enim profccto nostis, mutuari solere istos coram paucis: cum reddunt, multos adhibere testes, ut boni viri esse in præstandis pactis et conventis videantur. Tibi vero qui et mutuum et utrasque usuras redderes, argento ultiro tantum usus, et alias tredecim minas adjiceres, non multi fuere testes adhibendi? Quo facto, nemo navigantium majore in admiratione fuisse. Tu autem nedum multos fecisti testes, sed, tanquam injuriam faceres, sic omnes homines latere studisti. Quod si mihi, qui mutuo dederam, reddidisses, nihil opus fuisse testibus, sublata enim syngrapha te omni contractu liberasse: nunc haud mihi sed alteri pro me reddidisti, nec Athenis, sed Bospori, cum et syngrapha mihi abs te data Athenis sita esset, et is, cui aurum reddebas, et mortalis et tantum pelagus trajecturus esset, testem adhibuisti neminem, vel servum vel ingenuum.

11. At enim syngrapha, inquit, me naviculario jubebat aurum reddere. Sed eadem te nec testes advocare, nec literas reddere prohibebat. Cum hi duas syngraphas tecum fecerint de contractu, ut qui tibi maxime diffiderent: tu solus soli te naviculario aurum deditis dicis, quamvis scires Athenis contra te repositam esse syn-

grapham cum hoc factam. Dicit, syngrapham jucere navem perducta incolumi se debere pecuniam, etiam in navem imponere temerari: quod nisi feceris, quinque milles drachmas solvere. Tu vero illam syngraphae partem non amplectaris, sed ea statim violata et rebus ab initio non impositis, unum syngraphae verbum cavillaris, idque cum eam ipse sustuleris. Qui cum Bospori te non merces imposuisse, sed aurum naviculario dedisse dicas, quid porro de navi disputas? Neque enim fuisti periculi particeps, cum nihil imposueris.

12. Ac primum, Athenienses, causam hanc arripuit, quasi merces in navem imposuisset: quia vero id mendacium multifariam posse coargui prævidebat, tum inscriptione portitorum Bospori, tum ab iis qui eodem tempore in mercatu fuerant, mutata sententia cum Lampide conspirat eique se aurum reddidisse dicit, eo veluti viatico fretus quod ita fieri syngrapha juberet, fore autem non putans ut nobis argumenta suppeterent ad ea, quæ soli ipsi inter se egissent, coarguenda. Ac Lampis, quæ dixit priusquam ab isto corrumperetur, alienata mente se dixisse; postquam autem meumaurum partitus est, tum apud se fuisse ait, et satis meminisse omnia.

13. Quod si me unum, Judices, Lampis contempsisset, non mirarer: nunc hoc multo atrociora designavit in omnes. Facto enim a Parisade Bospori præconio, si quis vellet Athenas in Atticum mercatum vehere frumentum, ut immunis frumentum eveheret, Lampis tum Bospori agens, exportatione frumenti et immunitate urbis nomine accepta, navem magnam frumento oneratam Acanthum portavit, ibique vendidit, nostra pecunia cum isto communicata. Et haec fecit, Judices, cum Athenis habitet, et hic uxorem et liberos habeat, et leges extremum illi supplicium minitentur, qui Athenis habitans alio quopiam frumentum vexerit, quam in Atticum mercatum. Idque eo tempore, quo qui in urbe habitatis farinas in Odeo demensas accipiebatis: qui in Piræo, quamvis singulos panes obolo distributos, et in longa portico farinas binis modiis demensas acciperent, tamen conculcabantur. Quæ me vere dicere uti constet, cape et testimonium et legem.

TESTIMONIUM. LEX.

14. Phormio igitur, isto utens socio et teste, nos pecunia fraudandos censem, qui perpetuo frumentum in vestrum mercatum veximus, et, cum tres jam difficultates urbem presserint, quibus vos eos qui populi commodis consulerent probaretis, in nulla harum vobis defuimus. Nam cum Alexander Thebas invaderet, vobis

talentum largiti sumus: cum vero annona coarctata esset, et ad sedecim drachmas pervenisset, inventis amplius decies mille tritici medimnis, dimensi vobis sumus usitato pretio singulos medimnos quinque drachmis, et haec omnes nostis cum in Pompeo vobis dimensi simus. Jam anno superiorc ad coemendum populo frumentum talentum vobis contulimus, ego et frater meus. Lege mihi harum rerum testimonia.

TESTIMONIA.

Quod si vel his conjecturis utendum est, non consentaneum fuerit nos tantum pecuniæ largiri ut vos bene de nobis existimaretis, Phormionem autem calumniari voluisse ut ne boni viri quidem de cætero haberemur. Jure igitur nos juvabitis, Judices. Ostendimus enim vobis, nec ab initio onera imposuisse istum in navem omnis pecuniæ quam Athenis mutuatus fuerit, et de mercibus Bospori venditis vix eos qui eo usque duntaxat mutuarant absolvisse; prætereaque nec abundasse nummis nec ita esse væcordem, ut probis mille et sexcentis drachmis triginta minas et novem reddat; ad haec quod se reddidisse aurum Lampidi dicit, nec pucro meo, nec socio tum agente Bospori, adhibito: Lampis ipse priusquam ab isto corrumperetur, sc nihil accepisse, palam pro testimonio dixit. At, si Phormio sic singula demonstrasset, haud video qua se ratione melius tueri potuisset.

15. Jam actionem dandam esse nobis, lex ipsa testatur, quæ jubet actiones dare mercatorias contractuum qui Atheni facti et in Atheniensem mercatum referendi sint, nec eorum qui fiunt Athenis solum, sed eorum etiam qui propterea ut navigetur Athenas. Cape leges.

LEX.

Ac Athenis contractum esse cum Phormione factum nec ipsi eunt inficias, sed præscriptionem afferunt non convenire nobis actionem. In quod vero judicium veniamus, Athenienses, nisi in vestrum, ubi contractus factus est? Iniquum enim fuerit, si causa navigationis Athenas suscipiendæ injuria mihi fieret, licere mihi apud vos experiri cum Phormione: postquam vero contractus in vestro mercatu factus est, negare istos, se in vestro judicio causam dicturos esse. Qui, cum Theodotum arbitrum sumpsimus, fassi sunt convenire adversus se actionem: nunc contrarium dicunt eorum, quæ ipsi prius concesserunt, quasi oporteret se apud Theodotum municipem causam dicere sine præscriptione, postquam vero in Atheni-

ensium forum ingredimur, nulla jam nobis actio convenit. Ego vero cum animo meo reputo, quidnam in exceptionem inscripturus fuerit, si Theodotus de causa pronunciasset, cum nunc, postquam decrevit Theodotus in judicium nobis esse veniendum, convenire nobis actionem apud vos neget, ad quos ille nobis esse abeundum pronunciavit. Iniquissime certe mecum ageretur, cum leges contractuum qui Athenis fiunt actiones dari apud sexviros jubeant; si vos actionem negaretis, qui juraveritis vos secundum leges judicatores. Ac mutuo datæ a nobis pecuniæ et pactio et iste ipse testis est: redditæ autem nemo testis est præter Lampidem injuriæ socium. Ac iste quidem ad illum solum redditionem refert: ego vero et ad Lampidem ipsum et ad eos qui audierunt eum negantem se recepisse aurum. Isti licet meos testes accusare, si eos vera loqui negat: ego vero quid cum illius testibus agam non habeo, qui se scire dicunt testatum esse Lampidem se recepisse aurum. Nam si testimonium Lampidis hic proferretur, ipsi fortassis æquum esse dicent ut in eum agerem: nunc neque id testimonium habeo, et iste sc indemnem essc putat, nullo firmo pignore relicto eorum quæ vos decernere postulat.

16. Quid vero fieri queat absurdius quam vos, cum ipse Phormio se mutuatum esse fateatur, sed reddidisse dicat, id quod iste ipse confitetur facere irritum, id vero quod in controversia est ratum esse decernere? Cum Lampis, quo iste fretus est, testimonium dicat, qui ab initio se recepisse aurum negavit: vos si decernetis id eum recepisse, non futuri estis testes negotii? Iis quæ vere dixit, non utemini pro argumento: quæ vero commentus est deinceps, postquam corruptus fuit, ea credibilia esse existimabitis? Atqui multo justius est, Athenienses, ex his quæ ab initio dicta sunt conjecturam capere potius quam ex iis quæ postea concinnata fuerunt: nam ea non edoctus, sed veritatis studio dicebat, hæc posteriora per mendacium et ad suam utilitatem. Recordamini quæso, Athenienses, nec ipsum Lampidem negasse, quin dixerit, se aurum non recepisse: sed confessum esse quidem se id dixisse, commentum autem tum dixisse cum non apud se esset. Absurdum profecto crit, si ejus testimonium, quatenus fraudatoribus commodo est, ut verum audietur, quatenus vero a fraudatis facit fidem apud vos nullam inveniet. Nequaquam, Judices.

17. Nam vos iidem estis, qui eum, qui e mercatu magnam pecuniam ultra eam quam ab aliis acceperat mutuatus pignora creditoribus non exhibuerat, capite condemnaveritis, delatum apud populum, eumque civem vestrum et patris imperatorii filium. Putabatis enim ab eo genere hominum non solum eos qui in illos incidissent, sed mercatum quoque vestrum lædi. Merito. Quæstus enim et

copiæ mercatorum non ab iis qui mutuo accipiunt, sed ab iis qui mutuo dant proficiscuntur: neque enim vel navis, vel navicularius, vel vector provehi potest, absque mutuo dantium ministerio. Leges igitur eis multa et præclara adjumenta præsto esse voluerunt; quæ vestrum est tueri et improborum petulantiam coercere, ut mercatus quam maximo vobis sit emolumento. Quod ita fiet, si defendetis creditores, eosque a talibus belluis lædi non patiemini. Ego dixi, quæ potui: sed etiam alium quendam ex amicis vocabo, si jussuritis.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS LACRITI EXCEPTIONEM.

ANDROCLES pecuniam matuavit Artemoni, Phaselitæ genere, mercatori; quo mortuo priusquam argentum redderet, idem ab ejus fratre Lacrito rhetore reposcit, duabus rationibus nitens: quod et præsente Lacrito et spondente pecuniam Artemoni mutuarit, et, hæres sit Artemonis Lacritus. Is vero se cedere hæreditatem dicit, et actionem præscriptione repellit, quod sibi cum Androcle nihil rei sit, nec ulla syngrapha: omnino etiam se spopondisse negat; quod si promisisset, non ea se esse improbitate ut solutionem detectaret. Non recte autem quidam orationem hanc adulterinam esse putarunt, obscuris decepti argumentis. Nam dictionis genus remissum non indecorum est causis privatis, Jovem autem regem pro subjectæ personæ consuetudine ab eo esse juratum perspicuum est; præscriptionem porro infirmius refutavit propter causæ imbecillitatem.

DEMOSTHENIS ADVERSUS LACRITI EXCEPTIONEM ORATIO.

1. **Nihil** novi agunt, Judices, Phaselitæ, sed pro more suo. Nam ad mutuo sumendas in mercatu pecunias, sunt omnium exercitatissimi, postquam vero eas acceperunt et syngrapham conferunt nauticam, statim obliviscuntur et syngrapharum et legum, et reddenda esse quæ acceperint non meminerunt: sin reddiderint, de suo se aliquid largitos esse putant, et cum reddendum esset aliquid pro eo cavillationes excogitant et præscriptiones et prætextus, homines omnium mortalium et improbissimi et injustissimi. Cujus rei signum illud est: cum multi et Græci et Barbari vestrum ad mercatum veniant, plures semper sunt Phaselitarum lites quam cæterorum omnium. Hi igitur tales sunt: ego vero, Judices, pecuniam mutuavi Artemoni istius fratri secundum leges mercatorias in Pontum et rursus Athenas; quo defuncto priusquam mihi pecuniam redderet, Lacrito diem dixi iisdem legibus, quibus contraxerām, cum et illius frater sit et bona Artemonis omnia teneat, tum quæ is hic reliquit tum quæ Phaselide habuit, et hæreditatem ceperit bonorum illius omnium; neque vero iste legem ullam proferre potest, quæ permittat habere fraternalis opes, et iis suo arbitratu administratis non solvere æs alienum, et negare nunc, se esse hæredem, sed profiteri se cedere hæreditate. Ac Lacriti talis

est improbitas : ego vero vos oro, Judices, ut me hac de re dicentem æquis animis audiatis; quod si et nobis creditoribus, et vobis nihilominus ab eo fieri injuriam ostendero, juvatote nos ut æquum est.

2. Ego, Judices, minime noram istos homines: sed Thrasymedes Diophanti filius, Sphettii illius, et Melanopus frater ejus, familiares mihi sunt, summaque necessitudine conjuncti. Hi me cum Lacrito convenerunt, undecunque ab isto cogniti—neque enim scio—, precatique sunt ut pecuniam in Pontum istius fratri Artemoni et Apollodoro mutuarem, quo negotiarentur,—cum omnino ignarus esset, Judices, etiam Thrasymedes improbitatis istorum, sed bonos esse viros et non alios quam quales se esse et simulabant et dictabant, atque facturos esse omnia, quæ pollicebatur et recipiebat Lacritus, existimaret: sed plurimum certe fallebatur, neque quicquam norat cum qualibus belluis potius quam hominibus conflictaretur—, ego igitur auctore Thrasymede et fratre ejus, Lacrito recipiente fratres suos facturos quæ æqua essent omnia, mutuavi cum hospite quodam nostro Carystio triginta minas argenti. Quare syngrapham, Judices, a vobis audiri primum velim, qua pecuniam mutuavimus, et testes qui mutuationi interfuerunt: deinde et cætera demonstrabimus, quam perfidiose isti in mutua pecunia egerint. Recita syngrapham: deinde testimonia.

SYNGRAPHÆ.

Mutuarunt Androcles Sphettius et Naucrates Carystius Artemoni et Apollodoro Phaselitis argenti ter mille drachmas Athenis Mendem usque aut Scionem, et inde Bosporum. Quod si volnerint in sinistra ora usque ad Borysthenem et rursus Athenas, ducenis vicenis quinis millenas. Sin post Arcturum solverint e Ponto Templum Argonautarum petituri, trecentis eas ter mille drachmas, vini amphoris Mendæis pignori oppositis ter mille, quod evehetur Menda aut Scione in navi viginti-remorum, quæ est Hyblesii navicularii. Oppignerant autem in vinum, non debentes propterea cuiquam quicquam argenti, neque ad id mutuabuntur; et evehent merces vini pretio coemptas rursus Athenas in eadem navi omnes. Perductis autem Athenas mercibus, reddent debitores creditoribus argentum quantum debetur ex syngrapha, intra vigesimum, ex quo Athenas venerint, diem integrum, excepta jactura si quam vectores de communi decreto fecerint, et si quid hostibus peperuderint, quod ad cætera attinet omnia integrum csto: et exhibebunt pignus creditoribus liberum et immune, donec sortem cum usuris reddiderint ex syngrapha. Nisi autem ad dictum diem solverint, pignora creditoribus oppignerare, et vendere tanti liceat quanti sunt: quod si quid argenti creditoribus ex syngrapha reddendi defuerit, exigere liceat creditoribus ab Apollodoro et Artemone, et omnia eorum bona tam terrestria quam nautica ubique gentium nisi ea fuerint pignerari, perinde ac si judicio victi judicatum non solvissent, tam alteri utri creditorum quam utriusque. Sin nulla jactura facta fuerit, sed, navi decem dies in Hellesponto morata, merces in terram depositæ fuerint, ubi Atheniensibus repræsaliarum jus non esset, ac postea Athenas reversi fuerint, [Sin non onerarint, decemque dies post Caniculam in Hellesponto manserint atque exonerarint, ubi Atheniensibus pignora capere non licet: etiam inde reversi Athenas, Wolf.] usuras reddant anno superiore tabulis inscriptas. Sin quid navi gra-

vius acciderit, in qua vehentur merces, pignora salva sint: quæ superfuerint communia sunt creditoribus: et in his rebus nihil plus valeat hac syngrapha.

TESTES.

Phormio Piræensis, Cephisodotus Bœotius, Heliodorus Pitthensis.

Recita etiam testimonia.

TESTIMONIA.

Archenomides F. Archedamantis Anagyrasius testatur tabulas apud se deposuisse Androclem Sphettium, Naucratem Carystium, Artemonem Apollodorum Phaselitas, et syngrapham adhuc sitam esse apud se.

Recita eorum etiam qui interfuerunt testimonium.

TESTIMONIUM.

Theodotus municeps, Charinus Epicharas Leuconensis, Phormio F. Cephisophontis Piræensis, Cephisodorus Bœotius, testantur se affuisse, cum muluaret Androcles Apollodoro et Artemoni argenti ter mille drachmas, scireque se eos tabulas apud Archenomidem Anagyrasium deposuisse.

3. Ex hac syngrapha, Judices, mutuavi pecuniam Artemoni istius fratri, jubente isto et recipiente omnia quæ æqua essent mihi præstanta esse ex syngrapha qua mutuaram, isto ipso scriptore et obsignatore cum scripta esset. Nam fratres ejus juniores adhuc erant, admodum adolescentuli: iste vero Lacritus Phaselita, magna res, Isocratis discipulus, is erat qui administraret omnia. Et me sibi fidem habere jubebat: se enim mihi præstiturum æqua omnia et Athenas commoraturum, et fratrem suum Artemonem navigaturum accepta illa pecunia. At tum quidem, Judices, cum a nobis pecuniam auferre studeret, et fratrem esse se profitebatur Artemonis et socium et verba mirum in modum diserta fundebat: cum primum autem argentum nactus est, id quidem et partiti sunt et in quos libuit usus distribuerunt, sed ex nautica syngrapha, qua pecuniam acceperant, neque parvum neque magnum quicquam præstiterunt, ut res ipsa indicavit. Lacritus vero eorum omnium interpres fuit. Singulatim autem ostendam nihil eorum quæ syngraphæ inscripta sunt rite eos præstisset.

4. Primum enim scriptum est, mutuari eum a nobis ad vini cados ter mille trigiinta minas, quasi pignus haberent aliarum trigesinta minarum, ut justum vini pretium ad argenti talentum redigeretur, cum impensis quæ ad vini curationem requirebantur: eæ vero ter mille amphoræ vehendæ erant in Pontum navigio viginti-remorum, quæ Hyblesii navicularii esset. Hæc, Judices, in syngrapha quam vos audivistis scripta sunt: at isti pro ter mille amphoris nec quingentas in navem imposuerunt, et, cum vinum decuisset emptum quantum convenerat, ipsi pecunia suo arbitratu sunt usi, terque

mille amphoras neque voluerunt neque cogitarunt imponere in navem ex syngrapha. Et ut me vera dicere constet, cape testimonium eorum qui eadem navi cum eis vecti sunt.

TESTIMONIUM.

Erasicles testatur se gubernasse navem quae Hyblesii eset, et scire Apollodorum vehere vini Mendæi amphoras quadringentas quinquaginta et non plures, alias vero sarcuas nullas vexisse in eo navigio Apollodorum in Pontum. Hippias F. Athenippi Halicarnasseus testatur se una vectum in Hyblesii nave, perlustrasse navem, et cognosse Apollodorum Phaselitanam vebere in navigio Menda in Pontum viui Mendæi amphoras quadringentas quiuquaginta, onus præterea nullum. Præter hos testatus est eadem se audisse ex aliis Archades F. Mnesonidæ Acharnensis, Sostratus F. Philippi Histiaeus, Philiades Ctesii F. Xypeteensis, Dionysius F. Democratidæ Chollides.

De vini igitur numero, quantum eos imponere in navem oportuit, haec egerunt, statim ab eo ipso quod primum scriptum fuit a spicati negligere et non præstare ea quæ scripta sunt.

5. Post hæc, in syngrapha continetur, oppignerare eos hæc libera, cum nemini quicquam debeant, et ad ea mutui accepturos a nemine quicquam. Hæc apertis verbis, Judices, scripta sunt. At isti quid fecerunt? Neglecta syngraphæ scriptura, mutuantur a quodam adolescentे, per fraudem, quasi nemini quicquam deberent; et, cum nobis injuriam fecerunt, clam ad nostra mutuati, tum illum adolescentem creditorem deceperunt, ad merces non liberas mutuati. Talia sunt istorum facinora; sed doli omnes sunt Lacriti. Ut autem vera me dicere, et istum insuper contra syngrapham mutuatum esse constet, testimonium vobis recitabitur ejus qui postea mutuavit. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Aratus Halicarnasseus testatur se mutuasse Apollodoro undecim argenti minas ad merces, quas in Hyblesii nave in Pontum veheret, quasque ibi pro his coemisset; neque scisse se fuisse illum mutnatum ab Androcle argentum. Alioqui se non mutuaturum fuisse Apollodoro argentum.

Fraudes igitur istorum hominum hujusmodi sunt.

6. Scriptum autem est post hæc, Judices, in syngrapha: postquam in Ponto quæ vehant vendiderint, ut alias merces emant navemque onerent eaque onera Athenas pervehant; et, ubi Athenas pervenerint, ut intra vigesimum diem lectum nobis argentum reddant, ante quam autem reddiderint, in nostra potestate esse merces omnes easque immunes ab his præstandas nobis, donec nostrum receperimus. Hæc ita accurate in syngrapha scripta sunt: isti autem, Judices, hic vel in primis insolentiam suam et impudentiam ostenderunt, nec perscripta in syngrapha vel mini-

mum curarunt, sed syngrapham inanes esse nugas atque ineptias putaverunt. Nam nec in Ponto emerunt quicquam, neque in navem contulerunt, Athenas vehendum. Et nos creditores, revertentibus eis c Ponto, non habebamus quod prehenderemus, aut teneremus, tantisper dum nostram pecuniam receperissemus. Nihil enim prorsum in portum isti nostrum invexerunt. Sed nobis inusitatum quippiam accidit, Judices: qui enim in vestra hac urbe nihil peccavimus, nullo ab eis convicti judicio sumus, nostra pecunia ab istis Phaselitis spoliati sumus, quasi vero jus esset Phaselitis repræsaliarum adversus Athenienses. Cum enim, quæ acceperunt, reddere nolint, quod aliud erit hisce rebus nomen tribuendum, quam vi eos eripere aliena? Nam ego quidem audivi nunquam quicquam sceleratus eo scelere, quod in nos isti commiscerunt, idque confitentes se pecuniam accepisse a nobis. Quibus enim de contractibus ambigitur, Judices, hi judicium postulant: quos vero utriusque contrahentium confitentur et de quibus syngraphæ nauticæ exstant, hos consummatos esse omnes, et perscripta in tabulis præstari oportere censem. Jam eos ex syngrapha nihil omnino præstitissc, sed inde ab initio statim auspicatos struxisse fraudes et nihil æqui bonique cogitasse, tum a testibus tum ipsi a sese convincentur adeo manifeste.

7. Quod vero gravissimum est inter Lacriti facinora, id vos audire decet: is enim rebus omnibus præfuit. Postquam huc venerant, ad mercatum vestrum non appellunt, sed in Furum portum se conjiciunt, qui est extra vestri mercatus limites. Estque perinde navem in Furum portu subducere, ac si quis ad Æginam aut ad Megara appelleret: nam ex eo portu proficisci licet, quo lubitum, et quandocunque commodum fuerit. Ac navigium ibi in statione erat dies amplius quinque et viginti: isti vero in nostro Dignite obambulabant, nosque congressi alloquebamur et jubebamus eos curare, ut pecuniam primo quoque tempore reciperemus. Assentiebantur isti et se in eo esse dicebant: nos eos accedebamus, et cum alia speculabamur, tum an aliquid e navi alicunde exponerent, et quinquagesimas solverent. Posteaquam autem isti dies complures affuerant, neque nos quicquam inveniebamus, vel expositum, vel quinquagesimam solutam eorum nomine, ibi demum solutionem acriusurgebamus. Cum vero nos eis instaremus, Lacritus frater Artemonis respondet, se non possc reddere, periisse merces omnes; dicebatque Lacritus se de his justam habere excusationem. Ea verba nos, Judices, graviter ferebamus: sed indignatione nostra nihil proficiebamus, istis omnino eam contemnentibus. Nihilominus tamen percontabamur eos, quo pacto merces periissent. Ibi Lacritus respondebat fractam esse navem dum Panticapæo Theodosiam peteret: fracta autem navi, perisse fratribus suis merces,

quas in navi habuissent; habuisse autem in ea et salsamenta et vinum Coum et alia quædam. Quæ omnia se dicebant illic coempta vecturos fuisse Athenas, nisi in navi periissent. Ac quæ dixerit hæc fuerunt.

8. Operæ pretium autem est audire hominum istorum petulantiam et mendacia. Nam cum nave quæ naufragium fecit nihil erat eis commercii, sed erat aliis qui Athenis mutuarat ad naulum Ponticum et ad navigium: Antipater nomen erat creditor, Cittieus genere, et villum illud Coum octoginta vasa vini fugientis, et salsamenta homini cuidam agricolæ in navi vehebantur Panticapæo Theudosiam in usum operarum rusticarum. Quid igitur istas causas afferunt, quæ minime huc pertinent? Cape testimonium, primum Apollonidæ, ut constet Antipatrum mutuasse ad navem, naufragium vero nihil omnino ad istas pertinere: deinde Erasiclis et Hippiæ, octoginta duntaxat amphoras vectas esse in navi.

TESTIMONIUM.

Apollonides Halicarnasseus testatur se scire Antipatrum, Cittium genere, pecuniam mutuasse in Pontum ad uavem quæ esset Hyblesii, et ad naulum Ponticum: se vero communiter possedisse navem cum Hyblesio, servosque snos una fuissé in navi; et, cum periret navis, affuisse famulos suos, sibique renunciasse, navem perisse vacuam Panticapæo Theudosiam euntem.

Erasicles testatur se navigasse cum Hyblesio, gubernante navem in Pontum; et, cum navis Theudosiam Panticapæo veheretur, scire se navem esse vacuam, et ipsius Apollodori, nunc hoc judicio rei, non fuisse vinum in navi; sed transvectas esse Theudosiano cuidam civi Coas serias circiter octoginta. Hippias Athenippi F. Halicarnasseus testatur se navigasse cum Hyblesio inspectorem navis, quæ cum Panticapæo Theudosiam veheretur, imposuisse Apollodorum in eam lanarum vas unum atque alterum, et salsamentorum vasa undecim aut duodecim, et caprinarum pellium fasciculos duos aut tres, prætereaque nihil. Praeter hos testati sunt ex aliis audiisse se eadem Euphiletus Damotimi F. Aphidnaeus, Hippus Timoxeni F. Thymætades, Sostratus Philippi F. Histæus, Archenomides Stratonis F. Thriasius, Philtades Ctesiclis F. Xypetæon.

Istorum igitur hominum tanta est impudentia: vos autem, Judices, ipsi cogitate cum animis vestris, num quos unquam sciatis aut audieritis e Ponto vinum Athenas negotiandi causa importasse, præsertim Coum. Nam contra potius in Pontum invehitur e locis nobis finitimis, e Peparetho, et Co, et Thasium, et Mendæum, et ex aliis quibusdam oppidis omnis generis: e Ponto autem alia quædam sunt, quæ hic importentur.

9. Cum vero nos eos detineremus et inquireremus, nunquid pecuniæ Ponticæ evasisset, respondit Lacritus iste, centum stateres Cyzicenos evasisse, et id aurum fratrem suum mutuasse in Ponto naviculario cuidam Phaselitæ civi et familiari suo, neque potuisse recuperare, sed fere id quoque periisse. Hæc sunt quæ Lacritus

dixit. Syngrapha autem non ita loquitur, Judices, sed illic coemptas merces Athenas pervehere jubet; nec mutuare istos cui velint nostram pecuniam sine nostra auctoritate, sed nobis Athenas sistere sine omni controversia, donec nos tantum pecuniæ receperimus quantum mutuavimus. Age recita mihi syngrapham denuo.

SYNGRAPHA.

Mutuarunt Androcles Sphettius et Nancrates Carystins Artemoni et Apollodoro Phaselitis argenti ter mille drachmas Athenis Menden nsque ant Scionen, et inde Bospornm. Quod si voluerint in sinistra ora usqne ad Borysthemem et rursus Athenas, ducentis vicenis quinque usuræ millenas. Sin post Arcturum solverint e Ponto Templum Argonantarum petituri, trecentis eas ter mille drachmas, vini amphoris Mendæis pignori oppositis ter mille, quod evehetur Menda aut Scione in navi vingtremorum, quæ est Hyblesii navicularii. Oppignerant autem id vinum, non debentes propterea enicquam quicquam argenti, neqne ad id mutuabnntur; et evehent merces vini pretio coemptas rursns Athenas in eadem navi omnes. Perductis autem Athenas mercibus, reddent debitores creditoribus argentum quantum dehener ex syngrapha, intra vicesimum, ex quo Athenas venerint, diem, integrum, excepta jactura si quam vectores de communi decreto fecerint, et si quid hostibus peperderint, quod ad cætera attinet omnia integrum esto; et exhibebnnt pigns creditoribus liberum et immune, donec sortem cum usuris reddiderint ex syngrapha. Nisi autem ad dictum diem solverint, pignora creditoribus et oppignerare, et vendere tanti liceat quanti sunt; quod si quid argenti creditoribus ex syngrapha reddendi defuerit, exigere liceat creditoribus ab Apollodoro et Artemone, et omnia eorum bona tam terrestria quam nautioa ubique gentim ubi ea fnerint pignorari, perinde ac si judicio victi judicatum non solvissent, tam alteri utri creditorum quam utriqne. Sin non onerarint decemqne dies post caniculam in Hellesponto manserint, atque exonerarint ubi Atheniensibus pignora capere non licet, etiam inde reversi Athenas, nsuras reddit anno superiore tahulis inscriptas. Si qnid navi gravius acciderit, in qua vehentur merces, pignora salva sint: quæ superfuerint, communia sunt creditoribus: et in his rebus nihil plus valeat hac syngrapha.

TESTES.

Phormio Piræensis, Cephisodotus Bœotius, Heliodorus Pitthensis.

10. Utrumne, Judices, istos syngrapha mutuare nostra jubet, homini præsertim, quem nos neque novimus neque vidimus unquam, an coemptas merces Athenas vehere, et nobis in conspectum offerre, et exhibere sine controversia? Enimvero syngrapha nihil his quæ ea continentur plus valere sinit, nec proferri vel legem, vel decretum, vel quicquam aliud in syngraphæ præjudicium: at isti ab initio statim syngrapham hanc nihil curarunt, sed nostra pecunia sic usi sunt quasi fuisset ipsorum propria, adeo isti sunt malefici sophistæ et homines injurii. Ego vero, Jovem optimum maximum testor omnesque deos, nemini unquam invidi aut male dixi, Judices, si sophista esse vellet ac nummos Isocrati pendere: insaniam enim, si quid horum curem. Sed tamen, ita me Jupiter amet,

non decere censeo ut homines superbi, et sapientiae opinione tumidi, alienum appetant, aut eripiant, eloquentia freti: hæc enim sunt improbi sophistæ et male mulctandi. Lacritus autem judicium hoc subiit, Judices, non jure fretus, cum satis sciat quemadmodum in hoc mutuo se gesserint, sed se pro eloquentia sua in mala causa facile orationem inventurum, et eo vos quo ipse voluerit traductum opinatur. Hæc enim pollicetur et se eloquentem esse jactitat, et argentum postulat et discipulos colligit, his ipsis artibus eos eruditum se pollicens. Ac primum fratres suos hoc doctrinæ genere instituit, quam vos sentitis improbam esse et injustam, Judices, ut in vestro mercatu pecuniam nauticam mutuentur, eaque defraudent, nec reddant. Qui possint esse homines improbiores, vel magistro tali, vel talibus discipulis?

11. Quoniam igitur disertus est, et eloquentia fretus ac mille drachmis, quas magistro dedit, jubete eum docere vos, aut eos pecuniam non accepisse a nobis, aut acceptam reddidisse, aut nauticas syngraphas ratas esse non oportere, aut in alium usum convertendas esse pecunias quam in eum ad quem ex syngrapha acceperunt. Horum quocunque voluerit persuadeat vobis, tum egomet quoque assentiar sapientissimum esse eum, si vobis fidem fecerit de contractibus mercatoriis judicantibus: sed satis scio non posse fieri, ut quicquam horum vel probet vel persuadeat.

12. Sed his omissis, agite per deos, Judices, si contrarium accidisset, et non istius frater defunctus pecuniam mihi debuisse, sed ego fratri ejus talentum, aut octoginta minas, aut plus minusve: num putatis Lacritum eadem verba fuisse allaturum, quibus nunc abusus est, aut se haeredem esse negaturum cedentem fratris bonis, et non acerbissime a me exacturum, sicut exegit ab aliis, si quis illi defuncto debuit, vel Phaselide, vel alibi uspiam? Quod si nostrum aliquis, ab isto accusatus, exceptionem opponere esset ausus; de non danda ei actione, satis scio, fuisse eum indignatum et conquesturum apud vos, dictitantem inique secum agi, et violari leges, si quis ei non dandam actionem in contractu mercatorio pronunciasset. Tibi igitur, Lacrite, justum istud esse videtur, mihi vero quamobrem non erit? An non universis nobis eadem leges scriptæ sunt, et idem jus de mercatoriis actionibus? Quemquamne ita vaecordem esse et omnes mortales vincere improbitate, ut persuadere vobis instituat ut decernatis, non dandam esse actionem in causa hac mercatoria, cum vos nunc mercatorias causas disceptetis?

13. Sed quid jubes, o Lacrite? Non satis esse censes nos fraudari pecunia, quam mutuavimus vobis, sed a vobis in vincula conjici, mulcta insuper irrogata, ni solverimus? Quid iniquius, quid indignius, quid vobis turpius fieri queat, Judices, quam eos, qui in

vestro mercatu pecuniam nauticam mutuarint eaque defraudentur a debtoribus et fraudatoribus, in carcerem duci? Hæccine sunt, Lacrite, quæ istis persuadebis? Sed ubi jus adipiscendum est, Judices, de mercatoriis contractibus? Apud quem magistratum? aut quo tempore? Apud undecim viros? At hi grassatores et fures et alios facinorosos capitis reos introducunt. An apud prætorem? At prætori orbarum et pupillorum et parentum cura mandata est. An, ita me amet Jupiter, apud regem sacrificulum? At neque gymnasiorum sumus, neque reum quenquam facimus impietatis. An belli dux nos introducet? Siquidem agatur de patrocinio vel deserto vel non recepto. Proinde restant nobis duces? At triremium præfectos hi curant, et introducunt in judicium: mercatoriam vero causam nullam introduxerint. Ego vero mercator sum, et tu frater es et hæres unius mercatoris, ejus qui mercatorias a nobis pecunias accepit. In quo igitur causa hæc judicio disceptanda est? Doce, Lacrite, modo æqui aliquid dicas, et quod sit legibus consentaneum. Sed nullius hominis tantum est ingenium, qui hisce de rebus æqui aliquid possit dicere.

14. Neque vero his solum, Judices, ego injuriis a Lacrito afficior, sed præter fraudationem pecuniæ, etiam in extrema pericula venissem quantum in isto quidem fuit, nisi mihi syngrapha succurrisset, testataque esset, in eis in Pontum dedisse pecuniam et rursus Athenas. Nostis enim profecto, Judices, legem quam ea severa sit, si quis Atheniensium alio quopiam quam Athenas frumentum vixerit, aut pecuniam mutuarit in alium mercatum quam Atheniensium, quæ pœnæ de his constitutæ sint, quam magnæ et graves. Atque adeo ipsam potius legem eis recita, quo rem certius cognoscant.

LEX.

Argentum autem non līeat ulli Atheniensium aut inquilinorum Athenis degentium, quorum hi sunt auctores, in navem, quæ frumentum Athenas vectura non sit--- et cætera quæ de singulis earum rerum scripta sunt.

Sin aliquis mutuarit eo nomine, et indicari et describi licere argentum apud curatores, quemadmodum de nave et frumento dictum est, pari ratione. Et actio ei ne detur de argento, quod alio quopiam elocarit quam Athenas; neque magistratus ullus de eo referat.

Ac lex quidem, Judices, tam severa est: at isti omnium hominum impurissimi, cum in syngrapha aperte scriptum sit, pecuniam Athenas reportandam, permiserunt pecuniam a nobis Athenis mutuo sumptam in Chium vehi. Nam cum Phaselita navicularius in Ponto a Chio quodam homine pecuniam mutuaretur, Chius autem se daturum negaret, nisi omnia sibi quæ navicularius veheret oppi-

gnerarentur, prioresque creditores in id consentirent, consenserunt ut nostra Chio oppignerarentur isque universis potiretur, itaque solverunt e Ponto cum Phaselita naviculario et cum Chio creditore; et in Furum portum appellunt, in nostro autem mercatu non appulerunt; et nunc, Judices, Athenis mutuo datæ pecuniæ in Pontum et rursum e Ponto Athenas, in Chium ab istis devectæ sunt. Quod igitur orationis initio posui, vobis etiam non minor quam nobis creditoribus fit injuria. Considerate modo, Judices, an non volemini? Cum quis legibus vestris studet esse superior, et syngraphas nauticas irritas facit et abrogat, a nobis accepta pecunia in Chium transmissa, nonne talis homo vos etiam violat? Ac mihi quidem cum istis res est, eis enim pecuniam dedi: ipsi vero cum Phaselita illo naviculario agant cive suo, cui se credidisse pecuniam dicunt absque nostra auctoritate contra syngrapham; nos enim nihil omnino scimus quid ipsi egerint cum cive suo, ipsi quidem id sciunt.

15. Hæc esse æqua putamus, vosque oramus, Judices, ut opitulemini nobis injuriam passis, et puniatis malarum artium et deceptionum qualibus isti utuntur studiosos. Quæ si feceritis, et vobis ipsis utilia decernetis, et improbis hominibus omnes cavillationes eripietis, quibus nunc aliqui contractus nauticos eludunt.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS PRO PHORMIONE.

PASIO mensarius moriens, relictis duobus filiis ex Archippa susceptis, Apollodoro et Pasicle, Phormiouem servum suum, qui prius tamen donatns libertate fuerat, tutorem filii natu minoris Pasiclis reliquit: eique matrem eorum, concubinam suam, dicta dote uxorem dedit. Apollodorus igitur cum fratre patrimonium dividit, mensa excepta, et officina scutorum: has enim cum Phormio a Pasione ad certum quoddam tempus conduxisset. Interim locationis semissem uterque accipiebat: demum et has dividuit; ac officina quidem scutorum Apollodoro, Pasicli autem mensa datur. Sed post matre etiam defuincta, partitus et hujus rem, Phormionem, ut qui multa quæ sua essent teneret, accusat Apollodorus. Cum igitur arbitrium sibi sumpsissent, ut Phormio ait, Apollodori cognati, Nicias et Dinias, et Andromenes, persuaserunt Apollodoro ut, acceptis quinque drachmarni millibus, cum Phormione transigeret. Apollodorus autem post rursus Phormioni diem dixit ἀφορμῆς,—ἀφορμὴν autem Attici dicunt, quod nos ἐνθέντε, hoc est, pecuniam seu sortem mensæ: Phormio vero præsortabit, et legem adducit quæ juhet, quibns de rebus aliquis re transacta semel aliquem missum fecerit, non licere denuo judicium adipisci. Et tamen rectnm etiam judicium attingit Orator, ostendendo mensam non hahuisse pecuniam peculiaarem Pasionis: quod eo fecit, ut præscriptio plus valeret, cum rectam Apollodori actionem iufirmam esse demonstraret.

DEMOSTHENIS

EXCEPTIO

PRO PHORMIONE.

1. IMPERITIAM dicendi, et virium imbecillitatem Phormionis, ipsi omnes videtis, Athenienses: necesse autem habemus nos ejus familiares, quorum consciï sumus, quæque hoc narrante sæpe audivimus, ea referre et exponere vobis, ut re cognita et recte intellecta e nobis, quæ æqua et religiosa fuerint, decernatis. Exceptionem autem opposuimus, non actionis eludendæ moræve interponendæ gratia, sed ut hic, ubi ostenderit se nihil omnino deliquisse, molestia tandem per vos constanter liberetur. Nam quæ apud alios homines firma et rata sunt, extra vestram sententiam, ea Phormio præstitit omnia, et, quanquam multa beneficia in Apollodorum contulit, omnia, quæ relicta isti et commissa sibi fuerant, solvit riteque tradidit, et omnibus deinceps criminibus liberatus fuit, tamen, ut videtis, postquam hunc jam ferre non potest Apollodorus, actione contra eum viginti talentorum instituta, calumniatur. Dabo autem operam ut ab initio omnia quæ huic cum Pasione et Apollodoro

negotia fuerunt, quam potero paucissimis exponam: per quæ, satis scio, et istius calumnia palam fiet, et accusatori non convenire actionem, mox illis auditis cognoscetis. Ac primum vobis pactio recitabitur, qua Pasio huic mensam locavit et officinam scutorum. Cape pactionem, et provocationem, et testimonia hæc.

PACTIO. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

Pactio igitur, qua Pasio huic mensam et officinam scutorum, jam suum agenti negotium locavit, hæc est, Athenienses.

2. Audiendum vero vobis et cognoscendum est, quo pacto undecim talenta Pasio ad mensam debuerit. Neque enim compulsus inopia debuit, sed ex lucri cupiditate. Facultates enim Pasionis terrestres omnino viginti talentum fuerunt, et præter eas argenti sui mutuo dati amplius quinquaginta talenta. In his igitur quinquaginta talentis de mensæ depositis undecim talenta quæstuosa erant. Hic eo mensæ quæstu conducto, cum deposita acciperet et videret, se nondum in civitatem a vobis adscitum, non posse exigere ea, quæ Pasio ad fundos et ædes mutuarat, ipsum Pasionem habere debitorem maluit ejus pecuniæ, quam alios debitores quibus pecuniam credebat: et sic propter hæc inscriptum est in locationem undecim debere talenta Pasionem; id quod etiam e testibus audivisti. Quemadmodum igitur locatio facta sit, eum ipsum qui ad mensam sedet testari audivisti: post hæc quum Pasio in morbum incidisset, considerate quale testamentum fecerit. Cape testamenti exemplum, et provocationem hanc, et testimonia hæc eorum penes quos tabulæ sitæ sunt.

EXEMPLUM TESTAMENTI. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

3. Cum igitur Pasio obiisset hoc testamento facto, Phormio uxorem ejus ex testamento dicit, filium tuetur et curat. Sed isto rapiente ac de communibus pecuniis multum esse consumendum putante, cum animis suis reputantes tutores, si ex testamento iis omnibus, quæ iste de communibus pecuniis insumpsisset demptis, reliqua ex æquo dividunda essent, nihil reliqui futurum, bona quo puero consuleretur dividere statuerunt. Ac cæteras quidem facultates, iis exceptis quæ hic conduixerat, partiuntur; eorumque reddituum semissem isti reddiderunt. Jam ad hoc usque tempus qui agere potest locationis? Non enim nunc, sed tum statim queri et graviter ferre debuit. Neque illud etiam dicere potest, posteriora locationis pretia se non accepisse: nequaquam enim, postquam ad eum modum cum togam virilem sumpsisset Pasicles hic locatione cederet, vos eum omni crimine liberassetis, sed tum e vestigio exe-

gissetis, si quid præterea vobis debuisset. Atque ut hæc vere a me dici constet, et istum cum fratre puero etiamnum divisisse hæreditatem, eosque hunc et locatione et omnibus aliis criminibus liberasse, cape hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

4. Statim igitur, Athenienses, ut huic locationem remiserant, dividunt mensam et scutorum officinam; atque, optione data, officinam mensæ præfert Apollodorus. Quæ si quam privatam pecuniam et sortem habuisset, cur illam quam hanc maluisset? Neque enim proventus erat amplior, sed minor, nam officina talentum, mensa centum minas pendebat; neque fuisse illius possessio jucundior, si mensa pecuniam privatam habuisset, sed non habuit. Quapropter iste prudenter officinam prætulit: nam ea possessio est extra periculum, quæstus autem mensarius redditus habet periculosos de pecuniis alienis. Multa dici et ostendi signa possunt, per quæ appareat, ab isto per calumniam accusari Phormionem. Sed hoc ego maxime omnium argumento esse puto, hunc nullam pecuniam eo nomine accepisse, quod in locatione scriptum est, debere etiam Pasionem ad mensam, non dedisse huic pecuniam. Deinde quod istum nihil in herciscunda familia questum esse constat. Postremo, quod eum eadem hæc aliis locantem, tantidem locasse liquet, pecunia de suo nulla conducenti suppeditata: quod si ab hoc pecunia ei a patre data fraudaretur, ipsum nunc conveniebat aliunde uspiam comparatam dedisse. Hæc ut a me vere dici appareat, et postea Xenoni, Euphræo, Euphroni et Callistrato locasse, et ne his quidem de suo quicquam suppeditasse, sed deposita, et quæstum inde redeuntem eos conduxisse, et istum officinam elegisse, uti constet, cape mihi horum testimonium.

TESTIMONIUM.

E testibus igitur audivistis, Athenienses, eos et his locasse neque de suo quicquam suppeditasse, eosque manu misisse quasi magnis affecti ab eis essent beneficiis, neque in jus vocasse vel illos tum vel hunc.

5. Ac dum mater vixit, quæ omnia satis norat, nihil unquam de Phormione questus est Apollodorus: ut autem illa obierat, trium millium drachmarum actione instituta, supra illas bis mille quas ipsa istius liberis dederat, et tuniculam quandam et ancillam, calumniabatur. Ac ne ibi quidem eorum quicquam, de quibus nunc accusat, dixisse comperietur: sed re et uxoris suæ patri et affini suo et Lysino et Andromeni permissa, cum illi persuasissent Phormioni ut dono daret isti tria millia cum accessione et ami-

cum habere istum quam propterea inimicus esse mallet, acceptis in universum quinques mille drachmis, cum hunc omni crimine liberaverit, secundum in Minervæ ædem ingressus, rursum, ut videtis, item movet, omnibus querelis concinnatis et criminibus ab omni superiore tempore coacervatis, iis etiam—quod est omnium maximum—, quæ illi nunquam objecerat. Ut igitur hæc a me vere dici constet, cape cognitionem in arce factam, et testimonium eorum qui affuerunt, cum Apollodorus, pecuniam accipiens, Phormionem omnibus criminibus liberaret.

COGNITIO. TESTIMONIUM.

Auditis cognitionem, Judices, a Dinia factam, cuius iste filiam habet, et a Nicia cui soror uxoris ejus nupta est. His igitur acceptis transactisque rebus omnibus, tanquam aut hi omnes mortui essent aut verum in lucem proferri non posset, actione tot talentum instituta, in judicium venire audet.

6. Ac quæ Phormioni cum Apollodoro negotia intercesserunt quæque facta sunt ab initio audivistis omnia, Athenienses: arbitror autem Apollodorum quod æqui dicere nihil possit de actione sua, allaturum esse ea, quæ et apud arbitrum dixit, matri ab hoc persuasum ut tabulas aboleret, quibus perditis non habere se quo pacto eam rem oporteat liquido coargui. De his igitur et hoc crimine videte quæso, quantis argumentis convinci mendacii queat. Primum, Athenienses, quisnam patrimonium divideret, non acceptis tabulis unde quantum relictum esset cognosceret? Nemo sane omnium: at duodeviginti anni sunt cum divisisti, neque ostendere poteris unquam esse te conquestum de tabulis. Deinde, quis non, cum Pasicles vir factus gestæ tutelæ rationes reposceret, si per se criminari matrem de abolitis tabulis non esset ausus, ei id indicasset, ut per eum res palam fieret? Denique, quibus e tabulis judicia dictabas? Iste enim, multis civium in jus vocatis, magnam pecuniam exegit, scribens in actionibus, *damnum mihi dedit ille non reddendo argento*, quod debere eum pater mihi reliquit in tabulis: at, si abolitæ fuerunt tabulæ, quibus e tabulis judicia dictabas? Sed hæc a me vere dici, tum e facta divisione, tum e testimoniis audivistis: actionum autem illarum vobis testimonia recitabuntur. Cape testimonia.

TESTIMONIA.

In his igitur actionibus recepisse se paternas tabulas testatur:

neque enim se calumniatorem egisse profecto, aut ea postulasse in judicio, quæ non deberentur, fateatur.

7. Quanquam autem magna et multa judicia sunt e quibus appareat Phormionem omni vacare culpa, illud tamen omnium esse maximum, arbitror, Athenienses, quod Pasicles Apollodori frater eum neque in jus vocavit, neque quicquam aliud ex iis, quæ iste objicit, queritur. Quis autem credat, eum non fecisse injuriam illi, qui puer a patre esset relictus, et cujus facultates in sua manu haberet tutor institutus: tibi autem qui vir relictus es, quatuor et viginti natus annos, et, si qua tibi facta fuissest injuria, facile ultro statim, fecisse? Non vera sunt hæc. Ut igitur hæc vere dici, ac nihil queri Pasiclem constet, cape illius testimonium.

TESTIMONIUM.

8. Quæ igitur in neganda actione vobis consideranda sunt, hæc de iis quæ diximus in memoriam revocate. Nos, Athenienses, putatis rationibus transactaque locatione mensæ et officinæ, atque interposito arbitrio et re denuo transactâ, nec permittentibus legibus, earum rerum quas semel transegeris, judicium adipisci, calumniantem isto et contra leges litem intende, præscripsimus non demandam ei esse actionem. Ut igitur sciatis, quæ de re sententiâ laturi sitis, et lex hæc vobis legetur, et eorum deinde testimonia qui affuerunt, cum locationis et cæterorum criminum omnium Phormionem Apollodorus absolveret. Cape testimonia hæc, et legem.

TESTIMONIA. LEX.

Auditis edicere legem, Athenienses, tum cætera, quorum actio non detur, tum eorum quæ quis remiserit aut transegerit? Merito: nam si justum est, quibus de rebus semel judicium factum fuerit, eas non licere denuo revocare in jus, multo justius est de his quæ decisa sunt non dare actionem. Quod qui apud vos succubuit dicere fortasse queat, vos fuisse deceptos: qui vero se ipse palam condemnavit, qui missum fecit, qui transegit, quidnam de semet- ipso queri aut quam causam afferre possit, cur jure denuo experriatur? Nullam nimirum. Quamobrem legis hujus auctor, quæ definitur quarum rerum experiri non liceat, prima hæc scripsit, quæ quis remisit aut transegit. Quæ utraque ab isto facta sunt, nam et remisit et transegit. Me autem vera dicere, testimoniis probatum est, Athenienses.

9. Cape et legem de præfinito tempore.

LEX.

Lex quidem Athenienses, ita perspicue finivit tempus: Apollodorus autem, annis elapsis amplius viginti, pluris a vobis aestimari vult calumniam suam quam leges, secundum quas jurati pronunciatis. Decet autem vos, Athenienses, cum omnibus parere legibus, tum huic in primis, quam Solon mea quidem opinione haud aliam ob causam tulit, nisi ut ne vos deciperemini. Nam et si cui facta esset injuria satis esse putavit quinquennium ad exigendum, et mentientes ipso tempore evidentissime posse redargui: simul etiam, postquam non posse fieri videt ut et contrahentes et testes perpetuo vivant, in eorum locum hanc legem suffecit, ut his quae dicta fuerunt testis esset aequitatis.

10. Miror equidem, Judices, quænam ea sint quæ ad hæc respondere instituet Apollodorus: non enim id putat, scilicet vos, qui eum nullis fraudatum pecuniis videatis, ægre laturos, quod matrem ejus Phormio duxerit uxorem. Neque enim hoc ignorat, neque vel eum præterit vel plerosque vestrum, Socratem mensarium illum, a dominis libertate donatum, ut istius patrem, dedisse Satyro uxorem suam, qui servitutem aliquando apud ipsum servisset. Alium Sosiclem qui argentariam factitarit dedisse uxorem suam Timodemo, qui etiam nunc in vivis est, et ejus aliquando servus fuit. Neque vero id homines huic quæstui dediti hic duntaxat faciunt, Athenienses, sed et in Ægina dedit Strymodorus Hermæo servo suo uxorem, eaque defuncta, rursus ei dedit filiam suam. Multi hujus generis commemorari possent. Merito. Vobis enim, Athenienses, qui natura cives estis, nullas pecuniarum copias præferre generi honestum est: qui autem civitate vel a vobis vel ab aliis quibusdam fortunæ beneficio sunt donati, et, propter quæstum argentarium, et ampliores possessiones, idem jus consecuti, ii hæc custodire debent. Quare Pasio pater tuus neque primus neque solus, neque vel in semetipsum contumeliosus vel in vos filios sed non aliter suis rebus posse consuli prospiciens, nisi hunc necessario vobis conjunctum redderet, suam ei uxorem, matrem vestram, despontit. Quod si utilitatem spectes, eum recte sibi prospexit deprehendes: sin habita aut existimationis aut natalium ratione Phormionis affinitatem aversaris, vide ne ridiculum sit ea te dicere. Si quis enim te roget quemnam patrem tuum fuisse existimes? Bonum virum, sat scio, respondebis. Utrum igitur et moribus et rebus omnibus Pasioni similiorem putas, tene an hunc? Ego quidem, satis scio, hunc. Qui igitur patri tuo similior est, eum, si matrem tuam duxit, aversaris?

11. Atqui, et dante et mandante patre tuo acta esse hæc, non

modo e testamento cernitur, Athenienses, sed et tu ipse fuisti testis. Cum enim maternas facultates in partes dividi velles, et Phormio ex uxore liberos suscepisset, tum fatebaris eam a patre legitime traditam et ratum esse matrimonium. Nam si eam hic per injuriam raptam habuisset, datam a nemine, liberi hæredes non fuisserent: ad eos autem qui hæredes non essent portio nulla rei familiaris pertineret. Et hæc vere a me dici liquet, cum sit ostensum, ab eo quarta parte accepta omni crimine Phormionem esse liberatum.

12. Quia vero, Athenienses, nullam prorsus probabilem defensionem habebat, impudentissimas afferre causas apud arbitrum audebat, quas vos audivisse in primis operæ pretium fuerit. Unam, omnino non factum esse testamentum, sed id totum adhuc nihil aliud esse quam figmentum et commentum: alteram, ea se gratia superiori tempore concessisse omnia neque in jus vocasse, quod Phormio magnum pendere vectigal voluerit idque se pensurum pollicitus fuerit, quod postquam non facit, nunc demum jus meum, inquit, persequor.

13. Sed eum hæc utraque, si dicet, falso dicturum, et suis ipsius factis contraria, hinc æstimate. Si testamentum negabit, qua ratione prærogativa ætatis ædes ex testamento acceptas teneat, id eum rogatote. Nec enim illud dicet, ea testamenti esse rata, quibus auctore patre melior sua sit conditio; cætera irrita. Cum vero hujus se pollicitationibus deceptum esse dicet, memineritis, nos vobis produxisse testes eos, qui, quum huic jamdiu nihil cum isto rei esset amplius, ab ipsis et mensam et officinam conduxerunt. Atqui tum, cum eas illis locavit, ista e vestigio dicta esse oportuit; propter quæ, re tum transacta, nunc ei litem movet. Ac ut me hæc vere dicere constet, et eum prærogativa ætatis ædes ex testamento accepisse, et hunc adeo nou duxisse accusandum, ut etiam laudarit, cape testimonium.

TESTIMONIUM.

14. Ut autem sciatis, Athenienses, quanta pecunia et ex locationibus et ex ære alieno redacta, inopiam suam et totius patrimonii jacturam lamentetur, auscultate paucis. Iste æris alieni simul talenta viginti redegit ex tabulis quas pater ejus reliquit, quorum dimidio plus habet, multis enim partibus fratrem fraudat: e locationibus autem, octo annorum quibus Phormio mensam habuit, octogenas minas, semissem totius locationis, et hæc sunt decem talenta et quadraginta minæ, decennium vero post quo Xenoni, Euphræo, Euphroni et Callistrato locavit, quotannis talentum: iani præter hæc e domibus initio distributi patrimonii, quod ipse curabat, redditus amplius tricenas minas. Quod si in summam redegeritis omnia,

quæ et e divisione et redacto ære alieno et ex locationibus accipit, eum amplius quadraginta talenta accepisse constabit, exceptis iis quæ hie ei donavit, et maternis opibus, et illis quatuor talentis cum dimidio et sexcentis drachmis, quæ accepta de mensa non reddit.

15. At hæc respub., inquiet, accepit, et inique mecum actum est qui multa in rempub. contulerim? Imo, quæ reipub. præstisti, ea de communi pecunia tu et frater impendistis: quæ vero deinde, tantum abest ut duorum talentum, ut ne viginti quideni minarum, redditum æquent. Ne igitur remp. criminare, nec, quæ tu de patrimonio flagitiose et male perdidisti, impensa esse dicio reipub. Ut autem sciatis, Athenienses, et multitudinem pecuniarum quas accepit, et munera quæ obiit, singulatim vobis hic libellus legetur, et provocatio hæc, et hæc testimonia.

LIBELLUS. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

Tantam igitur pecuniam cum acceperit et nomina multorum talentum adhuc habeat, quorum alia a volentibus exigit, alia judicio extorquet, quæ extra mensæ locationem et cæteras opes a Pasione relictas ei debebantur, quæque nunc ad istos redierunt, cumque tantillos sumptus fecerit quantulos vos audivistis, ne minima quidem redditum parte, nedum sorte ipsa, in publica munera impensa, tamen gloriabitur et instructiones triremium et ædilitates jactabit: ego vero, ea falso dicturum, ostendi. Quæ si vera essent omnia, honestius tamen et justius opinor fuerit istum vobis de suo largiri, quam, vos hujus opes isti tradere, ut ipsi parvis emolumentis ex omnibus perceptis, hunc extrema inopia conflictantem, istum insolenter se gerentem et in ea quæ solet profundentem videatis.

16. Jam de opibus, possidere hunc eas a patre tuo acceptas, et, de eo quod te rogaturum dicebas, unde rem haberet Phormio, tibi soli minime omnium mortalium ea causa adducenda est. Neque enim Pasio pater tuus eas vel labore partas, vel a parente relictas, possedit: sed cum suis dominis, Antistheni et Archestrato, argenteriam factitantibus, industriam et probitatem suam probasset, fides ei est habita. Est autem in mercatu et inter homines pecuniarium quæstum facientes, eundem industrium videri et probum esse, ingens miraculum. Neque igitur illi has virtutes domini tradiderunt, sed ipse bonus natura fuit, neque huic tuus pater: nam, siquidem id penes ipsum fuisset, te potius quam hunc probum reddidisset. Si vero hoc nescis, fidem occasionem esse rei faciendæ omnium maximam, nescis omnia. Sed his omissis, in multis et tuo patri et tibi, vestris denique rebus, utilis Phormio fuit: sed tuam insatiablem cupiditatem quis aut explerc aut tuis satisfacere moribus possit?

17. Atque adeo miror qui fiat ut non tecum reputes, esse Archestrato qui tuum olim patrem possedit filium hic Antimachum, alia fortuna quam ejus dignitas postulabat, qui tibi non diem dicit, neque indignum esse clamitat, te multitia ferre, et aliam redemisse, aliam dedisse meretricem, eaque te facere cum uxorem habeas, et tres pueros pedissequos circumducere, itaque luxuriose vivere, ut etiam obvii quique sentiant: se vero ipsum magna egestate premi, qua ne Phormionem quidem premi videt. Quod, si ea de causa tibi hujus rem familiarem vendicas, quod ea tui patris olim fuerit, istud illum magis quam te decuerit: nam tuus pater illius fuit. Proinde et tu et hic illius eritis ista quidem ratione. Tu vero in eam incidis amentiam, ut ea dicendi necessitatem ipse nobis imponas, quæ qui dicerent pro hostibus habendi erant; nec te ipsum duntaxat contumelia afficis sed et parentes defunctos, et civitati insultas; et, quæ horum humanitate patri tuo liberaliter tributa sunt et postea Phormioni, ea, cum ornanda et solicite custodienda essent, ut et his qui dederunt et vobis qui accepistis quam honestissima viderentur, in medium profers, exagitas, tantum non ostentas et exprobras, qualem te hominem fecerint Atheniensem. Ita in eam insaniam venis—quid enim dicam aliud?—ut non sentias, nos nunc, dum postulamus, ut ne fraudi Phormioni sit, postquam manmissus est, si quando patris tui fuit, tuam causam agere: te vero, dum eum nunquam æquari tecum pateris, temetipsum oppugnare! Quicquid enim juris in hunc tibi statueris, illud ipsum contra te præsto iis crit qui patrem tuum initio possederunt. Quod ut constet illum etiam fuisse quorundam, ac deinde manumissum eodem modo quo hic a vobis, cape hæc testimonia, ut appareat Pasionem fuisse Archestrati.

TESTIMONIA.

18. Itane eum qui ab initio vestram negotiationem conservavit et multis in rebus istius patri se utilem præbuit, et tot in istum ipsum beneficia contulit quot vos audivistis, eum inquam, tanta mulcta damnatum, per injuriam esse putat exterminandum! Neque enim quicquam aliud facere possis. Nam si bona hæc acute intueberis, invenies quorum sint, nisi hi, quod absit, decepti fuerint. Vides Archilochum Charidemi F.? Olim habuit agrum: eundem nunc multi habent, possederat enim eum multo obstrictus ære alieno. Sosinomum item, Timodemum, et cæteros mensarios? Qui, cum satis faciendum esset creditoribus, bonis omnibus cesserunt. Tu vero nihil omnino considerandum putas, ut pater tuus, vir te multo et melior et prudentior, rebus omnibus consultum putarit: qui, pro deum atque hominum fidem, tanto te præstantiorem hunc esse judicavit et utiliorem tum tibi tum sibi tum negotiis vestris, ut,

quamvis tu vir essem, hunc non te semissis tutorem fecerit, uxoremque ei desponderit, et viventem eum honorarit. Jure, Athenienses. Nam reliqui mensarii, nihil de locatione pendentes, sed ipsi in rem suam querentes, omnes perierunt: hic vero, de locatione pendens bina talenta et quadragenas minas, mensam vobis conservavit. Quorum ille beneficiorum memor et gratus fuit; tu nullam rationem habes, sed contra testamentum et execraciones in eodem a patre inscriptas, exagitas, insectaris, calumniaris. O vir optime, si te tamen ita nominari fas est, non desines neque intelliges, bonitatem magna pecunia esse potiorem? Tibi, vera si dicis, tot acceptae pecuniae perierunt omnes, ut ais: at si modestus fuisses, nunquam eas consumpsisses.

19. Ego vero, re ab omni parte considerata, medius fidius, nihil video, cur judices a te persuaderi sibi sinant ut hunc condemnent. Quid enim? An quod recentibus adhuc injuriis accusas? At annis et temporibus praeteritis criminaris. An, quod interjecto tempore in otio te continuisti? Sed quis ignorat quam inquietus et turbulentus perpetuo fueris, non privatis modo crimina intendendo his haud minora, sed et publice quosdam calumniando et in judicium adducendo? Nonne Timomachum accusabas? Nonne Callippum, eum qui nunc est in Sicilia? Non rursus Menonem? non Autoclem? non Timotheum? non alios multos? Enimvero, quæ ratio fuit ut tu qui Apollodorus essem, publica delicta, quorum quota portio ad te attinebat, ulcisci prius velles, quam privatas injurias, de quibus nunc quereris, persequi, præsertim, si tibi credendum sit, tantas. Quid igitur illos accusabas, hunc omittebas? Nulla nimis tibi fiebat injuria, sed nunc calumniam agis. Evidem arbitror, Athenienses, omnium maxime ad rem facere, ut harum rerum testes adducantur. Eum enim qui perpetuo calumniatur, quid nunc facere existimandum est? Atque illud etiam ego sane, Athenienses, existimo, quæ indicia sunt morum Phormionis et justitiae ejus et humanitatis, ea etiam e re esse ut vobis exponantur. Nam qui esset in omnes iniquus, fortassis, ut isti etiam injuriam faceret, fieri potuisset: qui vero nemini ullam injuriam fecit, in multos ultra beneficia contulit, is qua tandem probabili ratione impulsus istum solum ex omnibus violaret? His igitur testimoniis auditis, utriusque ingenium cognoscetis.

TESTIMONIA.

Nosti etiam illa in Apollodorum de improbitate?

TESTIMONIA.

An vero iste huic similis sit considerate. Recita.

TESTIMONIA.

Lege etiam quæ publice hic in civitatem contulerit.

TESTIMONIA.

20. Phormio igitur, Athenienses, tot et tantis in rem publ. multosque vestrum collatis beneficiis, nemine vel publice vel privatim læso, nec injurius in Apollodorum, precatur supplicatque et postulat se conservari, et nos ejus familiares eadem precamur a vobis: illud vero vobis audiendum est. Lectum est, Athenienses, hunc tantam pecuniam suppeditasse vobis, quantam nec ipse, nec quisquam alius possidet. Fides tamen Phormioni apud notos est et tantæ et multo majoris pecuniæ, per quam et ipse sibi prodest et vobis. Quæ ne projeceritis, neque ab impuro isto homine everti patiamini, neque fœdo exemplo sancite, licere petulantibus hominibus et calumniatoribus opes eorum qui rem faciunt et moderate vitam instituunt a vobis impetrare. Longe enim præstat vobisque utilius est eas penes hunc esse. Videtis enim ipsi et auditis e testibus, qualcm se erga supplices præbeat; quorum nihil augendæ pecuniæ studio fecit, sed humanitate et animi facilitate.

21. Non decet igitur, Athenienses, talem virum isti prædæ esse, ac tum demum vos ejus misereri cum ea misericordia nihil ei prodierit, nunc miseremini dum ejus salus in vestra manu est: neque enim ego ullum tempus esse video, quo quis ei commodius opituletur. Verba autem multa, quibus Apollodorus utetur, nugas esse et calumnias putatote; jubete potius eum vobis demonstrare, aut, non ita mandasse patrem ejus, aut, esse aliam quampliam locacionem preter eam quam nos ostendimus, aut, se non transegisse subducta ratione omnia illa crimina quæ cognovit et socer et affinis ejus isto ipso concedente, aut, licere legibus res ita et actas revocare in judicium, tale igitur aliquid ostendat: quæ cum non suppetent, si crimina et maledicta ingeret et tergiversabitur, ne ci parueritis, neque vos clamor ejus et impudentia decipiatur, sed cavete eaque memineritis quæ c nobis audivistis. Quæ si feceritis, cum officio religiosorum judicum fungemini, tum hunc jure conservabitis, dignum incolumente, Jovem optimum maximum testor et deos universos. Cape legem, et testimonia hæc, eisquæ recita.

LEX. TESTIMONIA.

Nescio plura dicere quorsum attineat: puto enim vos nihil ignorare corum quæ diximus. Exime aquam.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS PANTÆNETUM.

CUM Pantænetus a Telemarcho quodam officinam in Maronea metallicam—est autem is Atticæ locis—et cum officina triginta servos emeret, mutatur a Mnesicle talentum, a Phileto et Plistore quinqne et quadraginta minas: alque emptor inscribitur Mnesicles, emptionemque ipse babet. Post cum argentum reposceretur Pantænetus secundos sumit creditores, tum eum qui hanc exceptionem nunc apponit Nicobulm tum Evergum quendam, hisqne oppignerat et officinam et mancipia; tabulasque non oppignerationis sed venditionis conficit, fitque venditor et confirmator secundis creditoribus prior creditor Mnesicles qui emptionem habebat. Locant igitur Pantæneto mancipia et officinam Evergus ac Nicobulus, nimis ut domini ejus facti: tanti autem locant quantum usurae credita pecunia pariebat. Cum euim centum quinqne minas mutuassent, debebat usura in minam esse drachma: convenerat igitur inter eos ut centum et quinque drachmas acciperent, et fuit bæc reipsa usura, verbo locatio. His actis, Nicobulus peregre abit; per cuius absentiam haec fiunt Athenis. Evergus, creditæ pecuniae socius, Pantænetum pactis et conventis non stare conquerens, aggreditur officinam et occupat; atque etiam observato argento quod e fodiis Pantæneto afferebatur, quodque is in publicum collaturus erat, famulo id ferenti vi eripit. Quamobrem etiam duplcem in publicum, ut asserebat, pecuniae numerum contulit Pantænetus, impeditus ab Evergo quo minus ad præfinitam diem solveret: et actione in Evergum dati damni instituta vincit. Ut vero et Nicobulus peregre domum redit, multique Pantæneti creditores, prius ignorati, exsistunt, multis verbis factis, convenere tandem, ut Nicobulus et Evergus, receptis centum et quinque minis, officina et mancipiis cederent; eaque alteri creditores emerent. Rursus autem nolentibus creditoribus emere possessio-nes, nisi venditores atque auctores Nicobulus et Evergus ipsi fierent, paret Nicobulus, ipso etiam, ut ait, Pantæneto petente, sed non prius id pollicitus est, quam a Pantæneto esset omni periculo liberatus. Pantænetus periculo eum liberat, posses-siones venduntur: sed nihilominus eandem huic, quam et Evergo, item movet, actione metallica inscripta, ut qui et ex iis unus esset qui metalla exercearent et in metallis esset laesus. Atque etiam Nicobulum et de erectione pecuniae quam servus tulisset, et de officinæ mancipiorumque venditione contra pacta et conventa facta, atque adeo de aliis quibusdam, accusat. Nicobulus autem præscriptione uitetur, lege illa nitens quæ vetat, amplius earum rerum agere quæ actæ et trans-actæ sint, altera, quæ verbis apertis et perspicuis definit quibus de rebus dandæ sint metallicæ actiones, quum antem tale nihil Pantæneto acciderit, absurde ait eum agere actione metallica: quin et tertiam adducit legem, quæ distinguit quæ causæ quibus in judiciis disceptandæ sint et a quibus magistratibus dandæ actiones, Pantænetum autem eam legem violasse, variis criminibus in unam veluti massam conflatis deque omnibus in metallico judicio accusantem. Ac lege de transactione initio est usus, duabus reliquis in fine, ab exceptione et auspicatus et desinens in eandem. In medio autem rectam defensionem collocavit, cuius id est maximum et firmissimum, Nicobulum tum per-egre abfuisse, cum Pantæneto illa acoiderint, propter quæ et tunc Evergum, et nunc Nicobulum, in jus vocarit.

DEMOSTHENIS

EXCEPTIO

ADVERSUS PANTÆNETUM.

1. **QUIA** dederunt leges excipiendi potestatem, Judices, iis de rebus quæ actæ transactæque sunt, et hæc utraque inter me et Pantænetum intercesserunt, præscripsi, ut modo audivistis, non dandam esse ei actionem, non abstinendum hoc jure mihi ratus, neque committendum ut cum præter cætera omnia convicero istum et omni me periculo liberasse et mecum transegisse, dicere posset me non vera loqui, neve hoc argumento uteretur, si quid tale actum esset, fuisse me sibi præscripturum: sed in hoc judicio eademque causa vobis utrumque ostendendum, et isti a me nullam esse factam injuriam, et ab eo mihi contra leges facessi negotium. Quod si quid eorum accidisset Pantæneto quæ nunc queritur, illis statim temporibus in jus me vocasset, quibus inter nos contraxeramus, cum et menstrua sint judicia hæc, et utrius domi fuerimus; et omnes homines recentibus injuriis magis quam mora interposita indignari soleant: sed postquam nulla affectus injuria—ut et vos, satis scio, audita reassensuri estis—successu Evergini judicii elatus, calumniatur, reliquum est, Judices, ut, apud vos ostensa innocentia mea et iis quæ dicam testibus comprobatis, tueri me studeam. Petam autem a vobis omnibus rem æquam et modicam, ut meam exceptionem benigne audiatis, totumque negotium diligenter attendatis: nam cum multa in urbe judicia facta sint, nullam unquam actionem vel impudentius vel iniquius ab ullo esse institutam sentitis, ut arbitror, ea qua nunc iste instituta in conspectum vestrum prodire non dubitavit. Dabo autem operam, ut rem vobis omnem ab initio, quam fieri paucissimis poterit, explicem.

2. Mutuavimus quinque et centum minas, Judices, Pantæneto ego et Evergus ad officinam in fodinis Maroneis et ad triginta mancipia: ejus pecuniae quadraginta quinque minæ meæ fuerunt, talentum Evergi. Acciderat autem ut iste deberet Mnesicli Colytensi talentum, Phileæ Eleusinio et Plistori quadraginta quinque minas. Venditor officinæ et mancipiorum nobis fit Mnesicles—is enim ea isti emerat a Telemarcho priore domino—, ea vero conductit iste a nobis usura illius argenti, quinque et centum drachmis in singulos menses. Conficimus tabulas, quibus et locatio, et certum quoddam tempus intra quod a nobis officinam ei redimere liceret,

continebatur. His actis Februario mense prætore Theophilo, ego statim in Pontum profectus sum, iste et Evergus hic fuerunt. Qui quid inter se egerint me absente, dicere non possum: neque enim eadem dicunt, neque semper eadem iste quidem. Alias enim asserit se ab illo contra pacta esse locatione vi eversum, alias eum in causa fuisse ut in publicum ipse inscriberetur, alias quippiam aliud quod libuit: ille autem simpliciter se, nec usuris redditis, nec alia re illa quæ pactis contineretur ab isto præstita, convenisse eum et ab eo volente suum recepisse, post hæc autem digressum istum redisse adducentem quosdam qui controversiam moverent, se illos non persecutum esse, neque istum prohibuisse quo minus teneret quæ conduxerat, modo fidem servaret. Ex his igitur ego tales orationes audio. Sed illud scio, sive iste vera dicit, et injuria affectus est ut ait ab Evergo, poenas eum sumpsisse, quantas voluit—vicit enim vobis judicantibus—, neque profecto æquum esse ut et ab auctore injuriæ poenas sumat et a me qui peregre abfuerim: sive Evergus, hunc quidem circumscriptum esse per calumniam, me vero ne sic quidem ejusdem criminis jure accusari. Ut igitur hæc primum a me vere dici constet, horum testes ad vos producam.

TESTES.

Fuisse igitur et venditorem nobis possessionum eum, qui ipse ab initio emerat, et ex pacto istum conduxisse nostram officinam et mancipia, et me iis quæ iste postea cum Evergo egit neque interfuisse neque fuisse domi omnino, et illum in jus vocatum et me nullius unquam criminis ab isto reum esse factum, e testibus auditis, Judices.

3. Reversus igitur amissis fere quæ mecum avexeram omnibus, quum et audirem istum deseruisse officinam, et Evergum habere et tenere quæ emeramus viderem, mirum in modum dolui, ut qui eo me redactum cernerem ut quo me verterem nescirem: aut enim socium esse me oportebat Evergo quæstus et curationum, aut debitorem istius loco Evergum habere, et cum eo denuo conscribere locationem, et contrahere. Quorum mihi neutrum erat in animo: hæc autem quæ dixi moleste ferens, conspicatus Mnesiclem qui earum rerum venditor nobis fuerat, cum eo expostulabam, quod talem mihi hominem conciliasset, et cur quidam controversiam moverent, quidnam id rei esset, interrogabam. Quibus ille auditis deridebat eos qui hoc facerent: quos tamen congregri velle nobiscum, idque ut fieret se curaturum dicebat, et moniturum istum ut mihi præstaret æqua omnia, et persuadendi spem habere. Ut congressi sumus, quid multis est opus?

Venerunt ii qui se isti mutuasse dicerent ad officinam et mancipia, quæ a Mnesicle nos emeramus; neque isti quicquam simplex aut æquum afferebant, sed ubique mendacii convincebantur; Mnesicle porro venditionem nobis confirmante, conditionem nobis ferunt, quām nos repudiatus putabant, ut aut pecunia omni a se recepta discederemus, aut ipsis dissolveremus ea quæ postularent, causantes nos habere quæ longe majoris pretii essent quam quantum nos dedissemus. Quibus ego auditis, statim, sine deliberatione, promisi me recepturum, et Evergo persuasi ut consentiret. Quum autem pecunia nobis numeranda esset, et res eo processisset, negarunt de cætero se datus qui tunc illa promiserant, nisi nos eis possessionum venditores fieremus; in quo, Athenienses, sapiebant: cum viderent quibus nos isti calumniis vexarent. Ut igitur et hæc vera esse constet, etiam hæc testimonia capito.

TESTIMONIA.

4. Cum autem res in eo consisteret, et pecuniam ii quos iste adduxerat non numerarent, et nos quæ emissemus non injuria tenere videremur, supplicabat, obtestabatur, obsecrabat ut venditores fieremus. Petente vero isto et multum me obtestato, et nihil non faciente, id quoque concessi. Sed quia eum malitiosum esse videbam, Athenienses, et ab initio Mnesiclem apud nos accusasse, rursus, cum summus esset Evergi amicus suscepisse cum eodem inimicitias, et primum cum ego redissem gratulari mihi adventum et gaudere conspectu meo, ubi vero promissa præstanta erant infensum mihi factum, omnibus denique tantisper esse amicum dum aliquid occuparit et quæ rogat impetrata tulerit, post inimicum fieri et adversarium, volebam, cum omisso contractu priore pro isto vendor fierem, sic cum eo convenire, ut omni periculo transacta re liberarer. His concessis, iste me omnino missum fecit: ego vero vendor, ut precabatur, factus sum possessionum, quemadmodum eas ipse a Mnesicle emeram. Receptis igitur meis et nulla isti facta injuria, ita me dii bene ament, etiam si quid accidisset, nunquam fore putavi ut me in jus vocaret. Res igitur de qua sententiam feretis, et propter quam calumnia vexatus dandam esse ei actionem negavi, hæc est, Judices: adductis autem testibus iis qui affuerunt, cum iste me absolveret ac liberaret, jam nunc non dandam esse actionem legibus, ostendam. Lege mihi hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Lege mihi et emptorum testimonium, ut sciatis, isto jubente me ea vendidisse iis, quibus iste jusserat.

TESTIMONIUM.

Neque vero hi solum testes nobis sunt, nos missos esse factos et nunc calumnia peti, sed ipse etiam Pantænetus. Cum enim Evergum accusaret me omissio, tum ipse testabatur nullam sibi de me querelam esse reliquam: nec enim profecto in pari crimine, si utrumque ex æquo accusasset, alterum omisisset, alterum in jus vocasset. Leges autem de rebus ita actis iterum adipisci judicium non sinere, arbitror equidem vos, tametsi ego nihil dixerim, intelligere: sed tu nihilominus hanc quoque legem recita.

LEX.

Auditis, Athenienses, legem aperte dicere, quibus de rebus aliquem missum feceris et transegeris, non amplius dari actionem: ea vero utraque isti nobiscum intercessisse, e testibus audivistis.

5. Est autem, cum nullis de rebus quæ legibus interdictæ sunt, in jus veniendum, tum de his minime omnium. Nam quæ res publica egit, ea dici possint, aut injuste aut non convenienter esse acta; de judicium item sententiis dici potest, eos deceptos ita pronunciassse, sic cæteris de rebus quæ sanctitæ sunt legibus, singulatim aliqua ratio probabilis afferri queat: quæ vero ipse sua voluntate transegit, de iis dicere nihil potest, neque culpare semetipsum quamobrem injuste fecerit. Jam qui de alia re quapiam litigant, in jure ab aliis præfinito non acquiescunt, qui vero de iis quæ transegerit denuo accusat, suo: quamobrem isti hominum generi maxime irascendum est. Me igitur ab eo missum esse factum cum venditor mancipiorum factus sum, ostendi: legibus autem his de rebus non dari actiones, ex lege modo recitata audivistis.

6. Ne quis vero cogitet, Athenienses, me quod ipsam tueri causam nequeam huc confugere, singulatim etiam ejus omnes criminationes ementitas esse ostendam. Recita ipsum crimen, cuius me reum facit.

ACCUSATIO.

Damnum dedit Nicobulus insidiatus mihi et facultatibus meis, quod Antigenem servum suum eripere servo meo jussit argentum, quod is ferebat ærario numerandum de fodinis, quas ego emi nonaginta minis; et in causa fuit ut mihi duplum inscriberetur in tabulas publicas.

Desine. Ista omnia, quorum me nunc accusavit, prius Evergo objecit reumque peregit. Testatum autem est orationis initio apud vos, me peregre absfuisse cum inter istos controversiæ orirentur: sed idem tamen etiam e crimine perspicuum est. Nusquam enim me quic-

quam istorum fecisse scripsit : sed me sibi et suis facultatibus insidiatum, mandasse id servo meo subscrispsit, in quo mentitur. Qui enim ego mandare potui, qui, cum hinc solverem, quidnam hic futurum esse utique ignorabam ? Deinde quantæ stultitiæ est, cum me suæ dignitati et saluti insidiatum dicat, eundem scribere, servo mandasse ea, quibus nec civis civem afficere queat ? Quid illud igitur est ? Apparet eum, cum nulla ratione posset propter peregrinationem istorum in me quicquam transferre, et me calumniari vellet, meo jussu esse factum inscripsisse : neque enim, ni hoc fecisset, ullam causam habuisset. Lege quod sequitur.

ACCUSATIO.

Et, postquam ego sum factus ærarius, collocato Antigene servo suo in mea officina, ea quæ est ad Thrasyllum, mea illi tradit, me vetante.

Desine. Rursus in his omnibus ab ipsa re mendacii convincitur. Scripsit enim me collocasse, se autem vetuisse : quæ fieri per absentem nequeunt. Neque enim ego collocabam, qui essem in Pontio, neque interdixit iste non præsentis. Qui enim potuisset ? Quæ res igitur eum coagit hæc scribere ? Evergus, opinor, cum ea committeret quorum pœnas dedit, homo mihi notus et familiaris, servum aliquem domo mea accersitum, apud se, custodiendi gratia collocavit. Si igitur verum scripsisset, ridiculum fuisset : quæ enim mea culpa est, si Evergus constituit ? Id fugiens, talia scribere coactus est, ut mecum agere judicio posset. Lege cætera.

ACCUSATIO.

Et persuasit meis famulis ut in Cenchreone sederent supplices in fraudem meam.

Desine. Hoc jam omnino impudens est. Non enim ex eo duntaxat quod eos in quæstionem postulatos dare noluit, sed undique perspicuum est esse mendacium. Qua enim de causa eos pelliciebam ? Ut scilicet eos emerem ? At optione mihi data vel habendi vel emendi vel recipiendi meum, recipere meum malui, et hæc per testes probata sunt. Sed recita tamen provocationem.

PROVOCATIO.

Hac igitur provocatione non accepta, sed repudiata, considerate, quale statim post hæc crimen impingat. Lege quod sequitur.

ACCUSATIO.

Et consumpsit argenti massas, quas mei servi conficiebant, et argentum habet ex illis massis confectum.

Desine. Rursus ista fieri a me qui potuerunt non præsente, et de quibus Evergum condemnasti? Recita ipsam accusationem ordine.

ACCUSATIO.

Et vendita officina mea et servis contra pacta mecum facta.

Desine. Hoc cætera omnia longe superat. Primum contra pacta, inquit, mecum facta: ea vero quæ sunt? Locavimus usuris solitis isti nostra nos, et aliud nihil: venditor enim nobis Mnesicles factus erat, isto præsente et jubente. Deinde nos aliis vendidimus iis conditionibus, quibus nos emeramus, non modo jubente adhuc isto, sed etiam supplicante: nemo enim istum venditorem admittere voluit. Quorsum igitur hic locationis pacta? Quid hoc, homo futilissime, inscripsisti? Atque ut constet nos, et te jubente, et, quibus conditionibus emeramus ipsi, iisdem reven-didisse, recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Atque adeo tu quoque testis es: nam quæ nos centum et quinque minis emimus, ea tu postea tribus talentis et bis mille sexcentis drachmis vendidisti. At quis omnium, nisi venditores habuisset, unam tibi drachmam dedisset. Quæ ut vere a me dici constet, voca mihi testes.

TESTES.

Recepto igitur, quanti æstimarat, suarum rerum pretio, meque tum ipse precatus ut venditor fierem cum argentum contulisset, nunc a me duo talenta etiam postulat. Sed cætera crimina sunt multo graviora. Recita reliquam accusationis partem.

ACCUSATIO.

Hic complura et atrocia simul mihi objicit: ut verbera, ut contumeliam, ut violentiam, ut injurias in orbas. Quorum singula peculiarem actionem habent, eamque nec apud magistratum eundem, nec iisdem sancitam pœnis. Nam verberatio et violentia, apud Quadragintaviros; contumelia, apud Sexviros; quæ vero in orbas committuntur, apud Prætorem disceptanda sunt. Legibus autem licet ea quoque crimina, quorum qui actionem det nemo est, exceptione summovere. Recita eis hanc legem.

LEX.

Istud igitur, cum præter reliquam præscriptionem opposita exce-

ptione sustulerim, et sexviri actionem non dent eorum criminum quorum me accusat Pantænetus, abolitum est, nec in exceptione inest. Id vero quomodo, vos considerate: mea enim, dum legem hanc proferre possum, non quicquam interest. Neque enim notionem æqui et boni atque intelligentiam in vestris animis infixam revellere poterit.

7. Cape et metallicam legem: nam vel ex ea me ostensurum opinor non dandam esse ei actionem, et gratiam mihi haberi potius quam fieri calumniam oportere. Recita.

LEX.

Hæc lex perspicue definit, quibus in rebus metallicæ actiones dandæ sint. Proinde lex, si quis aliquem expulerit quæstu et opus facere prohibuerit, eum facit obnoxium: ego vero istum adeo non expuli, ut quibus ab alio privabatur, ea restituerim eaque tradiderim, et venditor ejus rogatu sim factus. Næ, inquit: sed si quis aliter etiam in metallis ullum damnum dederit, earum quoque rerum dantur actiones. Recte sane Pantænete: sed ea quæ sunt? Si quis succenderit, si arma intulerit, si intra limites secuerit alienos, hæc sunt cætera, quorum utique nihil a me in vos est commissum: nisi forte reposcentes ca, quæ liberaliter in te contulerant, cum armis venire putas. Quod si ita putas, in omnes qui sua tibi commodant actiones tibi erunt metallicæ: sed iniquum id est. Age vero, quisquis fodinam a republica emerit, num publicis civitatis legibus, quibus et dandum judicium est et accipiendo omnibus, præteritis, actione metallicæ reos faciet adversarios? Quid vero, si quis ab aliquo mutuetur? Quid, si male audiat? si vapulet? si furti criminetur? si primarium tributum non recipiat? si denique aliud quippiam? Non equidem opinor; sed metallicas actiones esse inter fodinarum socios, et hos qui in vicinorum fines irruperint, in summa inter eos qui metalla tractant, et eorum aliquid quod lege continetur faciunt: in eum autem qui Pantæneto pecuniam mutuarit, eandemque maligne ægreque receperit, ejus rei adeo non actionem esse metallicam, ut multum absit respondendum est. Me igitur nullam omnino isti fecisse injuriam, neque dari legibus actionem, hæc si quis considerarit facile intelliget.

8. Cum vero criminacionum suarum ne unam quidem justam causam afferre possit, sed et falsa in accusationem inscriperit, et de rebus transactis accuset, superiori mense, Athenienses, cum in judicium venturus essem, facta jam sortitione judiciorum, egressus adductisque secum iis qui una cum ipso officinam constituerant, rem facit periniquam. Legit mihi prolixam provocationem, scrvum,

quem harum rerum concium diceret, in quæstionem postulans: quod si ea vera essent, ut sibi mulctam quam petiisset solverem, si falsa, ut quæsitor Mnesicles æstimaret quanti esset servus. Atque acceptis a me vadibus, et provocatione obsignata—non quod justum esset: ubi enim justum est in servi corpore et vita, aut duobus muletari talentis, aut nullam statui pœnam calumniatori? sed quod ego magna eum æquitate superare volebam; eo concessi—, post hæc etiam me denuo judicio provocat, cum primum sponsam pecuniam sustulisset: adeo statim apparebat, eum nec in eo jure quod ipse definierat acquiescere. Postquam autem ad quæsitorem venimus, cum provocatio aperienda esset et monstrandum quid contineret, atque ex ea agenda quæ convenerant—quia enim tumultus tum erat et judicium vocandum, ita fiebat, Hanc tibi conditionem fero, Accipio: Cedo annum, Cape: Qui vero sponsor? Hic, nullum neque exemplum, neque quicquam tale feci—cum igitur, inquam, hæc ita ut dico agenda essent, venit et aliam provocationem affert, a se torquendum esse hominem asserens; eumque prehensum trahit, nec ullum petulantiae genus prætermittit. Ego igitur cogitavi, Judices, quanta esset prærogativa non nimis se abjicere in vita. Ego enim ea me pati putabam, et contemni eo quod simpliciter et ut natura mea fert viverem, et magnas pœnas dare si ea tolerarem. Ut igitur ca quæ justa putabam, me coactum esse vicissim postulare et puerum tradidisse, et vera hæc dicere constet, recita provocationem.

PROVOCATIO.

Detectatis igitur his, detectatis item iis quas ipse primum tulerat conditionibus, equidem quidnam apud vos dicturus sit, demiror: Ut autem illud etiam sciatis a quo sibi factam injuriam conqueratur, spectate. Hic est qui Pantænetum ejecit, hic est ille potentior amicis Pantæneti et legibus: neque enim ego domi fui, nec ipse id objicit.

9. Volo autem vobis, et per quæ prioribus judicibus deceptis Evergum vicerit, dicere, ut sciatis, eum etiam nunc nihil impudentiae nihil mendacii prætermisserum; et præter hæc, etiam eandem esse eorum defensionem, quorum me nunc accusat, reperiatis, id quod argumentum evidentissimum est illum tunc fuisse calumnia oppressum. Criminatus fuit præter cætera omnia, eum in agro ad puellas orbas et matrem ipsius esse ingressum, et leges de orbis attulit in judicium. Atque ad prætorem, cui talium rerum curam leges mandant, et apud quem sontes periclitantur quid aut lendum aut solvendum sit, actionem autem persecuto cum nulla muleta auxilium fertur, nondum vel hodie accessit, et neque me

neque Evergum ut injurios detulit : sed in judicio talia cum proposuisset, duobus talentis mulctavit. Erat nimirum præscienti crimen, cuius accusaretur, veritate et æquitate ostensa legibus facile absolvı: sed in actione metallica, et in iis rebus de quibus ne accusaretur nihil metuebat, difficile erat calumniam e vestigio propulsare. Iracundia autem judicium ab isto deceptorum, qua de re suffragia illis ferenda erant, ejus illum condemnavit. Qui igitur illos decepit judices, eumne dubitaturum vos decipere putatis ? aut causa fretum ingressum esse, ac non eloquentia et suæ factionis testibus, impuro et execrando Procle magno illo, et Stratocle omnium hominum et disertissimo et improbissimo, et impudentia sua qui nihil cunctetur aut erubescat plorare ac lamentari ? Atqui tantum abest ut sis aliqua misericordia dignus, ut propter fraudes et facinora sis omnium hominum odiosissimus : qui minas centum et quinque cum deberes, easque reddere non posses, eos qui te juverunt et in causa fuerunt ut fidem servares iis qui tecum ab initio contraxerant, præterquam quod in ipso contractu violas, etiam ignominia notare studies. Cæteros quidem debitores videmus fortunis cedere : ei vero qui pecuniam tibi credidit, hoc accidit, et qui talentum mutuavit, duobus per calumniam est mulctatus. Ego vero, qui quadraginta quinque minas mutuavi, in hoc judicio duorum talentum periculo causam dico : et, ad quæ nunquam plus centum minis mutuari potuisti, quæ tribus talentis universa vendidisti et bis mille drachmis, in iis quatuor talentum scilicet injuria es affectus a quodam, eoque, si diis placet, servo meo. Quis vero suis rebus civis servo cederet ? quisve diceret earum rerum, quarum ipse damnavit Evergum, etiam famulum meum rationem reddere oportere ? Sed his omissis, iste ipse talibus criminibus eum liberavit omnibus. Neque enim id nunc dicendum erat, neque in provocatione scribendum in qua quæstionem habere studebat : sed, illi dictato judicio, me dominum persecui conveniebat. Nunc et mihi litem intendit, et illum accusat ; quæ legibus interdicta sunt. Quis enim unquam actione contra dominum instituta, servum, tanquam sui juris hominem, reum egerit ?

10. Quod si quis eum interrogarit, quæ tibi causa est contra Nicobulum ? Oderunt, inquit, Athenienses, fœneratores : Nicobulus autem invidiosus est, et celeriter ambulat, et magnum sonat, et baculum gerit; ea vero, inquit, a me sunt omnia. Hæc dicere non erubescit, neque eos qui audiunt intelligere putat, calumnatoris esse istam cogitationem, non ejus cui facta sit injuria. Ego vero injurium qui mutuet puto esse neminem : et tamen quosdam merito vobis invisos esse, qui artem ex ea re fecerunt, apud quos nec veniae nec ulli rei locus est, qui animos in hoc unum intentos habent, ut plus accipient quam dederunt. Cum enim sæpe mu-

tuum acceperim, non ipse solum isti mutuum dederim, ne ipse quidem istos ignoro aut amo: nec tamen, ita me dii ament, defraudo aut caluminior. Qui vero quæstum facit, ut ego navigando et pericula subeundo, parvaque pecunia parta eam mutuat, cum ut aliis gratificetur tum ne per incuriam nummos dilapidet, eum cur in illorum numero quisquam reponat? Nisi illud forte dicas, qui tibi mutuarit, eum odio publico esse dignum. Recita mihi testimonia, qualis in eos sim qui mecum contrahunt opemque meam implorant.

TESTIMONIA.

Talis, Pantænete, sum ego ille celeriter ambulans, et talis tu qui pedentim incedis.

11. Sed de meo tamen incessu loquendique consuetudine omnem apud vos libere veritatem dicam, Athenienses: haud me sane præterit, neque ignoro, me naturam habuisse parum propitiam in his rebus, neque eas expedire mihi. Nam si ea mihi odium pariunt, quibus agendis nullum fructum capio, nonne infelix in ea quidem parte sum? Sed quid agam, si illi mutaro? proptereane multa etiam solvenda erit? Nequaquam vero. Malitiam enim in me et improbitatem esse ne iste quidem ipse ostendet, neque e tanto vestrum numero quisquam est ullius facinoris mihi conscius: in aliis autem rebus unusquisque nostrum talis est, ut fortunæ et naturæ visum fuit. Ac repugnare ingenio factu profecto laud facile est, alioqui enim inter nos nihil interesset: alium vero quem videris censere et reprehendere, proclive est. Sed quid tibi propter hæc rei mecum est, Pantænete? Nihil. Multa acerba es perpessus: Proinde sumpsisti pœnas, non de me quidem; neque enim ulla tibi a me orta est injuria. Alioqui nunquam me præterisses, neque missum me fecisses, cum Evergum accusare instituisses, neque petisses ut ego venditor esse dignarer qui atrocias et magna in te commisissem. Deinde quo ego pacto, cum nec adessem, et peregre abessem, ulla injuria te affeci?

12. Quod si quis ei largiatur summis eum affectum injuriis, et nunc de iis verissima dicturum esse omnia, illud tamen opinor omnes fatemini, usu venisse jam quibusdam ut multas acciperent injurias pecuniariis damnis graviores. Nam et fortuitæ cædes fiunt, et ea violentur quæ minime conveniebat, et complura ejus generis alia committuntur. Sed tamen horum omnium terminus et satisfactio statuta est læsis hæc, ut re transacta et composita quiescant; idque jus tantum in omnibus valet, ut, si quis fortuitæ cædis reum peregerit et palam ostenderit aliquem non esse purum, post tamen

placatus ei fuerit missumque fecerit, ejusdem ejiciendi potestatem non habeat. Nam, si ipse sauciatus ante obitum vulneris auctorem missum fecerit, nulli cæterorum cognatorum cædis agere permisum est: sed, quos ejici et exsulare, et si convincantur, occidi leges jubent, eos semel dimissos omnibus periculis verbum hoc liberat. De vita igitur summisque rebus cum agitur tantum valet rataque manet transactio, in re pecuniaria minoribusque causis non valebit? Nequaquam. Neque enim, si ego meum a vobis jus non consequar, id erit gravissimum; illud grave erit, si res justa, servata ab omni ævo, nostra ætate abrogabitur.

ARGUMENTUM EXCEPTIONIS ADVERSUS NAUSIMACHUM ET XENOPITHEM.

NAUSIMACHUS et Xenopithes sub tutela fuerunt Aristæchimi. Atque inscripti in album virorum tutelæ cum eo egerunt. Deinde transegerunt tribus talentis acceptis, eumque periculo liberarunt. Ac is quidem obiit qnatior liberis relictis; quos multo post Nausimachus et Xenopithes dati damni accusant, et pecuniam de tutela reposcent. Hi vero actioni dandum esse locum negant, adducta lege, quæ de rebus actis et transactis denuo venire in judicium vetat.

DEMOSTHENIS EXCEPTIO

ADVERSUS NAUSIMACHUM ET XENOPITHEM.

1. **QUIA** leges potestatem præscribendi dederunt, Athenienses, iis de rebus, quæ cum actæ transactæque sint in judicium revocantur, et utraque hæc patri meo cum Nausimacho et Xenopithe, a quibus in jus vocati sumus, intercesserunt, præscriptionem opposuimus, ut modo audistis, de non danda eis actione. Rogabo autem et æqua et modica vos omnes, primum ut me dicentem benigne audiatis, deinde, si injuria mihi fieri videbitur, si criminis nihil ad me attinentis esse reus, uti me sicut æquum est adjuvetis. Quam vos judicii æstimationem audistis, triginta minæ sunt: pecuniæ autem, cujus accusamur, talenta quatuor. Cum enim duo sint, quaterna nobis judicia dictarunt ejusdem pecuniæ universa, ter mille drachmarum singula dati damni; et nunc, cum triginta minarum inscriptio sit, de tanta pecunia in periculum venimus. Calumniam igitur istorum, quantisque insidiis nos invaserint, ex ipsis rebus cognoscetis: in primis autem testimonia vobis recitabuntur, ut constet, eos missum fecisse patrem nostrum, quod ad tutelæ actionem attinebat. Nam hoc nomine nos præscripsimus et actionem admittendam esse negavimus. Recita mihi hæc testimonia.

TESTIMONIA.

Eos igitur, Judices, egisse tutelæ, et ab actione destitisse, pactamque pecuniam abstulisse, auditis e testimoniis: non dare autem leges de rebus ita actis denuo actionem, equidem arbitror vos scire omnes, etiamsi ego nihil ea de re dixerim; volo tamen vobis ipsam quoque legem recitare. Recita legem.

LEX.

Auditis, Judices, legem perspicue dicentem singula quorum actio non detur, inter quæ illud etiam est, æque ratum ac cætera, quibus de rebus aliquem missum feceris et transegeris, non licere litigare? Cum igitur sic et coram multis testibus transactio facta sit, et aperte nos lex absolvat, eo impudentiæ progressi isti sunt et audaciæ, ut quatuordecim annis post quam patrem meum missum fecerunt, duobus et viginti post item motam, cum noster parens eodem quo cum istis transegerat anno sit mortuus, et tutores qui post illius obitum nostra bona in sua potestate habuerunt, et mater ipsorum item obierit quæ hæc omnia norat, et arbitri et testes plerique omnes, nostram imperitiam et necessariam rerum actarum ignorationem sibi magno futuram commodo existimantes, judicia nobis hæc dictarint, et orationem neque justam neque æquam afferrc audeant.

2. Dicunt se non vendidisse patrimonium ea pecunia quam acceperint, neque cessisse bonis, sed, quæcumque sibi relicta fuerint debita vasaque et pecunia dcnique, ea sua fieri: ego vero me audisse memini, Xenopithem et Nausicratem suas opes omnes in ære alieno reliquise et possedisse manifestas perquam exigwas, redacto autem ære alieno et vasis quibusdam venditis, mancipiis etiam, prædia et ædes mercati sunt tutores, quæ isti receperunt. Quod si nulla fuisset prius illis de rebus controversia, neque malæ administrationis in judicio disceptatum esset, alia ratio foret: postquam vero isti totam tutelam accusarunt dieque dicta pecuniam exegerrunt, ea omnia tum transacta sunt. Neque enim isti scilicet de nomine tutelæ tum agebant, sed de pecunia, neque illi nomen hoc emebant pecunia, quam numerabant, sed crimina redimebant. Ac nulla quidem istis ejus æris alieni, quod ante transactionem redegerat pater aut ejus denique pecuniæ quam e tutela acceperat, dari licere contra nos actionem re transacta, ex ipsis legibus et transactione satis vos omnes cognovisse arbitror. Jam non posse fieri ut ea pecunia deinceps recepta sit—hoc enim isti fingunt, decipiendi gratia—, id ostendam.

3. Patrem enim ne criminari quidem ausint eam accepisse, nam tribus quatuorve mensibus post quam cum istis transegerat obiit: neque vero Demareto relictum nobis tutorem accipere potuisse—nam et hunc in accusatione posuerunt—, id quoque ostendam. Ac maximi quidem nobis hi ipsi testes sunt. Nusquam enim eos viventi Demareto movisse item apparebit: sed tamen, si quis ipsam etiam rem spectet et consideret, videbit illum eam non modo non accepisse, sed nec accipere potuisse. Nam cum ipsum debitum

Bospori esset; quo Demaretus nunquam venit: quo pacto exegit? At Hercule misit, inquiet aliquis, qui exigeret. Id vero ita considerate. Debuit Hermonax stateres centum, a Nausicrate acceptos. Istorum tutor et curator Aristæchmus fuit sedecim annos. Neque vero, quam istis adultis pecuniam coram ipse solvit Hermonax, eam reddidit, dum pueri essent: neque enim bis eandem numeravit. Est vero quisquam mortalium ita ineptus, ut, quæ ne redideret ipsos dominos tamdiu elusit, ea illi qui dominus non esset, missis literis, ultro numeraret? Evidem non arbitror. Ut autem me vera dicere, et patrem statim post transactionem obiisse, et Demaretum nunquam ab istis de ea pecunia in ius vocatum esse, neque denique quoquam navigasse neque illuc profectum esse, constet, cape hæc testimonia.

TESTIMONIA.

Proinde neque patrem post transactionem pecuniam redegisse, neque sponte quenquam fuisse daturum si misisset illuc Demaretus, nec si ipse navigasset aut illuc pervenisset, vobis et temporibus et testibus est declaratum.

4. Atque adeo in universum ostendam eos totam rem ementiri. Isti in eam, qua nos modo reos agunt, accusationem inscripserunt, debere nos pecuniam, quam pater receperit, cum id æs alienum in tutelæ rationibus, ut quod deberetur adhuc, tradidisset. Ipsam accusationem cape et recita.

ACCUSATIO.

Auditis in accusatione scriptum esse cum mihi Aristæchmus id æs alienum in tutelæ rationibus tradidisset? At cum patrem tutelæ reum facerent, his contraria scripserunt: appareat enim eos ei et hoc ut nondum relatis rationibus objectasse. Recita ipsam actionem, quam tum patri intenderunt.

ACCUSATIO.

Qua igitur ratione, tradidisse eum, nunc queri potestis, Xenopithe et Nausimache? Tum enim, ut qui non tradidisset, in jus vocabatis et pecuniam postulabatis: nunc quasi tradiderit accusatis. Quod si utramque in partem vobis calumniari licebit, et nunc propter pecuniam non traditam vexabitis, nunc propter traditam accusabitis, nihil prohibebit quo minus et tertium quippiam posthac ex cogitatis de quo iterum actionem instituatis: sed leges ista vetant, et semel iisdem de rebus cum codem agi jubent.

5. Ut autem intelligatis, Athenienses, eis non modo nunc injuriam non fieri, sed et illos ipsos nobis contra omnes leges facessere negotium, eam quoque legem vobis recitabo, quæ aperte dicit, si quinquennium præterierit, nec in judicium venerint, cum pupillis agere non licere earum rerum quæ ad tutelam attineant. Etiam hæc lex vobis recitabitur.

LEX.

Auditis, Athenienses, legem palam dicere, nisi intra quinquennium egerint, post non licere agere? Atqui egimus, inquiet. Sed iidem et transegistis: proinde vobis rursus actio danda non est. Alioquin iniquum fuerit, cum lex pupillis primarum etiam injuriarum extra quinquennium actionem non det in tutores qui non absoluti sunt, vos contra nos illorum filios, iis de rebus quas ipsi transegistis, vigesimo nunc anno jus persecui.

6. Audio autem eos rerum ipsarum et legum jura declinaturos: dicturos autem, magnam sibi pecuniam relictam, eaque se fraudatos esse, et argumento usuros, magnitudine actionis quam ab initio instituerint, et orbitatem deploratueros, et illam tutelæ rationem narratueros, eaque esse præsidia, quibus ritantur, quibusque vos a se posse decipi sperent. Ego vero ex judieii tum dietati magnitudine majus nobis argumentum suppeditari puto, patrem tum calumnia petitum esse, quam istis multis eos fraudatos esse. Nam qui octoginta sibi deberi talenta ostendere possit, tribus acceptis nemo cum reo transegerit: tantæ autem pecuniæ accusatus tutelæ nomine; nemo est, quin tribus talentis datis, periculum redimeret propter eas prærogativas quas tum isti natura habebant. Nam et pupilli, et adolescentes, et quales essent, ignoti erant: quæ omnes aiunt apud vos optimis quibusque causis plus valere.

7. Atque illud etiam me vobis ostensurum puto, vos eis de tutela dicentibus aliquid aures præbere non oportere. Si quis enim eis largiatur affectos eos esse injuriis quam fieri potest maximis deque his nunc omnia vere dicturos, illud vos opinor omnes fateamini, usu venisse jam quibusdam ut majoribus injuriis quam pecuniariæ rationes esse queant afficerentur. Nam et fortuitæ cædes fiunt, et ea violentur quæ non oportet; et multa ejus generis faeinora committuntur: sed tamen horum omnium terminus et satisfactio læsis præfinita est hæc, si cum adversario transegerint, et hoc jus tantum in omnibus valet, ut, si quis aliquem fortuitæ cædis convicerit et perspicue demonstrarit esse pollutum, et postea tamen placatus eum missum fecerit, ejusdem ejiciendi potestatem postea non habeat. Cum igitur quando de vita summisque rebus agitur

tantum transactione valeat rataque sit, in ratione pecuniaria causisque minoribus non valebit? Valebit profecto. Neque enim hoc gravissimum est, si ego jus meum a vobis non consequar: sed, si justa res ab omni ævo recepta, nunc abrogabitur.

8. Non locarunt nostram domum, fortasse dicent: non enim voluit patruus vester Xenopithes, sed, cum rem eam detulisset Nicidas, judicibus persuasit ut sibi ejus gubernandæ facultatem darent. Et hoc sciunt omnes. Multa vobis illi diripuerunt: proinde eam pœnam de eis sumpsistis, quam persuaderi vobis svistis, nec utique denuo vobis de me pœna sumenda est.

9. Ut ne vero ista putetis esse aliquid, et si hoc certe quidem iniquum est: qui enim esset æquum? ab iis qui cum auctoribus transegerunt rei ignaros accusari. Sed tamen, o Xenopithe et Nausimache, si magna vobis et admirabilia jura esse putatis, tribus talentis hue renumeratis pergitote: a quibus vero ne eos accusaretis tantam pecuniam exigistis, priusquam eandem reddideritis, tacere vos æquum est, et non accusare pariter et tenere. Nam ea esset summa iniqüitas.

10. Fortassis autem et instructas a se triremes prædicabunt, et suas opes in vos erogatas. Ego vero illud omittam, mentituros esse eos, et cum pleraque sua bona perdiderint, paucorumque republika partem ceperit, eos injustam et indebitam gratiam a vobis repetituros: nam et ipse postulo, Judices, ut omnibus nobis qui bene meremur de republica gratia quædam a vobis habeatur, quibus vero maxima? Illis nimirum, qui quicquid in ea re publice prodest, faciunt, id vero quod turpe esse omnes dicant et indecorum, non suscipiunt. Qui autem simul et publica munera obeunt et suam rem familiarem perdunt, opprobrium reipublicæ beneficii loco relinquunt; nemo enim ipse sese unquam accusavit, sed publice opes sibi ereptas esse dictitant: qui vero et quæ vos jubetis omnia strenue exsequuntur, et sua cæteris in rebus frugalitate rem domesticam tuentur, non eo nomine duntaxat illis præferendi sunt, quod sese utiles et præbuerunt et præbebunt, sed quod etiam sine contumelia vobis ea præstant. Nos autem tales in vos exstitisse constabit: istos vero missos faciam, ne sibi maledici querantur.

11. Neque mirabor, si et flere et se miserabiles facere conabantur. Ego vero adversus ista vos omnes sic existimare velim, turpe esse, ac potius injustum, eos qui helluando et cum Aristocrate Diognetoque et ejus generis hominibus debacchando sua male perdiderunt, nunc ut aliena rapiant plorare et lamentari. Illa vobis deploranda erant, quæ factitabatis: nunc vero lacrymandum non est, sed vos non transegisse ostendendum, aut vobis rursus actionem esse eārum rerum quas transegistis, aut adhuc esse justum sortiri iudicium, cum lex quinquennium præfinierit.

Hæc enim sunt de quibus hi judicant. Si vero hæc ostendere non poterunt, sicut non poterunt, nos omnes vos precabimur, Judices, ne nos istis condonetis, neve quartum eis patrimonium detis, cum alia tria male administrarint, unum quod a tutoribus cum bona gratia acceperunt, alterum quod propter actionem extorserunt, tertium quod nuper eripuerunt Æsio judicio victo : sed nos, ut æquum est, nostra tenere patiamini. Quæ vobis etiam dum penes nos fuerint utiliora erunt quam si penes istos sint; et justius profecto est nos nostra tenere, quam istos.

Non video, plura dicere quorsum attineat: arbitror enim vos nihil eorum ignorare quæ diximus. Exime aquam.

**DEMOSTHENIS
ORATIONUM PRIVATARUM
INTERPRETATIO LATINA.**

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS BŒOTUM DE NOMINE.

MANTIAS, unus ex iis qui Athenis in magistratu fuerunt, e legitima uxore filium suscepit eum qui nunc litigat. Consuetudinem autem habuerat cum quadam Plangone, amoris ductus illecebris, Attica muliere. Hujus duo filii adulti, Mantiam in jus vocant, suuu esse patrem dicta: is vero negat. Deinde agnoscit eos filios, sua ipsius provocatione coactus et deceptus. Cum enim Plaugonem jurare de filiis jussisset, an revera ex ipso essent nati, et pollicitus esset, si jurasset, se jusjurandum ratum habiturum: eo deceptus est, quod mulierem non juraturam putabat. Nam ea de causa magni ei præmium promiserat. Alique, ut is ait qui causam hanc dicit, clam ei jurarat Plango se delatum jusjurandum recusaturam. At illa, quum is eam provocatione lacesseret, violata pactione jurat; sic ille filios aguoscere coactus, post moritur. Filius igitur legitimæ uxoris alterum adoptivorum de nomine in jus vocat, asserens cum Bœotum esse nominandum, sicut initio fuerit nominatus, et non Mautitheum: illud enim ci nomen a patre fuisse ab initio inditum. Prima fronte igitur homo curiosus esse et amans litium videatur, qui de nomine rixetur: sed iu oratione tamen argumenta satis multa afferuntur, cur et publice et privatim incommoda sit nomini similitudo.

D E M O S T H E N I S A D V E R S U S BŒOT U M D E N O M I N E O R A T I O .

I. NULLA curiositate rixandive studio, testor deos, Judices, actionem hanc contra Bœotum institui, quamvis non ignorarem multos fore quibus ineptum videretur me propterea in jus aliquem vocare, quod eodem se nomine quo ego me appellandum censeret: sed quod necessarium fuisse ob ea quæ eventura erant, nisi id præcavisse, apud vos disceptare. Quod si iste se alterius cuiusdam esse patris diceret, non mei, jure videri ineptus potuissem, qui curarem, quocunque isti se appellare nomine libuisset: nunc in jus vocato patre meo, adscitoque sibi calumniatorum sodalitio, Mnesticle quem forte nostis omnes, et Menecle illo qui Ninum ream pergit, et ejus generis aliis, eum accusavit, cum filium ejus esse se e Pamphili filia, et inique secum agi diceret, qui patria spoliaretur.

2. Pater autem—omnis dicetur veritas, Judices—simul veritus venire in judicium, ne quis, ut a versato in republica alibi uspiam

offensus, ibi in se incurset; simul deceptus a matre istius, quæ jurarat, se delato sibi jurejurando ea de re non juraturam, iisque factis nullam inter ipsos amplius fore controversiam, et cum certam pecuniam ipsa apud sequestrem deponi jussisset, tunc ex compacto jusjurandum ei defert: quo illa accepto, non modo istum, sed una cum eo etiam alterum juravit e patre meo esse genitum. Quo facto, illi necesse fuit istos ad curiales introducere, neque ulla reliqua fuit excusatio. Introduxit, adoptavit, ut quæ intercesserunt resecem, in album inscripsit Apaturiis, istum apud curiales Bœotum, alterum autem Pamphilum: ego vero Mantitheus inscriptus eram. Cum vero sic accidisset ut pater antequam in municipium adscripti essent moreretur, iste ad municipes venit, et pro Bœoto se Mantitheum inscribit. Quod quantum incommodet primum mihi, deinde vobis etiam, ego docebo, ubi eorum quæ dico testes produxero.

TESTES.

Quem igitur ad modum nos pater inscriperit, e testibus audivistis: me autem, quod iste violandum jus sibi dicit, actionem hanc instituisse necessario, id jam ostendam. Ego enim non profecto homo sum adeo stupidus aut incogitans, ut, cum patrimonii, quod omne fiebat meum, postquam istos adoptarat pater, tertiam auferre partem concesserim, in eaque re acquiescam, de nomine litem intenderem: nisi mutatio nominis et mihi magnam ignominiam pareret ignaviæque probrum, et idem istum habere nomen propter multa ferri non posset.

3. Primum enim, si publica privatis anteferenda sunt, quo nobis respublica mandabit modo, si quid erit obeundum? Num ita decernent tribules, ut de aliis? Proinde Mantitheum Mantiæ filium Thoricum me decernent, si ædilem aut gymnasiam aut convivatorem aut aliud quippiam reliquorum munerum decreverint. Qua autem re discernetur, mene an te decreverint? Tu enim me dices, ego te. Jam vero nos prætor vocat, aut alias apud quem causa est agenda: non præsto sumus, non obimus mandata munera. Uter igitur legum pœnis tenebitur? Quo autem pacto imperatores inscrivent, si in classem inscrivent? aut, si triremi præfectum constituent? aut, si qua erit expeditio, qui cognoscetur, uter sit delectus? Quid, si quis alias magistratus mandarit munus publicum, ut prætor, rex sacrificulus, præfector ludorum? Quæ nota erit, utri mandarint? Adscribent, nimirum, illum e Plangone natum, si te inscripserint: sin me, matris nomen adjicient? Ecquis unquam audivit, aut qua lege talis appendix adscribetur, aut aliquid aliud, quam pater et municipium? Quæ cum utrinque sint eadem,

magna orietur perturbatio. Age vero: si judex citetur Mantitheus Mantiæ F. Thoricius, quid agemus? an ambulabimus uterque? Qui enim dignoscetur, tune an ego sim citatus?

4. Age vero, deum immortalem, si publice de quoconque magistratu fiet sortitio, ut, de senatu, sexviratu, reliquis, qui discernetur uter nostrum sit creatus? Nisi forte nota ut æneo vasi aut alteri cuipiam rei adjiciatur: ac ne ea quidem utrius sit vulgus agnoscat. Proinde ego me creatum contendam, tu vero te. Reliquum erit ut nos in judicium veniamus. Propter igitur singula hujus generis ciyitas judicium nobis convocabit, ac eo quidem quod par et æquum est, ut is cuius sors exierit magistratu fungatur, fraudabimur: alter autem alterum verbis insectabimur, et is imperabit qui fuerit oratione superior. Utrum vero magis nobis expediet hisce difficultatibus liberari, an mutuis odiis aut maledictis nos invicem prosequi? quæ omnino existere necesse est, cum inter nos contentio de magistratu aut simili re orietur. Quid vero si forte—nam omnia perquirenda sunt—alteruter nostrum alteri persuaserit, ut ipse creatus alteri magistratum tradat, atque ita sortiatur? Unum duabus sortiri tabellis, quid est aliud? Itane quod legibus extremo suppicio mulctatur, id impune licebit nobis? Omnino: at id non faciemus, novi et ego, quod ad me quidem attinet. Sed ne suspectos quidem aut reos fieri talis mulctæ aliquos bonum est, si cavere liceat. Esto.

5. Sed hæc publice nocent: mihi vero privatum quid incommodant? Spectate quantum, et considerate, an mihi causa esse videatur: nam hæc longe iis quæ audistis graviora sunt. Vidistis omnes istum Menecle, dum is viveret, et illius gregalibus uti familiariter, nunc vero aliis nihil illo melioribus, et talia studio habere, et eloquentem videri velle. Et est fortasse, ita me amet Jupiter, eloquens. Quod si progressu temporis eadem facere instituerit, ea vero sunt, accusations, indicationes, delationes, abductiones; et in eorum aliquo—multi enim sunt humani casus, et exercitatisimos quosque sæpe, si nimis insolescere cœperint, vos coercere scitis—publice mulctatus fuerit, qui magis iste inscribetur quam ego? Scient omnes credo uter sit damnatus. Bene. Si vero, quod fortasse fiet, mora intercesserit et mulcta dissoluta non fuerit, qui magis istius liberi quam mei inscripti erunt, cum et nomen et pater et tribus eadem erunt omnia? Quid, si quis, actione unde vi contra eum instituta, mihi nihil secum esse rei dixerit, sed eam ratam habitam inscripserit, qui magis istum quam me inscripserit? Quid vero, si qua tributa non pependerit? Quid, si qua alia in nomen hoc actio instituatur, aut judicium, aut rumor sinister oriatur? Quis sciet e populo, uter ille sit, cum duo sint Mantithei patre eodem? Age vero, si desertæ militiæ accusetur, si cum mili-

tandum esset saltet? Etenim nunc, ubi alii Tamynas profecti sunt, iste Choas agens hic remansit: Bacchanalibus item remansit et saltavit, ut videbatis omnes qui aderatis. Regressis autem ex Eubœa militibus, ut ordinum desertor citatus est; egoque, qui meæ tribus ordines ducebam, sum coactus contra nomen meum patrium admittere actionem, et, si merces judicibus numerata esset, introduxissent me haud dubie: ea vero nisi consignatis jam arculis accidissent, etiam testes vobis produxissem. Esto. Quid si peregrinitatis accusetur? multorum autem odia suscipit, neque ignotum est, quo pacto eum pater adoptare sit coactus. Vos autem, cum pater eum non adoptaret, matrem ejus verum dicere putabatis: ubi vero ita natus ita turbulentus fuerit, rursum vobis aliquando videbitur ille dixisse verum. Quid vero, si se falsi testimonii convincendum putans, propter locatas suis gregalibus operas, vadimonium deseruerit? Numquid leve ducitis incommodum, Athenienses, totam exigere vitam in communione existimationis et factorum istius? An autem ea, quæ recensui vobis, frustra metuam, spectate. Iste jam aliquoties publice accusatus est, Athenienses, quibus rebus ego prorsus insons, una in crimen vocor; et de eo magistratu, quem vos mihi decreveratis, contendit; multaque molesta nobis propter nomen acciderunt, quorum, ut sciatis, singulorum testes vobis producam.

TESTES.

6. Videtis, Athenienses, quæ fiant, et hujus negotii molestiam spectatis. Quod si nulla ex hac re molestia oriretur, neque omnino fieri non posset ut idem nomen haberemus, num æquum esset, ut iste partem mearum facultatum per adoptionem teneret, ad quam patrem adegit, ego autem nomine spoliarer, quod mihi volens et a nemine coactus idem imposuit? Evidem non existimo. Ut autem sciatis, me a patre non modo apud curiales sic, ut a testibus dictum est, inscriptum esse, sed decima etiam facta nomen hoc mihi indicatum, cape et hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Auditis, Athenienses, nomen hoc mihi fuisse omni tempore, istum vero Bœotum a patre, postquam coactus est, esse inscriptum apud curiales? Libenter autem interrogarim eum coram vobis, nisi obiisset pater, quidnam egisses apud populares? Non permisisses illi ut te Bœotum inscriberet? At absurdum fuisset ea de re judicium adipisci, eamque rursus prohibere. Quod si permisisses, eodem te modo inscripsisset apud populares, quo apud curiales. Ferendum

igitur est, o dii immortales, ut eum suum esse patrem dicat, idemque irrita facere, quæ is vivens egit, non dubitet.

7. Apud arbitrum autem rem impudentissimam dicere fuit ausus, patrem pro se perinde ut pro me fecisse decimam, idque nomen ei indidisse, et testes quosdam produxit, quorum uti consuetudine patrem meum nemo unquam vidit. Ego vero neminem vestrum ignorare arbitror, neque decimam facturum esse quemquam de filio, quem non jure putet esse suum, neque si fecerit et dilexerit, ut filium diligi moris est, rursus fuisse ausurum inficias ire. Neque enim, tametsi matri istorum iratus fuisset, istos prosecutus esset odio, quos quidem suos esse putasset. Multo enim magis solent maritus et uxor ortas lites propter liberos componere, quam propter eas injurias, quibus alter alterum affecit, etiam communes odisse liberos.

8. Neque vero ex his solum perspici potest, mentiturum esse istum si hæc dixerit, sed, priusquam nostrum esse cognatum diceret, Hippothoontiam frequentabat tribum, ut in cœtum puerorum reciperetur. Quis vero vestrum putat matrem misisse istum in eam tribum, magnis sane ut ait affectam a patre injuriis, quæ quidem sciret eum fecisse decimam, et rursus ire inficias? Ego certe puto neminem. Nam Acamantiam æque tibi frequentare licuisset, visa-que esset illa tribus consentanea nominis impositioni. Ut igitur hæc a me vere dici constet, eorum vobis testes producam sodales ejus et rei gnaros.

TESTES.

9. Quum igitur ita palam, propter matris suæ jusjurandum et ejus qui ei jusjurandum dederat simplicitatem, patrem nactus sit, non in Hippothoontia sed in Acamantia tribunatus, non contentus est hisce Bœotus, sed judicia duo aut tria pecuniaria mihi dictavit, præter ea quibus me prius calumniatus fuerat. Quamquam autem vos omnes scire arbitror, quam pecuniæ faciendæ studiosus pater meus fuerit: ego tamen id omittam. Sed, si mater istorum vere juravit, calumniatorem istum egisse in illis actionibus aperte ostendam. Nam si ita sumptuosus fuit, ut, legitimo matrimonio ducta matre mea, aliam uxorem haberet cuius vos estis, et binas familias aleret, qui potuit illis moribus pecuniam relinquere?

10. Non ignoro autem, Athenienses, Bœotum nihil posse justi afferre: sed ad ea venturum, quæ subinde inculcat, patrem, a me impulsum, hostili fuisse in se odio; seque postulare, ut natu majorem, paterni avi nomen. Ad quæ refutanda vos pauca audire præstat. Ego scio me istum, antequam cognatus mihi fieret, si ita ut aliis quispiam ex adspectu judicandus est, vidiisse natu minorem, idque multo; non tamen hoc nitor, ineptum enim fuerit. Sed

Bœotum roget aliquis, cum in Hippothoontiæ tribus cœtum se ingereret, et nondum se mei patris diceret esse filium, quodnam nomen te ipsum vere habuisse affirmaris? Quod si Mantithci tibi nomen placebat, non propterea profecto placuit quod esses me natu grandior. Nam qui tum ne tribum quidem meam ad te attinere putabas, quo pacto avum tibi meum vindicare potuisti? Præterea vestrum, Athenienses, numerum annorum novit nemo, ego enim mihi, iste sibi plures esse dicet: sed rationem justitiæ nostis omnes. Ea vero quæ est? Ex quo tempore pater istos adoptavit, ab eo etiam filios existimari prius autem me apud municipes Mantitheum inscripsit, quam istum ad curiales introduceret. Quare non ætate tantum, sed jure etiam ego nomen hoc prærogativæ loco merito habuero. Esto.

11. Quod si quis te roget, dic mihi, Bœote, qui nunc in Acamantiam tribum translatus es, et municipium Thoriciun, et factus Mantiæ filius, et portionem relictæ ab illo hæreditatis habes? Nihil aliud respondere queas, nisi hoc, et me dum viveret Mantias adoptavit. Quod argumentum, si quis te roget, aut testimonium ejus rei tibi est? Ad curiales me introduxit, dices. Quo igitur te nomine inscripsit, si quis roget? Bœoti respondebis: eo enim introductus es. Iniquum igitur est, te, qui civitate et relictis ab eo bonis propter istud nomen fruari, eo repudiato aliud tibi adsciscere studere. Age, si pater vitæ restitutus, aut eo te quo adoptavit nomine contentum esse, aut alium tibi patrem quærere juberet, nonne æquum postulare videretur? Eadem igitur illa ego a te postulo, ut aut alterius esse patris te profitearis, aut id nomen retineas quod ille tibi dedit. At Hercule, contumelia quadam et insectatione id tibi factum est. Sed sæpe, cum pater istos adoptare nollet, dicebant isti, matris suæ cognatos nihilo esse deteriores patris mei cognatis; Bœotus autem nomen est avunculo istius: posteaquam igitur pater introducere istos cogebatur, cum ego ante Mantithei nomine introductus essem, sic istum Bœoti, fratrem ejus Pamphili nomine introducit. Tu vero ostende quemquam Atheniensium, qui duobus suis filiis idem nomen imposuerit, quod si ostenderis, ego concedam patrem istud tibi nomen per contemptum indidisse. Quanquam si talis eras, ut adoptari te cogeres, quo autem pacto ei placeres non cogitares, ignoro qualem oporteat esse germanum filium erga parentes: quod si germanus non eras, non modo jure contemptus esses, sed etiam periisses. Alioqui esset indignum, cum leges de parentibus latæ in filios a patre agnitos valeant, easdem in eos qui invitox ad se adoptandos cogunt non valere.

12. Sed, o molestissime Bœote, imprimis ab omnibus quæ factitas desistito: quod si omnino non vis, in eo saltem, obsecro te, obtemperato. Desine tibi ipsi facessere negotium, desine me calu-

mniari. Contentus esto civitate, opibus, patre, inventis: nemo te hisce pellit; ego certe non. Sed si, ut profiteris, frater es, si et fratris fungere officiis, cognatus esse videberis: sin autem insidiaris, litigas, invides, maledicis, videberis in aliena incidisse, eisque sic uti ut quæ ad te nihil attineant. Nam ego quidem, ut maxime te pater cum suus esses non adoptaret, injuriam tibi non facio. Nec enim me exquirere decet, qui sint illius filii: sed illum ostendere decuit, qui mihi pro fratribus habendi essent. Quo igitur tempore te non adoptarat, neque ego te ad me attinere putabam: postquam autem adoptavit, et ego te agnosco. Quo signo? Patrimonii portionem habes post obitum patris, et in sacrorum et profanorum societatem venisti: istis nemo te expellit. Quid requiris?

13. Si vero inique secum agi dixerit, si fleverit et ejularit meque, accusarit, verbis ejus nolite credere—neque enim æquum est, cum nunc ea res non agatur—, sed illud existimate, posse nihilominus eum si Bœotus vocetur pœnas a me sumere. Quid igitur contendis? Ne feceris. Ne ita studiose nostras inimicitias expetieris: neque enim ego tuas expeto: Nam etiam nunc—ne te hoc prætereat—me tuam agere causam potius profiteor, quam meam, dum id ago ne idem uterque nomen habeamus. Ut enim nihil aliud, illud certe fieri necesse est ut qui audierit, querat, utrum? si duo fuerint Mantithei Mantiæ filii. Proinde, cum te dicet, eum inquiet, quem adoptare coactus est. Quid igitur hæc expetis? Cape duo ista testimonia et recita, unde constabit, patrem mihi Mantithei, et isti Bœoti nomen imposuissc.

TESTIMONIA.

14. Hoc restare censeo, vobis ut ostendatur, Judices, vos non modo religioni vestræ consulturos, si ea quæ ego dico decreveritis; sed istum ipsum etiam suopte judicio Bœoti nomen, non Mantithei habere oportere. Nam cum ego judicium hoc dictassem Bœoto Mantiæ F. Thoricio, et statim respondit et calumniam jurat, se esse Bœotum profitens: denique, cum tergiversari diutius non liceret, se absentem damnari ab arbitro passus, quid obsecro facit? Diem vicissim mihi dicit judicium esse nullum, is qui se ante Bœotum nominarat. Atqui eum ab initio contra Bœotum pronunciari judicium pati, siquidem id nomen nihil ad ipsum attinebat, et non post diem vicissim diccre de nullo judicio, oportebat. Qui igitur ipse Bœotum jure esse se pronunciavit, quid a vobis juratis judicibus pronunciari postulabit? Ut autem hæc a me veri dici constet, cape resortionem, et accusationem hanc.

RESORTITIO. ACCUSATIO.

15. Quod si iste legem ostendere poterit, quæ filii suorum non minum potestatem dat, id quod iste nunc dicit, recte comprobabitis. Sin lex, quam omnes nostis æque tecum, in parentes auctoritatem confert non modo imponendi nominis, sed et rursus delendi, si voluerint, et abdicandi; egoque ostendi patrem, cui lege potestas ea dabatur, isti Bœoti, mihi vero Mantitheo fecisse nomen, qui vos potestis alia, quam quæ ego dico, pronunciare? Præterea quarum rerum nullæ exstant leges, de iis vos ex æquo et bono suffragia laturos jurastis. Proinde, si nulla esset hac de re lata lex, etiam tum jure pro me sententiam ferretis. Quis enim vestrum est, qui duobus filiis idem nomen imposuerit? Quis vero, cui nondum liberi sunt, imponet? Nemo profecto. Quod igitur apud vos vestrīs liberis esse æquum statuitis, idem etiam de nobis pronunciare fuerit religiosum. Quare, ex æquo et bono, ex legibus, e jurejuringando, ex istius ipsius confessione, ego quidem æqua a vobis oro, et justa peto: iste vero non solum non æqua, sed etiam inusitata.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS BŒOTUM DE DOTE MATERNA.

ETIAM hæc et ab eodem et contra eundem dicta est oratio. Ac cætera quidem omnia sunt eadem, Plango, jusjurandum, filiorum coacta adoptio. Defuncto autem Mantia, filii ejus tres, Mantitheus e legitima uxore susceptus, et Bœotus ac Pamphilus Plangonis filii, hereditatem divisserunt. Afferente autem Mantitheo dotem sibi materiam deberi, Bœotus ac Pamphilus et ipsi de dote contendunt, quasi Plango etiam in Mantie familiam centum minas contulisset. Convenit igitur inter eos ex æquo omnia partienda esse, præter aedes, ut utri parti mater attulisse dotem probatur, ei de ædibus illa pecunia redderetur: et præter mancipia, ut Bœotus cum fratre, si quid domesticum requirerent, haberent quo coarguerent. Post hæc se mutuo accusant, Mantitheus illos de maternis facultatibus, illi hunc de aliis quibusdam rebus. Ac arbiter Mantitheum absolvit, Bœotum condemnat absentem. Quem: eadem actione Mantitheus in judicium vocat, dotem maternam repetens.

DEMOSTHENIS ADVERSUS BŒOTUM DE DOTE MATERNA ORATIO.

I. OMNIUM molestissimum est, Judices, cum quis nomine frater eorum appellatur, quos ipsa re hostes habet, et multis magnisque affectus ab eis injuriis, in judicium venire cogitur, id quod mihi nunc usuvenit. Neque enim ea solum ab initio calamitas mihi accedit, ut Plango, istorum mater, patrem meum manifesto perjurio deceptum ad istos adoptandos adegerit, egoque propterea duabus patrimonii partibus sim fraudatus: sed præter hæc etiam paternis ædibus ab ipsis exactus, in quibus et natus sum et educatus, et in quas non pater eos, sed ego, defuncto illo, recepi; fraudor etiam dote materna, de qua nunc ago. Cum ego eis de omnibus quæ querebantur satisficerim, præterquam si qua nunc propter judicium hoc resortitione instituta per calumniam postulant, ut vobis declarabitur: ab ipsis autem cum undecim annis nihil æqui potuerim impetrare, nunc ad vos configio, atque omnes vos oro, Judices, ut me benigne, sic ut potero dicentem, audiatis, et, si mecum inique actum putabis, veniam detis mea recuperare cupienti, ad filiæ præsertim elocationem; accedit enim, ut propter patris preces decem et octo natus annos uxorem duxerim, proptereaque mihi filia sit jam nubilis. Proinde et me affectum injuria merito propter multa juvabit: et ipsis irascemini, qui, proli divum fidem, cum liceret

eis præstitis iis quæ æqua sunt judicio supersedere, non verentur vobis in memoriam revocare, si quid aut pater noster non recte fecit, aut ipsi in eum deliquerunt, meque secum litigare cogunt. Ut autem certo sciatis, ejus rei causam me non esse, sed istos, rem omnem ab initio vobis, quam potero brevissime, explicabo.

2. Mater mea, Judices, filia fuit Polyarati Cholargensis, Menexeni, Bathylli et Periandri soror. Cum vero pater eam Cleomedonti Cleonis filio despondisset, et talentum dotem addidisset, primum ejus materfamilias fuit: natus autem ei tribus filiabus, et uno filio Cleone, maritoque postea defuncto, deserta familia et recepta dote, rursus eam elocantibus fratribus Menexeno et Bathyllo—nam Periander puer adhuc erat—et talentum addentibus, nupsit meo patri. Egoque natus eis sum, et alias frater me junior qui puer obiit. Ut autem constet me hæc vere dicere, primum testes producam.

TESTES.

Matrem igitur meam pater meus ita ductam uxorem domi suæ habuit, meque et erudiit et dilexit, quemadmodum et vos omnes vestros liberos diligitis: cum matre autem istorum Plangone consuetudinem habuit, quocunque modo—neque enim hoc explicare meum est—, neque tamen eo usque cupiditati succubuit, ut eam, vel mortua matre, in ædes ad se recipere dignatus fuerit, aut credere voluerit istos ex se esse natos. Reliquo igitur tempore isti ita vivebant ut qui patris mei non essent, ut et vestrum plerique norunt: posteaquam autem iste adoleverat, officinam calumniatorum sibi adscivit, quorum dux erat Mnesicles et Meneclæ ille qui Ninum ream peregit, illisque patronis patri meo diem dixit, ejus esse filium se asserens. Cum autem his de rebus sæpe conveniretur, et pater sibi nulla ratione persuasum iri diceret istos ex se esse natos, tandem Plango, Judices,—omnis enim apud vos dicetur veritas—, cum Meneclæ patrem meum ex insidiis aggressa, jurejurando, quod maximum et sanctissimum apud omnes habetur, decepit, pollicita se triginta minis acceptis, filios fratribus suis adoptandos daturam; quod si a patre ad arbitrium vocaretur ut juraret, filios ex ipso esse natos, se eam conditionem non accepturam: his enim ita factis, neque istos civitate privandos, neque patri porro molestos futuros, jurejurando a matre ipsorum non recepto. His concessis, quid vobis multa dicam? Ut enim ad arbitrium venit, neglectis pactis omnibus Plango, et conditionem accipit et in Delphinio jurat aliud jusjurandum priori contrarium, ut et vestrum plerique norunt: res enim celebrata est. Sic pater meus propter suam provocationem arbitrium ratum habere coactus, indignabatur et rem graviter fere-

bat, et quanquam in ædes ne sic quidem istos recipere dignabatur; ad curiales tamen introducere coactus, istum Bœotum inscripsit, alterum Pamphilum. Mihi vero statim persuasit annos circiter octodecim nato ut Euphami filiam ducerem, quia liberos e me natos videre cupiebat. Ego vero, Judices, existimans oportere cum prius, tum vero illis eum judicio vexantibus et negotium facessentibus, me contra eum exhilarare, faciendis omnibus quæ grata fore putaram, obtemperavi. Cum vero ego eo modo matrimonium contraxissem, ille visa filiola mea non multis annis post ex valetudine moritur. Ego autem, Judices, nec viventi patri adversandum esse ratus sum; eoque mortuo, eos et in ædes recepi, et omnes facultates cum eis partitus sum, non ut cum fratribus—nam nec vestrum plerosque latet quo pacto isti nati sint—, sed quod existimabam, postquam pater deceptus esset, mihi vestris esse legibus obtemperandum. Sic in ædes a me recepti, ut patrimonium dividebamus, postulante me ut matris meæ dos mihi redderetur, et ipsi vicissim aequaliter asserentes et suæ matri tantundem dotis deberi: sumus autem de eorum sententia qui nobis aderant, cætera quidem omnia partiti, ædes autem et pueros patris ministros exemptos fecimus, ut ex ædibus, utris deberi dotem compertum esset, ii eam reciperent, de pueris autem communibus, si quid isti paternarum facultatum desiderarent, sciscitarentur, et quæstiones haberent, et alio quovis modo inquirerent. Quæ me vere dicere, ex his testimoniis intelligetis.

TESTIMONIA.

Post hæc et isti me in jus vocabant propter ea quæ petebant, et ego eosdem propter dotem. Ac primum, Solone Erchiense arbitro designato, ei potestatem fecimus mutuas lites nostras disceptandi: ut autem isti se non sistebant, sed judicium detrectabant, et multum temporis conterebatur, accidit ut Solon moreretur; ibi me isti rursus de integro in jus vocant, ego item istum, citato eo et Bœoti nomine in actionem inscripto; sic enim pater eum nominarat. Quibus igitur de rebus isti me accusabant, præsente isto et respondentे, cum nihil eorum quæ accusabant probare posset, absolvit me arbiter.. Tum iste conscient se mihi per injuriam intendere litem, neque ad judices appellavit, neque etiamnum iis de rebus ullum judicium mihi dictavit, sed de aliis quibusdam: refutaturum se illis criminibus id judicium existimans, quo ego tum eum de dote accusabam. Cum vero iste hic esset et ad arbitrium non veniret, absens ille quidem condemnatur. Cæterum, Judices, neque tum coram respondet, et se arbitri sententia per me damnatum esse negat; neque enim sibi Bœoto, sed Mantitheo esse nomen: itaque

de nomine contendens, reipsa me dote matris fraudat. Ego vero inops consilii et quo me verterem nesciens, sic rursus eodem iudicio actione contra Mantitheum instituta ad vos nunc anno undecimo confugi. Quæ ut a me vere dici constet, legentur vobis harum rerum testimonia.

TESTIMONIA.

Matrem igitur meam, Judices, talento allato, a fratribus suis elocatam, ut leges jubent, patri meo nupsisse; et, a me istos in ædes receptos defuncto patre; et, me iis actionibus esse absolutum, quibus me accusarunt: hæc omnia e testibus audita et demonstrata sunt. Abi cape lègem istam de dote.

LEX.

Cum igitur lex ita se habeat, arbitror istum sive Bœotum, sive Mantitheum, seu quo alio nomine se appellari gaudet, justam quidem defensionem et veram allaturum nullam, daturum autem esse operam, audacia sua et confidentia fretum, ut suas calamitates mihi imputet, id quod etiam privatim facere consuevit, aiens, Pamphili facultatibus publicatis, qui pater fuit Plangonis, reliquam pecuniam patrem meum accepisse e curia: et ita declarare studens suam matrem dotem attulisse amplius centum minas, meam sine dote nupsisse asserit. Ea vero commemorat, Judices, neque adducto ullo testimonio, neque ignarus se nugas agere: sed certo sciens, qui confiteretur se deliquisse apud vos absolutum esse neminem, mentientem autem et effugia quæritantem jam aliquem impune abiisse. Ne vero ab eo decipiamini, consultius mihi videtur pauca de ista re apud vos dicere.

3. Ubi enim dixerit, matreni meam non attulisse dotem, suam vero attulisse, animadvertis eum palam mentiri. Primum enim Pamphilus, pater matris eorum, quinque talentis ærario obstrictus obiit: tantumque abfuit ut quicquam ejus liberis, descriptis illius opibus et publicatis, superfuerit, ut nec debitum ejus omne sit solutum, sed etiam nunc Pamphilus ut ærarius sit inscriptus. Qui potuit igitur fieri ut pater meus a Pamphili opibus aliquid acceperit, quæ mulctam solvere civitati non potuerunt? Deinde cogitate, Judices, si vel maxime superfluisse pecunia, quam isti dicunt, eam non meum patrem fuisse accepturum, sed Pamphili filios, Bœotum, Hedylum, et Euthydemum, qui cum propter aliena capienda quidvis egerint, ut et vos omnes nostis, sua utique patri meo non concessissent.

4. Ac matrem istorum non attulisse dotem, sed istos mentiri, satis vos cognovisse existimo: meam autem matrem attulisse, fa-

cile ostendam. Primum enim Polyarati filia fuit, qui et a vobis colebatur et magnas opes possidebat. Postea testatum vobis est, etiam sororem ejus tantundem attulisse dotis et Eryxiimacho affini Chabriæ nupsisse. Præterea constat, matrem meam nupsisse primum Cleomedonti, cuius patrem Cleonem ferunt apud majores vestros suo ductu et auspiciis multos Lacedæmonios Pyli vivos cepisse, summaque inter cives gloria floruisse: quare, nec ejus filium eam indotatam ducere conveniebat, neque Menexenum et Bathylum consentaneum est, qui et ipsi magnas opes haberent et dotem Cleomedonte mortuo recepissent, ea sororem suam defraudasse, sed ipsos adjecisse aliquid et patri collocasse, ut et ipsi apud vos et cœteri necessarii testati sunt. Sed his omissis cogitate, quamobrem pater, si mea mater desponsa non fuisse neque dotem attulisset, istorum vero attulisset, istos suos negasset esse filios, me autem et agnovisset et instituisset? Ut scilicet et mihi gratificans et matri meæ, istos ignominia afficeret? At ea quidem obierat, me parvo puero relicto, istorum vero mater Plango, et ante et post eleganti forma mulier, cum eo rem habebat: quare multo credibilius erat eum propter viventem mulierem, quam adamabat, defunctæ filium contemnere, quam propter me et defunctam filios e vivente muliere susceptos, cuius consuetudine uteretur, non agnosceret. Atqui eo iste venit audaciæ, ut aiat patrem meum pro se decimam solenni convivio celebrasse: eaque de re Timocratis solum et Promachi testimonium exhibuit, qui nec ulla cognatione patrem meum attingunt, neque illi amici fuerunt; itaque manifeste falsa testati sunt, ut, quem vobis omnibus consciis iste in jus vocatum coegit ad se adoptandum, eum isti, tanquam qui duo soli viatores sint, testentur pro hoc decimam celebrasse. Quibus quis vestrum credat? Jam nec illud ei licet dicere, se parvulum quidem a patre agnatum, grandiorum autem factum, ab eodem, matri ipsorum irato, repudiatum. Multo enim magis certe solent uxor et maritus orta jurgia propter liberos deponere, quam propter iras inter se communes etiam liberos odisse.

5. Proinde, si hæc dicere instituerit, ne feratis ejus impudentiam: sin de causis dixerit quarum me absolvit arbiter, seque a me imparatum esse oppressum causabitur, primum memineritis, non parvum tempus fuisse, quo illum se parare oportuit, sed multos annos; deinde, eum fuisse actorem, quare multo probabilius erat, me ab eo imparatum oppressum, quam eum a me; ad hæc, coram vobis omnes qui apud arbitrum affuere testati sunt, istum præsentem, cum me arbiter absolveret, nec ad judicium appellasse, et in arbitrio acquievisse. Absurdum autem mihi videtur, cum alii, qui injuriam sibi fieri putant, etiam causas omnino minutias ad vos

revocent: istum actione talenti dotis adversus me instituta, tum, ut ipse ait, injuste damnum, arbitri sententiam ratam habuisse.

6. At hercule homo quietus est, et non contentiosus. Vellem equidem, Judices, eum esse talem. Nunc vos ita estis æqui et humani, ut nec triginta tyrannorum filios agere in exsilium volueritis: iste autem, cum Menecle omnium istarum rerum architecto, insidiis mihi collocatis, et propter jurgium et convicium manibus consertis, capite suo insecto, ob vulnus in Areopagum me citavit, ut urbe exterminaret. Quod, ni Euthydicus medicus, ad quem isti primum venerant, rogantes ut caput incideret, ipse apud Areopagitum senatum omnem veritatem dixisset, tale supplicium iste de me innocente sumpsisset, quale vos ne de iis quidem qui summis vos injuriis affecissent sumeretis: Ne autem eum calumniari videar, lege mihi testimonia.

TESTIMONIA.

7. Hoc igitur tantum et tam formidabile discrimen iste contra me non ut homo simplex, sed ut insidiator et maleficus, instruxit: deinde loco nominis, quod ei pater indiderat, Bœoti, ut et apud vos testatum est, eo defuncto, Mantitheum se apud municipes inscripsit, et cum ab eodem et patre et populo mecum appelletur, non solum hanc causam, quam nunc ago, fecit irritam, sed etiam, cum vos me ordinibus præfecissetis, ipse in judicium venit ut approbareatur, cumque eo judicio unde vi convictus esset, non se convictum esse dicit, sed me. Ut autem summatim dicam, facessendis mihi negotiis et malis mihi dandis, me coegit in jus eum vocare de nomine, non ut pecuniam ab eo acciperem, Judices, sed ut, si vos putaretis inique mecum agi et me magnis damnis affici, iste Bœotus vocaretur, eo nomine quod ei pater imposuit. Ut igitur constet, me et hæc vere dicere, cape harum etiam rerum testimonia.

TESTIMONIA.

8. Ad hæc, quod ego, cum militarem, et cum Aminia milites conducerem, tum aliunde pecuniam coegi, tum Mitylenis ab hospite vestro Apollonide et a reipub. nostræ amicis trecentos stateres Phocaicos acceptos, militibus expensos tuli, ut aliquid et vobis et illis utile gereretur, de illis pecuniis me in jus vocat, quasi paternum debitum exegerim a civitate Mitylenæorum, Cammæ tyranno Mitylenes obsequens, qui et vobis publice et mihi privatim est inimicus. Ut autem constet patrem nostrum, quod decreverunt ei munus Mitylenæi, statim ipsum accepisse; neque ullum æs

alienum Mitylenis habuisse, vestrorum amicorum testimonium exhibeo.

TESTIMONIUM.

9. Quanquam autem possem, Judices, alia multa et gravia referre, quæ iste et in me et in vestrum quosdam commisit, tamen ea cogor ob dati mihi temporis brevitatem prætermittere. Existimo enim et per hæc satis esse ostensum, non ejusdem esse hominis et mihi exsilii struere periculum, et lites ordiri non necessarias, ad arbitrum autem venire imparatum. Proinde ubi de his dicere instituerit, vos, opinor, ejus orationem non probabitis: sin dicet, se petente, ut omnium rerum arbitrium Cononi Timothei filio permitteretur, me consentire noluisse, cogitate, in animo ei esse vos decipere. Ego enim, quarum rerum controversiæ nondum judicio finitæ erant, eas paratus eram et Cononi, et alii arbitro æquo, cui iste vellet, committere: quibus autem de rebus ter apud arbitrum conventum erat præsentis isto et adversante, cum arbiter et me absolvisset, et iste sententiam ratam habuisset, ut et apud vos testatum est, non committendum esse duxi ut ea rescinderentur. Quis enim tandem transactionum exitus repertus esset, si et legitime pronunciata rescidisse, et alteri arbitro judicium earundem rerum detulisse? præsertim cum satis scirem, tametsi adversus alios æquum non esset arbitrii nisi, cum isto tamen sic agi omnium esse æquissimum. Nam, si quis eum peregrinitatis accuset, asserens, patrem jurejurando interposito negasse istum suum esse filium, alione firmamento nisi poterit, nisi eo, cum jurasset mater ipsorum, arbitri sententia damnatum, coactum esse patrem nostrum arbitrium ratum habere? Quid igitur fieri queat iniquius, quam istum ipsum arbitri sententia civem vestrum esse factum, et mecum divisisse patrimonium, et omnia quæ æqua sunt, esse consecutum, quibus autem ego causis isto præsente et accusante et judicata rata habente sum absolutus, eas irritæ ut fiant postulantem, æqua vobis videri dicere? quasi vero, cum isti expedierit, rata oporteat esse arbitria, ubi commodum non fuerit, ejus libidinem plus conveniat habere auctoritatis, quam ea quæ legibus vestris sunt decreta. Qui quidem ita est insidiosus, ut et illius arbitrii conditionem mihi tulerit, non ut mihi satisficeret, sed ut, quemadmodum prius undecim annos malis artibus me distulerat, sic etiam iis quorum me arbiter absolverat rescissis, de integro calumniaretur, et judicium hoc eluderet. Cujus rei argumentum evidentissimum est: quod neque conditionem accepit, quam ego ei legitime ferebam, et prius arbitrio per me ad Xenippum, quem iste arbitrum designabat, delato de controversia nomi-

nis, iste illum vetuit pronunciare. Hæc vere a me dici, e testimonio et provocatione scietis.

TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

10. Hac conditione repudiata, cum mihi struat insidias et judicium quam diutissime eludere studeat, accusabit, ut audio, non me solum, sed etiam patrem, ab eo se in meam gratiam multis affectum esse injuriis, dictitans: vos autem, Judices, eo potissimum quod a vestris liberis male audire nolletis, nec istum patri maledicere patiamini. Neque enim ferendum fuerit, cum vos eis, qui in paucorum dominatu multos cives indicta causa peremerant, reconciliati pactis et conventis stetis, sicut bonos viros decet: istum, qui cum patre vivente rem transegit multisque rebus fuit per injuriam superior, nunc veteres offensas renovare pati, eique maledicere. Minime vero, Athenienses: sed imprimis vetate eum hæc facere, sin vobis vim faciet eique conviciabitur, cogitate, ipsum contra se dicere testimonium se ex eo non esse natum. Qui enim natura filii sunt, etiamsi cum patribus viventibus rixati fuerunt, at defunctos laudant: qui autem, cum pro filiis habeantur, ipso genere non sunt, ut facile in viventes invehuntur, sic nec defunctos proscindere maledictis erubescunt. Sed his om̄issis cogitate, quam absurdum sit, istum patri, ut in se injurio conviciari, qui propter illius injurias civis est vester factus. Ac ego quidem, propter istorum matrem duabus patrimonii partibus spoliatus, tamen vestri pudore nihil mali de ea dicere ausim: at iste, quem sibi patrem fieri coegit, eum in conspectu vestro vituperare non veretur, coque venit inscitiae, ut, cum leges interdicant nec aliorum patribus maledicere defunctis, eum iste, cujus se filium esse perhibet, insectetur, quem conveniebat, si quis ei alias obtrectaret, indignari.

11. Arbitror etiam fore, Judices, ut, cum aliis argumentis deficietur, mihi maledicere instituat et me perstringere conetur, commemorans, me et educatum, et institutum esse, et in paternis ædibus contraxisse matrimonium: sibi nihil horum contigisse. Vos autem cogitate, me a matre defuncta puerum relictum, ut mihi satis fuerit usura dotis tam ad victum quam ad institutionem: in matrem autem istorum Plangonem, secum istos alentem et ancillas complures, et ipsam sumptuose viventem, cum ad ea patrem meum amore captum præbitorem haberet et magnas impensas facere cogeret, non utique tantillum de illius opibus quantum in me sumptuum esse factum. Quare multo magis isti a me accusandi erant, quam ego ab istis. Nam præter cætera, viginti minas cum patre mutuatus a Blepæo mensario ad emptionem quandam fodinarum,

fodinas quidem post patris obitum partitus cum istis sum, mutuum autem ego reddere sum coactus: alias etiam mille drachmas in funus patris a Lysistrato Thoricio mutuatus, privatim solvi. Etiam hæc a me vere dici, ex hisce testimoniis cognoscetis.

TESTIMONIA.

12. Cum ego igitur adeo manifeste tanto deteriore conditione sim, iste nunc quiritando et indignando me patris dote fraudabit? Sed vos, ô Judices, per deos oro, ne istius percellamini clamoribus: multiplex enim, multiplex et audax homo est, itaque maleficus, ut quæ testibus probare non potest, ea vos scire sit dicturus, Judices, quod omnes faciunt qui nihil sani dicunt. Vos igitur, si quid tale machinabitur, ne permittite ei, sed resistite: et, quod singuli non noveritis, nec vicinum quidem nosse putate, sed postulate ut evidenter ipse ostendat ea quæ dicturus est, neque dicendo vos ea scire, de quibus ipse nihil æqui dicere poterit, rcrum veritatem defugiat. Nam et ego, Judices, cum vos omnes sciatis quemadmodum pater meus coactus istos adoptarit, nihilominus jure cum eis ago, et testes rationibus reddendis obnoxios produco. Neque vero par nobis est discrimen. Sed mihi quidem, si vos nunc ab istis decipiemini, posthac non licebit agere de dote: istis vero, si dicunt me arbitri sententia injuste esse absolutum, et tum licuit ad vos appellare, et nunc denuo licebit, si voluerint, jus eis a me suum apud vos adipisci. Ego, si me vos, quod absit, deseretis, non habeo unde filiæ dotem annumerem, cuius cum natura sim pater, si staturam ejus videatis, non filiam esse meam, sed sororem arbitremini: isti, si me juveritis, nihil de suo solvent, sed de mea domo meum mihi reddent, quam cum secreverimus communiter omnes ad dotis solutionem, isti habitare in ea soli pergunt. Neque enim mihi commodum est filiam habenti nubilem cum talibus habitare, qui non ipsi modo luxuriose vivunt, set et sui similes alios multos in ædes introducunt, nequc etiam, ita me amet Jupiter, tutum esse mihi puto commune cum hominibus istiusmodi domicilium: nam qui adeo palam mihi per insidias periculum in Areopago crearunt, quo isti vobis aut beneficio aut alio ejusdem generis facinore abstinerre velle videantur? Qui præter cætera—nam et hoc modo venit in memoriam—tam insigni esse cœperunt impudentia, ut et Critonis testimonium injecerint, eum tertiam ædium partem a me emisse: quod esse falsum facile intelligetis.

13. Primum enim non ita frugaliter vivit Crito, ut ab alio ædes emat, sed ita sumptuose et luxuriose, ut præter sua etiam aliena consumat: deinde non isti nunc testimonium dicit, sed mihi in judicio adversatur. Quis enim vestrum ignorat, testes esse eos,

ad quos negotium de quo lis est nihil attinet: adversarios autem, socios earum rerum, propter quas ab aliquo accusantur? Id quod Critoni accidit. Præterea cum vos, Judices, tot sitis, cum sit cæterorum Atheniensium tanta multitudo, alias quidem nemo se ei affuisse testatur: Timocrates solus, tanquam a machina, testatur decimam celebrasse isti patrem meum, æqualis ejus qui nunc in hoc judicio reus agitur, seque plane omnia scire profitetur, quæ istis expediunt scilicet; testatur item nunc se solum Critoni affuisse, cum ædes a me emeret. Quod quisnam vestrum credat? Præsertim cum ego non de eo nunc agam, utrum ædes Crito emerit, nec ne: sed de dote, quam a matre mea allatam me recipere jubent leges. Proinde quemadmodum vobis ego testimoniis multis et argumentis ostendi matrem meam talentum dotis attulisse, id vero me de patrimonio non recepisse, et ædes in eam rem a nobis exemptas esse: sic et istum vobis ostendere jubete, aut me vera non dicere, aut recipere dotem non oportere; de his enim vos nunc pronunciabitis. Si vero eorum, de quibus accusatur, nec testes fide dignos producere, neque ullum aliud afferre argumentum poterit, sed alia verba injiciet decipiendi causa, et clamabit, et indignabitur quæ a causa aliena sunt, per Jovem cæterosque deos vos oro ne patiamini: sed jus meum mihi tribuatis propter ea omnia quæ dicta sunt, cogitantes, multo esse justius ut matris meæ dotem mihi ad elocationem filiæ meæ addicatis, quam ut Plango et isti, præter cætera, etiam ædes, ad dotem exemptas, nobis eripiant contra omnem æquitatem.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS SPUDIAM PRO DOTE.

POLYEUCTUS vir Atheniensis, dnarum filiarum pater, juniores Leocrati primum dat, deinde Spudiae: majorem ei qui cum Spudia litigat. At Polyeuctus quidem moritur, filiabns relicta hæreditate ex æquo. Majoris antem maritus ait quadraginta sibi minas doti esse dictas, non tamen statim esse numeratam, sed decem minus minus, viventemque fassum esse Polyeuctum se debere eas, et, moriturum, ædes reliquis bonis exemisse, easque ad debitum dissolvendum dedisse: Leocrates autem postulat, ut hæ sint communes, ut cætera omnia. Hæc potissima est controversia totius orationis. Criminatur etiam aliis de rebus Spudiam: ait enim eum pecuniam, quam et propter Polyeuctum et filiam natu majorem debeat, non protulisse in medium, quod factum oportuisset. Cum vero Spudias illud quoque dicat, se triginta minas doti accepisse, maxime quidem Polyeucto id facere licuisse dicit, si alteri filiarum majorem dotem dare voluerit, et non parem utriusque. Deinde ostendit, etiam illud falso asserere Spudiam: qui trigesita minas in argento acceperit, decem vero in veste et auro, quæ pluris etiam sint quam decem minarum.

DEMOSTHENIS CONTRA SPUDIAM PRO DOTE ORATIO.

1. SORORES habemus uxores ego et Spudias, Judices, Polyeucti filias; qui cum virilis sexus liberis orbus obierit, cogor cum isto de relictis bonis litigare. Quod nisi, Judices, omne studium et diligentiam adhibuissem ut res transigeretur, nec amicis rem permittere voluissem, ipse me accusarem, si maluissem litibus et molestiis conflictari, quam parvam jacturam ferre: nunc quo ego mitius et humanius cum isto agebam, eo magis ab eo cotemnebar. Neque ego profecto nunc ita ut iste erga hoc judicium affectus sum: qui quidem eam rem parvi facit, sæpe solitus in conspectum vestrum venire; ego vero id ipsum metuo, ne propter imperitiam vobis rem explicare nequeam. Sed tamen, Judices, animadverteite.

2. Polyeuctus quidam Thriasius fuit, quem fortasse nec vestrum aliqui ignorant. Is Polyeuctus, cum non haberet mares liberos, adoptat Leocratem fratrem uxoris suæ. Cum vero duas suscepisset filias e sorore Leocratis, natu majorem mihi collocat, dictis quadra-

ginta minis doti; minorem, Leocrati. Quæ cum ita se haberent, orto inter Polyeuctum et Leocratem dissidio, de quo nescio quid dicam, eruptam ab eo filiam Spudiæ despondet. Eo facto cum indignaretur Leocrates, in jus vocato Polyeucto et Spudia, de rebus omnibus rationem reddere coguntur : tandem ita transigunt ut receptis iis Leocrates quæ de suo in familiam attulerat, nec male vellet Polyeucto, et omne inter eos dissidium esset abolitum. Qua igitur de causa vobis hæc narravi, Judices? Quod dote non recepta omni, sed mille drachmis deficientibus post Polyeucti obitum (ita enim convenerat) reddendis, quamdiu Leocrates Polyeucti hæres fuit, cum co mihi res fuit: sed cum cessisset Leocrates, et Polyeuctus periculose decumberet, tunc, Judices, ædes ob decem minas pignori milii opponuntur, e quibus me locationis pretium recipere vetat Spudias. Primum igitur vobis testes adducam qui affuerunt, cum desponderet mihi Polyeuctus filiam quadraginta minis promissis: deinde, mille drachmis minus recepisse me ostendam: præterea, Polyeuctum semper esse confessum se debere mihi et Leocratem prædem dedisse, et morientem tandem pepigisse se mihi libellos mille drachmarum indices propter dotem ad ædes collocatum. Voca mihi testes.

TESTES.

3. Hoc igitur unum est, Judices, eorum de quibus Spudiam accuso: ac de eo quidnam majus aut firmius ad vos afferrem, quam legem, quæ plane dicit, quæ quis oppigneraverit, in ea non licere agere nec ipsi nec hæredibus? Nihilominus contra hoc jus venit Spudias disceptaturus. Alterum, Judices, est, duas minas testatus est Aristogenes postulasse Polyeuctum, quæ sibi deberentur a Spudia, cum usura—id vero servi pretium est, quem cum iste a Polyeucto emisset, pretium neque illi solvit, neque nunc in commune protulit—, octingentas porro et mille drachmas, de quibus nec ego scio quid æqui possit-dicere: mutuatus enim fuit eam pécuniam a Polyeucti uxore, et tabulæ exstant quas illa moriens reliquit, testes autem sunt mulieris fratres, qui rebus omnibus interfuerunt et singulatim percontati sunt, ne quid alter alteri negotii facesseremus. An non igitur, Judices, iniquum et grave est, cum eorum ego omnium, quæ vel a Polyeucto vivente emeram vel ab uxore ejus habueram, et usuram solverim et pretium reddiderim, et nunc, quæ debui, omnia in commune proferam: istum nec leges curare vestras, neque Polyeucti testamentum, neque relictas tabulas, neque rerum consciens, sed contra hæc omnia venire litigatum? Capc igitur primum legem, quæ non sinit rerum oppigne-

ratarum agere in possessores; deinde relictas tabulas et testimonium Aristogenis. Recita.

LEX. LITERÆ. TESTIMONIUM.

4. Docebo vos etiam, Judices, singulatim ea de quibus accuso. Phialam acceptam a Polyeucti uxore, quam cum aureis ornamenti oppignerarant, non protulere quamvis receptam, ut vobis Demophylus cui oppignerata illa fuerant testabitur: tabernaculum præterea quod habent, nam id quoque acceptum non proferunt: alia item quam multa ejus generis? postremo cum uxor mea patri minam argenti ad Nemesia contulerit et pro eo erogaverit, nec hujus impensæ partem sustinere vulf: sed alia præcepta habet, aliorum partes recipit, ea vero quæ ita manifeste debet non reddit. Ut igitur neque hæc prætermittantur, cape mihi eorum omnium testimonia.

TESTIMONIA.

5. Fortassis autem, Judices, contra hæc nihil dicet Spudias—neque enim poterit quanquam est callidus—, sed Polyeuctum et ejus uxorem criminabitur, eosque dicet a me adductos hæc omnia fecisse in meam gratiam, atque adeo se multis aliis affectum damnis, mihi diem dixisse: nam hæc et apud arbitrum dicere instituit. Ego vero, Judices, primum non æquam esse censeo talem defensionem, neque convenire, si quis aperte convincitur, ut retortis criminibus accuset et calumnietur: nam illa quidem, si qua ei fit injuria, nimirum ulciscetur, horum vero dabit pœnas. Qui enim ego nunc istorum calumnias refutabo, iis omissis de quibus vos pronunciabitis? Deinde miror quamnam ob causam, siquidem vere et jure accusare me potuit, cum nos amici reconciliare vellent, et multa verba facta essent, in illorum decretis acquiescere non potuerit? At quinam et meas et illius accusationis falsas redarguisserent facilius, quam hi qui rebus hisce omnibus interfuerant, qui æque nobiscum norant omnia, qui communes utrisque amici erant? Sed perspicuum est, cum ab eis manifeste coarguendus esset, ad eum modum transigere e re illius non fuisse. Neque enim putare debetis, Judices, eos qui hæc omnia sciunt, nunc suo mihi periculo dicere testimonium, tum vero juratos aliud fuisse de lite pronunciatus.

6. Quod si tale nihil inter nos intercessisset, ne tum quidem difficile esset statuere, uter vera diceret. Nam de ædibus, si ait impulsu meo Polyeuctum mandasse ut libelli mille drachmarum indices apponenterentur, at non etiam testibus persuasi nimirum, Spudia, ut in meam gratiam falsa testarentur, qui affuere cum mihi filiam

desponderet, qui sciunt me minus accepisse, qui eum confitentem se debere mihi audierunt jubentemque satisfieri, qui denique factioni testamenti interfuerunt. His enim omnibus hæc in meam gratiam facere non licuit, sed periculum falsi testimonii impenderet, si quid quod factum non esset testificarentur.

7. Omittamus igitur hoc nunc: ad illud autem quid respondebis? Nam hi certo abs te edocendi erunt: quod ni fecerit, vos id omnes ab eo postulatote. Quum enim Polyeuctus illa testamento manda-ret, istius uxor aderat—quam patris ei nunciasse testamentum con-stat: si præsertim ipsi nihil æqui tribuebatur, si deteriore erat in omnibus conditione—, quin et iste ipse fuit accersitus, quo minus habent quod dicant, nos clanculum seque ignorantibus ea egisse. Nam cum vocaretur, se occupatum esse, uxorem suam interesse satis esse, dicebat. Quid adhuc reliquum est? Cum quidem Ari-stogenes ei hæc omnia accurate renunciasset, ne tum eum ullum verbum fecisse constat, sed cum post hæc Polyeuctus amplius quinque dies vixisset, neque conquestus est cum ingressus esset, neque quicquam contra dixit: nec item ejus uxor, quæ ab initio rebus omnibus interfuerat. Quare non jam Polyeuctus ista mihi con-donabat, ut appareat, sed vosmetipsi. Horum igitur memores, Ju-dices, ea, si quid fortasse de his calumniæ instituerit, aperte objici-tote. Primum autem ut certo sciatis, rem ita se habere, testes au-dite. Recita.

TESTES.

Proinde, Judices, ædes mihi Polyeuctum mille drachmis jure op-pignerasse, ut quæ mihi jam antea deberentur, iste ipse mihi con-firmat, et ejus uxor, præter alios qui testimonium dixerunt, qui tum nec prohibuerint, nec Polyeucto adversati sint cum is tot dies po-stea vixisset, neque Aristogeni, cum primum audissent. Quod si ædes jure oppigneratæ sunt, vobis (modo legis memineritis) hac quidem in parte Spudiam absolvere non licebit.

8. Agite illud etiam de viginti minis, quas non profert, con-side-rate: etenim hic rursus iste maximus erit mihi testis, non quidem certe oratione, cum nunc meus sit adversarius, Judices,—idquæ nullum est argumentum—, sed facto illustri. Quid igitur fecit, Judices? Hoc nunc animadvertisse, ut, si forte de matre mulierum male loqui audebit, aut de tabulis, vos rei gnaros decipere verbis non possit. Eas enim tabulas reliquit Polyeucti uxor, ut paulo ante dixi: cum vero signa et ab istius et a mea uxore agnosceren-tur, uterque præsens eas aperuimus et exempla accepimus, et rur-sus obsignatas apud Aristogenem deposituimus. Hoc igitur, hoc, Judices, per deos oro cognoscite! Inerant enim duæ minæ, servi

pretium, neque Polyeuctus solum moriens eas ab isto postularat: inerant et mille octingentæ drachmæ. His autem lectis, si ea nihil ad se attinebant, neque scriptura vera erat, quamobrem non statim indignabatur et graviter ferebat? cur autem ea rursus et ipse consignavit quæ nihil sani continebant, neque vere scripta erant? Nam id quidem qui non toti scripturæ assentiret faceret nemo. Enim vero, Judices, perabsurdum id erit profecto, si licebit istis ea quæ ipsi comprobarunt nunc negare, vobisque nullum id signum videbitur, quod omnes homines ad ea crimina quæ neque vera neque justa sunt, non obticescere, sed e vestigio litem movere, solemus: quod qui non fecerint, si postea in judicio adversantur, improbi calumniatores habentur. Quæ quum Spudias nihilominus quam ego intelligat, ac potius eo certius, quo sæpius huc ingreditur, contraria iis quæ egit omnibus loqui non erubescit. Vos quidem sæpe, una fraude animadversa, ea pro certissimo signo de tota accusatione estis usi: isti autem usuvenit, ut omnis ejus oratio ipsa sese coarguat. Cape testimonium, ut appareat et tum confessam esse tabularum signa istius uxorem, et nunc a Spudia obsignatas asservari.

TESTIMONIUM.

9. His ita palam demonstratis, equidem nihil esse pluribus opus existimo: nam cum et leges proferre possim, et testes eorum quæ dicta sunt omnium, et ipsius adversarii confessionem, quorsum multis verbis opus est? Sed tamen, si de dote indignabitur, et sibi de mille drachmis injuriam fieri dicet, mentietur: de his enim contendit, cum non minus, sed plus etiam acceperit, ut statim vobis declarabitur. Verum, si ista omnia revera accidissent, non ideo esset utique justum me promissam dotem non accipere, si modo aliquid est in legibus subsidii: neque etiam Polyeuctum, si filiarum alteri minus alteri plus dare voluit dotis, nunc prohiberi. Tibi enim ipsi, Spudia, licuit non ducere uxorem, mille drachmis, ut mihi, non annumeratis: sed tu nihilo minus habuisti, ut ego docebo. Primum autem capc testimonium de sponsalium conditionibus.

TESTIMONIUM.

10. Qui igitur nihilo minus ille habet dicet aliquis, si isti in quadraginta minis aurum et vestis æstimata, mihi vero decem minæ seorsim additæ fuerunt? Hoc ipsum ergo dicam. Spudias, Judices, a Leocrate mulierem cum auro et veste accepit, æstimatis Leocrati a Polyeucto pluris quam mille drachmis: quæ vero mihi misit præter dotein, quæque habeo solum, ea si quis cum his quæ isti sunt data conferat, consimilia deprehendet, demptis iis quæ ob

mille drachmas oppignerata sunt. Proinde jure in quadraginta minis cestimabat ea, quae Leocrati numerarat, quæque datam mihi summam superabant. Ac mihi cape primum descriptionem hanc, et eis nunc recita, quidnam uterque nostrum habeat: deinde, arbitrorum testimonium, ut sciant, eum pecuniam etiam longe majorem habere, deque ea Leocratem actionem instituisse, et arbitros in hanc sententiam pronunciassse. Recita.

DESCRIPTIO. TESTIMONIUM.

An non iste palam habet quadraginta minas dotis jampridem: ego vero triginta minas, quemadmodum iste, mille vero drachmas postea non modo non accepi, sed et nunc de eis periclitior quasi injuste eas petam?

11. His itaque de causis, Judices, Spudias, re amicis permissa item mecum transigere noluit, quod ei usuveniebat ut horum omnium convinceretur; cum enim illi his omnibus interfuerint et certo ea scirent, non ei permisissent quidvis dicere: apud vos autem se mentientem me vera dicente fore superiorem sperat. Ego vero quæ postulo, perspicue vobis demonstravi, ut ipse potui: rei gñaros autem iste fugit, quod putaret eis fucum fieri non posse. Quare, Judices, etiam vos ei potestatem mentiendi et calumniandi ne date, eorum quæ diximus memores. Nostis enim omnia ut gesta sunt; præterquam si quid ego præterii, ad exiguam aquam dicere coactus.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS PHÆNIPPUM DE PERMUTATIONE.

Hæc oratio non refertur a nonnullis ad Demosthenem: argumentum autem tale habet. Erat classis apud Athenienses trecentorum virorum, in quam ditissimi quique legi soliti onera graviora sustinebant: lex autem permittebat ei qui sumptus tolerare non posset ea classe excedere, si quem se locupletiorem vacantem ostendisset; quod si is qui designabatur se diiorem esse fatebatur, in trecentos alterius loco referebatur, sin negabat, permutabant inter se facultates. Nunc igitur trecentorum unus, se exhaustum et pauperem esse conquerens, Phænippum invadit. Quare ad opum permutationem veniunt. Accusat autem Phænippum, ut qui nec descriptionem rei familiaris legitimo tempore dederit, sed multo post, et signa ab ædibus abstulerit ut quedam quæ intus fuerint distraheret, et se cuidam multum falso postulanti debere simulet.

DEMOSTHENIS ADVERSUS PHÆNIPPUM DE PERMUTATIONE ORATIO.

1. DII benefaciant, Judices, primum vobis omnibus, deinde etiam Soloni qui legem tulit de permutationibus. Nisi enim is aperte nobis explicasset, quid primum eos qui permutterent facere oporteret, quid secundo loco, cæteraque deinceps ordine, haud scio, quo tandem progressa esset Phænippi audacia. Quum nunc, etsi lex ea nobis edicit omnia, tamen jura in ea perscripta negligat. Nam cum intra triduum ex quo jurarat declarationem rei suæ familiaris mihi ex lege dare debuissest, aut, si tum nollet, sexto saltem mensis Sextilis die, quem precibus a me impetrarat, et ad quem promiserat se daturum declarationem, neutrum horum fecit, sed, contemptis utrisque et vobis et lege, altero mense dedit, biduo aut triduo ante judicii ingressum; reliquo omni tempore delituit: quum item signa ædium, quæ ego apposueram, relinquenda essent, egressus in agrum aperuit, et hordeum et reliqua extulit, quasi protestatam ei dedisset lex faciendi quicquid libitum, non quod justum esset.

2. Ego vero, Judices, maximè optarim me florere opibus ut olim, et manere posse in trecentorum numero: quoniam autem partim communis calamitatis cum iis qui e sodinis quæstum faciunt sui particeps, partim magnis detrimentis affectus, jacturam feci rei fami-

liaris, et nunc denique me tria talenta reipubl. numerare oportet, talentum pro portione—fui enim et ipse, quod utinam esset aliter, fodinæ publicatæ particeps—ut in meum locum substituere coner eum, qui non nunc modo est me locupletior, sed prius etiam fuit, et nullum vobis unquam munus obiit, neque reipubl. quicquam hactenus contulit, necesse est. Vos igitur omnes oro, Judices, si ostendero Phænippum et definita legibus jura violasse et locupletorem esse quam ego sum, ut et me juvetis, et istum meo loco in trecentorum classem referatis. Propter hoc enim leges quotannis permutationes concedunt, quod conservatio perpetua rei familiaris et incrementa paucis civibus permanere solent. Ab initio autem vobis omnia quæ in permutatione acciderunt commemorabo.

3. Mensis Quintilis, Judices, die secundo, duces trecentis permutationes proposuerunt. In iis ex lege Phænippum citavi: eo igitur citato et adhibitis quibusdam familiaribus et amicis, Cythera ivi in ejus fundum. Ac primum obii fundum ejus, qui stadiorum erat amplius quadraginta circum circa, et ostendi et testatus sum coram Phænippo, nullos fundo libellos affixos esse: sin ipse id affirmaret, statim eum dicere jubebam et ostendere, ut ne postea fundus ære alieno obstrictus esse perhiberetur. Deinde obsignavi domicilia, et meas ædes eum ingredi jussi. Postea quæsivi, ubi excussum frumentum esset—erant enim ibi, Judices, divos divasque testor, duæ areæ, ferme jugeri amplitudine utraque—, is vero respondit, frumentum partim venditum, partim intus esse repositum. Tandem, ne longum faciam, constitui custodes intus quosdam, atque mediusfidius etiam edixi ut vetaret agasones materiam ei fundo avehere—nam præter cæteras Phænippi opes, Judices, etiam hic amplius est ei reditus, sex asini per totum annum materiam ei vehunt; unde iste in singulos dies amplius ** drachmis percipit—, cum igitur eis interdixisse ne materiam attingerent, et Phænippo denunciasset, ut ex præscripto legis ad sacra præsto esset, in urbem redii.

4. Primum igitur eorum quæ dixi testimonia vobis exhibeo: deinde et de cæteris audietis omnem veritatem. Phænippum enim, Judices; a primo die statim nihil justi cogitasse reperietis. Obsignavi domicilia, permissu legis: iste aperuit. Ac signum quidem sustulisse fatebatur: fores autem se aperuisse negabat, quasi vero aliam ob causam, quam ad fores aperiendas, signa sustulisset. Deinde vetui ne materia eveheretur: iste quotidie evexit, eo die excepto, quo ego vetui. Nullo ære alieno fundus obstrictus erat: nunc iste multum æris alieni profert. In summa, facit quod libet, non quod leges jubent. Recita testimonia, primum de fodina, deinde et cætera.

TESTIMONIA.

5. Quibus igitur me Phænippus injuriis a primo statim die afficeret cœperit, audistis, Judices, et e me et e testibus: quæ autem post facta sunt, ea non in me tantum sed etiam in leges sunt commissa, quæ nobis omnibus magno studio sunt tuendæ. Cum enim tertio Idus Sextilis jurasset, se recte et vere suas opes declaratum, et lex declarationem dari tertio post jusjurandum die aperte jubeat, convenit me ante prætorium cum Polyeucto Crioense et Terentio rogans, primum ut transactionis causa secum congrederer; præstiturum enim mihi quæ æqua essent omnia: deinde ut declarationem rei familiaris differrem in dies non multos; neque enim ignotas sibi esse res meas. Ego vero qui et moderati et quieti esse civis non statim præcipitem ruere in judicium existimarem; concessi—quid enim multis est opus?—, ut is congressus de transactionibus **xxiii.** Sextilis fieret, declaratio autem **xxv.** His a me Phænippus impetratis neutro dic præsto fuit: sed ad vos non una sed duabus legibus violatis ingreditur, una quæ jubet triduo, postquam juraverit, rem familiarem declarare, altera quæ ratas habet pactiones, testibus præsentibus factas. Atqui, Judices, quis vestrum ignorat, æque ratam esse diem tum legibus sancitam, tum ab adversariis concessam? Nam cum sæpe legibus trigesima dies præfinita sit, aliam inter nos pacti apud magistratus omnes obtinuimus, et actiones et judicia adversariis prorogant novemvirī, si ipsi inter se convenerint. Quorum si quis mutuam pactionem irritam esse oportere censem, is vobis odio prosequendus est, ut impudentissimus calumniator. Phænippus autem, perinde ac si lex jubeat nihil præstare, quod receperis, ab eo die, quo promisit se et ad transactionem affuturum, et declarationem suam daturum, et meam accepturum, nusquam se stitit. Ego, postquam ab isto et me et leges contemni vidi, declarationem in prætorium attuli: iste vero, quod et paulo prius dixi, libellum mihi mane dedit, videri quidem solummodo volens se mihi dedisse declarationem, sed sic ut ego illis quæ inscripta essent uti minime possem. Non decet autem, Judices, iis plus æquo tribuere qui suam improbitatem legibus esse firmorem censem,—alioqui efficietis ut multi jura perscripta legibus derideant,—, illi quidem juvandi sunt, qui legum vocem vestram esse putant, et vestram hanc quæ pro tribunali editur affectis injuria, non sontibus, opitulaturam. Recita horum quæ modo dicta sunt testimonia, et leges.

TESTIMONIA. LEGES.

Proinde talia perpessus a Phænippo, Judices, hanc descriptionem ad imperatores retuli. Recita.

DESCRIPTIO.

6. Quo igitur alio pacto per deos et genios ostendendum est, Judices, teneri Phænippum his quæ lecta sunt, quam quo ego pacto nunc ostendo? Sed tamen vicissim questus est Phænippus me non recte indicare rem familiarem—adeo facile isti apud vos mentiuntur—, et accusat jusjurandum, quod ante declarationem dedi, quod exceptis iis quæ in fodinis haberem reliquas opes indicaturum esse me sum pollicitus, quasi vero ad legum præscriptum jurare, id vero sit accusatione dignum. Vos autem nostis, Judices,—vos enim tulistis—, legem, quæ prorsus ita loquitur, eos qui inter se permittent, cum dato jurejurando suas opes indicarint, etiam hoc jurare debere, declaro opes meas recte et juste, iis exceptis quæ in argcntifodinis sunt, quas leges immunes fecerunt. Sed legem potius ipsam recita.

LEX.

7. Verum paululum quæso differ. Ego et prius obtuli Phænippo, et nunc, Judices, ei dono do, et cedo cum reliquis bonis, etiam argentifodinis, si mili solum fundum liberum tradiderit, ut fuit, cum ego primum in eum veni testibus adhibitis, et, quantum ex ædibus frumenti et vini evexit, et cætera quæ sublatis signis a foribus abstulit, ea in cundem locum restituerit. Et quid dicere et clamare pergis? Multa ego prius ex argentifodinis, Phænippe, meopte corpore laborans et quæritans, collegi, fateor: nunc vero, paucis exceptis, omnia perdidi. Tu vero, e fundo tuo vendens hordeum octodecim drachmis et vinum duodecim drachmis, non ab re dives es, si frumenti medimnos feceris amplius mille, vini metretas amplius octingentas. Nunquid igitur eundem nos ordinem tenere decet, cum nunc alia in fortuna simus quam antea? Nequaquam, non enim justum fuerit. Succede et tu, esto ad parvum tempus in classe munera obcuntium, postquam cum metallicis male agitur, vos autem agricolæ ditiores estis, quam oportebat. Satis enim diu duobus patrimoniis frueris, altero naturalis patris Callippi, altero adoptivi Philostrati oratoris: neque his unquam quicquam præstisti. Ac meus quidem pater utriusque, et mihi et fratri, patrimonium reliquit quadraginta quinque minarum, unde vitam sustentare haud facile est: tui vero patres tantam habuere pecuniam, ut uterque tripodem dedicarit, in Bacchanalium ædilitate victor. Neque vero invideo: debent enim a divitibus juvari cives. Tu autem te ostende vel unum teruncium in rempublicam contulisse, qui duo munifica patrimonia suscepisti: sed non ostendes. Occultare enim et tergiversari et nihil non facere, ne

quid hisce in usum reipublicæ præstes, didicisti. Ego vero demonstrabo me, pauculis a patre acceptis, multa insumpsisse. Sed primum legem illam mihi legit, quæ non sinit quicquam quod in fodinis est declarare, et provocationem, deinde testimonia, ut constet Phænippum duas munificas familias hæreditate consecutum.

LEX. PROVOCATIO. TESTIMONIA.

8. Unica duntaxat Phænippi istius in vos, Judices, munificentia ostendi potest. Equos solerter et magno studio alit, ut adolescens et locuples et robustus. Quodnam ejus rei argumentum est? Vendito equo bellico ab equis descendit, et pro eo vehiculum sibi ista ætate comparavit, ut ne pedes ambulet,—usque adeo deliciis iste diffuit—: et hoc quidem mihi descriptsit, sed hordei et vini et cæterorum quæ e fundo proveniunt ne decimam quidem partem. Operæ pretium nimirum est eum nunc missum facere, quoniam industriam suam et reipubl. studium tum corpore tum facultatibus declaravit? Multum certe abest. Bonorum enim judicum est, eos cives qui, cum rem habent, ultiro largiuntur, qui in trecentorum classe sunt, si id eis opus fuerit, relaxare: ii vero qui se id perdere putant, quod in rempublicam contulerint, in eos qui primi tributum conferunt sunt referendi, neque permittendum ut fugiant. Recita primum testimonium, deinde declarationem ejus.

TESTIMONIUM. DECLARATIO.

Omitte ista, etsi enim multa domo extulit, Judices, Phænippus, resignatis ædificiis quæ consignata fuerant, ut vobis a testibus explicatum est, et relictis quæ ei visa sunt, secundo mense mihi dedit declarationem rei familiaris: sed tamen omitte ista. Recita ab eo loco deinceps, Super his hæc debeo.

DECLARATIO.

Desine. Ista Aristonoe, Judices, Philostrati filia est, istius mater. Ei se Phænippus dotem debere dicit, cuius eum leges dominum constituunt, in quo mentitur et non justa utitur indicatione. Cur enī ego, Phænippe, cum mater mea maneat in ædibus meis et vivat et dotem attulerit, dotem ejus in ære alieno non recenseo neque decipio Judices, sed mearum opum sino participem esse matrem, sive Phænippi, sive meas habeam facultates? Quia, bone vir, leges hæc jubent, tu autem contra leges ais omnia. Recita aliud.

DECLARATIO.

9. Auditis, Judices, Pamphilo inquit et Philoleo Rhamnusiis communiter talentum ex fundo debeo, et Aiacidæ Phlyensi quater mille drachmas, et Aristomeni Anagyrasio quatuordecim minas. Quamobrem igitur, Phænippe, cum ego testibus adductis te interrogarem, nunquid deberes propter fundum, et jubarem ostendere libellos indices si qui forte adessent, et testes adhiberem, ne mihi postea fictitii creditores exsisterent, tum nullum æs alienum declarasti: postquam autem secundo mense mihi declarationem tradidisti, lege jubente id intra triduum fieri, nunc veniunt creditores, et æs alienum amplius trium talentorum? Quia, bone vir, nihil aliud struis, nisi ut quantum ego publice ærario debeo, tantundem et tu privatim debeas. Mentiri te autem, Phænippe, et cum perjurio ad hos venire, te manifeste convincam. Cape mihi, scriba, Aiacidæ et Theotelis testimonium, quibus iste se quater mille drachmas debere falso inscripsit, atque olim reddidit, non ultiro, sed judicio damnatus. Recita.

TESTIMONIUM.

10. Eumne, Judices, qui ita palam in omnibus injuste fecit declarationem, qui neque legum ullam rationem habuit, quæ diffinierunt intra quæ tempora declaratio facienda sit, neque privatuarum pactionum, quas æque firmas existimamus; præterea, qui signa conclave aperuit, et frumentum domo exportavit et vinum; atque insuper materiam æstimatam post permutationem vendidit, quæ pluris quam triginta minarum fuit; et quod omnium maximum, æs alienum commentus est permutationis gratia: eum juste fecisse declarationem pronunciabitis? Minime vero, Judices. Quo enim vertere se debebit is cui in sententia vestra præsidii nihil erit, si homines divites et nunquam de vobis bene meriti, multum et frugum et vini percipientes, idque triplo pluris quam prius distrahentes, meliore fuerint apud vos conditione? Quod minime nunc fieri debet: sed quemadmodum publice juvistis omnes eos qui in fodinis laborant, sic et privatim me juvatote nunc. Etenim, si servus, non civis vester, essem, visa industria mea et studio erga vos, sublevassetis me sumptibus, et aliquem alium fugitivum comprehendissetis; eodem modo, ubi tria talenta solvero quæ debeo, et vires recuperaro, rursus sublevato calamitoso aliquo, ad me quoque venietis: nunc vero me missum ut faciatis, omnes vos oro, Judices, et, cum æqua dixerim, precor ut me juvetis, et ab istis exagitari ne patiamini.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS MACARTATUM DE HAGNIANA HÆREDITATE.

HAGNIAS et Eubulides consobrini fuerunt: hornm alter, Hagnias, obiit sine liberis, Eubulides autem filiam reliquit Phylomacham, qnæ agit in Hagnianam hæreditatem, ut genere proxima. Cum ea litigant Glauces quidam et Glauco, non ratione propinquitatis, sed testamento freti. Quod cum in judicio adulterinum deprehensum esset, hæreditatem accipit Phylomache. Theopompus venit in judicium, assumptisque tum his ipsis qui causa ceciderant, tum præter hos Eupolemo, ad hæreditatis disceptationem arcessit Phylomacham. Permittebat enim lex unicuique in jus vocare victorem, et hæreditatis possessorem. Cum vero per fraudem concinnata esset actio, ut ait Sositheus, vincit Theopompus. Ac is quidem obit filio relicto Macartato. Phylomachae antem nascitur filius, quem nominat Eubulidem. Et adoptandum dat patri sno Eubulidi, consobrino Hagniæ qui relierat hæreditatem; enique adoptatum introducit ad curiales Hagniæ et Eubulidis. Quem curiales, nt qui jure introducetur, receperunt. His actis, puer ad disceptationem hæreditatis vocat Macartatum Theopompi filium. Orationem habet Sositheus, naturalis pueri pater.

DEMOSTHENIS CONTRA MACARTATUM DE HAGNIANA HÆREDITATE ORATIO.

1. QUUM prius etiam controversiæ nobis fuerint, Judices, cum istis iisdem de Hagniana hæreditate, neque ullum isti modum statuant iniquitati et violentiæ, dum quovis modo ea quæ ad se nihil attinent, obtineant, necesse fortassis est rem omnem ab initio repetere. Sic enim, Judices, et vos facilius omnia quæ dicentur intelligitis, et isti quales homines sunt, tales esse ostendentur; apparebit enim eos jam olim auspicatos minime adhuc a suis malis artibus recedere, ut qui existiment sibi quicquid in mentem incidet perficiendum esse. Oramus igitur vos, Judices, ut nostram orationem cum benevolentia et attente ad finem usque audiatis: dabo autem et ego operam ut rem, quam fieri perspicue poterit, vos edoceam.

2. Pueri hujus mater, Judices, cum genere proxima esset Hagniæ ex Cœo, in Hagniæ hæreditatem egit secundum leges vestras. Nec eorum qui tum de ea hæreditate contenderunt, se genere esse muliere propriorem, vel jurare quisquam ausus fuit—constabat enim inter omnes mulieris esse hæreditatem ratione propinquitatis—, sed Glauces ille ex Cœo, et Glauco frater ejus, et Theopompus Macartati pater, qui illis earum rerum omnium et auctor et adjutor fuit.

et pleraque testimonia dixit, venerunt falso testamento concinnato. Quod quidem testamentum, cum ab eis oblatum esset, inventum est falsum: neque illi succubuerunt solum, sed et cum summa improbitatis opinione e judicio abierunt; Theopompus autem Macartati pater tum præsens, proclamante præcone, num quis agere in hæreditatem Hagniæ aut sacramento contendere vellet sive genere sive ex testamento, contendere sacramento non est ausus, sed ipse pronunciauit, ad se nulla ratione pertinere Hagniæ hæreditatem.

3. Quam cum mater pueri hujus, judicio victis adversariis omnibus, teneret, ita nefarii fuerunt isti, ut neque in legibus vestris neque in sententiis judicum acquiescendum sibi esse putarint, sed quo jure qua injuria mulieri rursus eripere hæreditatem quam ei vos addixeratis instituerint: itaque conjuratione facta et födere inter se icto eoque apud Medeum Hagnusium deposito, Theopompus Macartati pater, et Glauco, et Glaucus prius victus, alio quodam familiarium quarto exhibito—Eupolemus ei nomen erat—, hi omnes communiter insidiati, citarunt mulierem ad prætorem ad disceptationem Hagnianæ hæreditatis, lege freti quæ juberet, eum qui adiisset hæreditatem et teneret citari, si quis in eandem agere vellet. Hos ubi prætor in judicium duxit, et causa agenda fuit, tum alia eis omnia præparata fuerunt ad judicium, tum aquæ, ad quam disceptandum erat, quadruplo plus nobis acceperunt: necesse enim, Judices, habebat prætor amphoram unicuique accusatorum infundere, et tres choas posteriori orationi. Proinde fiebat ut ego mulieris defensor, non modo de genere, et cæteris quæ dicenda erant, judicibus meo arbitratu narrare non possem, sed ne minimam quidem mendaciorum, quæ in nos congesserant, partem refutare: quintam enim aquæ partem habebam. Atque id artificium illud fuit, ut ipsi inter se colluderent ac mutuas traderent operas omniaque confiterentur, de nobis autem ea dicerent quæ nunquam facta sunt. Cum igitur ad eum modum insidia struxissent et conjunctis viribus nos oppugnarent, cadiscis quatuor ex lege positis, judices, quod equidem non miror, decepti inter sese dissenserunt, atque illis artificiis seducti id pronunciarunt, quod unicuique in buccam venerat: calculique paucis omnino plures, vel tribus vel quatuor, in Theopompi cadisco, quam in mulieris, sunt inventi.

4. Ac tum hæc acta fuerunt, Judices: posteaquam autem hoc puer nato tempus esse videbatur, ego non iratus ob ea quæ acciderant, sed humanum quiddam accidisse ratus illius temporis judicibus, introduxi ad curiales Hagniæ Eubulidem puerum hunc, ejus filia natum, ut ne ejus familia desolaretur. Is enim Eubulides, Judices, Hagniæ genere proximus, in primis quidem exoptabat a diis sibi nasci filium, quemadmodum ei et filia pueri hujus mater

nata erat. Cum autem eo voto frustratus mares liberos nullos omnino suscepisset, jam secundo loco cupiebat, e filia sibi adoptari filium in suam et Hagniæ familiam, et ad suos curiales introduci, quod existimabat, Judices, e reliquis hunc sibi esse conjunctissimum, et sic suam familiam rectissime conservari, et ab interitu vindicari. In quo ego ei obsecutus, ut qui Eubulidæ filiam haberem, judicio adeptus, tanquam genere proximus: introduxi puerum hunc ad Hagniæ et Eubulidis curiales; in quorum et Theopompus, dum vixit, Macartati pater, curia fuit iste ipse porro, Judices, et curiales Macartati, optime gnari generis, quum viderent istum quidem ipsum fugitare periculum, neque victimam ab ara abducere, quasi puer hic non legitime introduceretur, postulare autem ut ipsi pejerarent, calculis de ara Curialis Jovis, dum sacra arderent, desumptis, præsente Macartato, id quod justum erat, decreverunt, Judices, recte et convenienter puerum hunc Eubulidæ filium in Hagniæ familiam introduci. Quibus per curiales Macartati decretis, hic puer ut filius Eubulidis citavit Macartatum de Hagniæ hæreditate in judicium, et diem dixit apud prætorem, auctore adscripto fratre suo. Mihi enim, Judices, porro non licebat auctorem fieri, qui puerum in Eubulidæ familiam adoptassem. Atque ea citatio facta est a puero hoc ex eadem lege, qua freti et isti matrem hujus, quæ prius judicio vicerat et hæreditatem Hagniæ tenebat, accessierant. Recita mihi legem, qua actio in eum datur qui hæreditatem tenet.

LEX.

Sin de alia contendat hæreditate aut pupilla, citet eum qui hæreditatem tenet ad prætorem, quemadmodum fit in aliis causis: sacramento autem contendat petitor. Sin sine citatione petierit, imperfecta erit petitio hæreditatis. Si is qui hæreditatem adiit superstes non fuerit, accessat simili ratione eum, cui præfinitum tempus nondum est terminatum: disceptatio autem apud prætorem esto ea ratione, qua is egit, qui hæreditatem tenet.

5. Legem quidem audivistis: justam autem rem a vobis petam, Judices. Si ostendero Theopompo, patre Macartati, genere esse Hagniæ propiorem Eubulidem puerum hunc et Phylomacham, quæ est mater pueri, Eubulidæ filia; neque tantum esse genere proximos, sed in universum ne ullum quidem esse hominem in familia Hagniæ alium, quam matrem pueri hujus et ipsum hunc puerum: hæc si ostendero, quæso, Judices, ut nobis opem feratis. Ac primum quidem decreveram, Judices, in tabula descriptos omnes agnatos et gentiles Hagniæ, sic vobis ostendere singulos: sed quia eam non ex æquo spectare posse omnes judices, remotius præsertim sedentes, videbantur, necessarium fortassis est oratione docere vos, quæ res communis est omnibus. Conabimur autem et nos, quam facere brevissime poterimus, explicare genus Hagniæ.

6. Buselus fuit ex Oeo, Judices; is quinque filios suscepit, Ha-

gniam, Eubulidem, Stratium, Habronem, et Cleocrinum: hi omnes Buseli filii viri facti sunt, inter quos omnes Buselus facultates suas recte et juste, ut conveniebat, distribuit. Partiti facultates, uxorem quisque duxit ut leges vestrae jubent: et filii nati sunt eis omnibus et nepotes: factaque sunt ex unica Buseli quinque familiae: et seorsim quisque habitavit, suam quisque domum habuit, et sobolem procreavit. De tribus igitur fratribus Buseli filiis eorumque posteris, Judices, quid ego vobis negotium facessam et mihi ipsi, de singulis memorando? Cum enim in eodem sint genere cum Theopompo et omnes æquic Hagniam attingant, cuius est hereditas, nullus eorum neque prius unquam neque nunc molestus nobis fuit aut litem movit, neque vel de hereditate Hagniae vel de muliere pupilla quam ego habeo in judicio nobiscum contendit, sed existimarunt nihil prorsus ad se attinere quicquid esset Hagniae. Supervacancum igitur mihi esse videtur quicquam de his dicere, nisi quatenus attingendum erit: de Theopompo autem Macartati patre, et ipso Macartato, de his est mihi necessario dicendum. Res autem, Judices, paucis expcdiri potest.

7. Ut paulo ante audivistis, Buselo quinque filios fuisse natos, horum unus fuit Stratus, a quo Macartatus oriundus est, et alter Hagnias, a quo puer hic originem dicit. Natus autem est filius Hagniae Polemo, et filia Phylomache, soror Polemonis germana et uterina: Stratio Hagniae fratre nati sunt Phanostrate et Charidemus Macartati avus. E vobis igitur quæro, Judices, uter conjunctior sit et propior Hagniae, is Polemo filius, et filia Phylomache, an Charidemus Stratii filius, Hagniae ex fratre nepos? Ego quidem certe opinor filium et filiam unicuique nostrum longe conjunctiorem esse, quam fratris sororisve filium: neque apud nos solum, sed etiam apud ceteros tum Græcos tum Barbaros hoc receptum est. Quod cum in confessu sit, facile, jam cætera, Judices, intelligitis, et istos homines esse violentos et protertos, sentietis.

8. Polemonis enim Hagniae filii filius fuit Hagnias, eodem cum avo suo Hagnia nomine. Et is quidem posterior Hagnias sine liberis decessit: Phylomachæ autem, sororis Polemonis, et Philagri —cui dedit eam frater Polemo, quippe patrucli suo: Philager enim filius fuit Eubulidæ fratris Hagniae—, Philagri sane patruelis Polemonis, filius fuit Eubulides maternus avus hujus pueri. Et hi liberi fuerunt Polemoni, et, sorori Polemonis, Phylomachæ: e Charidemo autem natus est, Stratii filio, Theopompus pater Macartati. Denuo igitur quæro, Judices, uter conjunctior sit et propior Hagniae, primo illi, Polemonis filius Hagnias, et Eubulides Phylomachæ filius et Philagri, an Theopompus Charidemi filius, Stratii nepos? Ego existimo, Judices, si quidem et filius multo conjunctior est et filia, rursus, e filio et e filia natum filium, hos esse con-

junctiores, quam nepotis e fratre filium, et eum qui est ex alia familia. Ac Theopompo filius Macartatus : Eubulidæ autem Phylo-machæ filio, qui respectu patris Philagri Hagniæ patruelis fuit, puer hic natus est, Hagniæ conjunctus ut filius patruelis fratris, quoniam Phylomache, mater Eubulidæ, et Polemo, pater Hagniæ, fratres fuerunt germani et uterini. Macartato autem, filio Theopompi, nihil genitum est, quod sit in familia hujus et Stratii.

¶ Quæ cum ita sint, puero huic nomen est ex eorum numero quæ legibus jubentur, et quatenus lex propinquitatem extendi jubet: consobrini enim Hagniæ filius est, pater enim ejus Eubulides consobrinus fuit Hagniæ, cuius est hæreditas. At Theopompus, pater Macartati, nullum ei nomen lege sancitum imponere potuisse: ex alia enim fuit Stratiana familia. Neque vero convenit, Judices, ut quisquam mortalium, qui sit ex alia familia, Hagniæ hæreditatem habeat, dum aliquis superfuerit in Hagniana familia natus, aut vi quenquam inde ejiciat, id quod isti agunt, cum sint et genere remotiores, et non in eadem familia: hoc enim illud est, Judices, quo Theopompus, Macartati pater, fucum judicibus fecit. Quinam igitur restant? Qui adhuc sint in Hagniæ familia, Phylomache uxor mea, Eubulidæ autem filia patruelis Hagniæ, et hic puer, introductus filius in familiam Eubulidæam et Hagnianam. Theopompus autem, Macartati pater, cum ex Hagniæ familia non esset, ingenti mendacio decepit Judices et de Phylomacha, Polemonis sorore, amita Hagniæ, quam negaret esse Polemonis, Hagniæ filii, germanam et uterinam sororem; et rursus, cum jactaret se esse Hagniæ gentilem, qui nunquam fuit. Hæc vero Theopompus secure omnia dicebat, nullo quidem teste adhibito, qui nobis in iudicio rationem redderet: sed quod assensores habebat socios, qui mutuas tradebant operas, atque adeo communi consilio agebant omnia, ut eriperent a muliere hujus pueri matre hæreditatem, quam ei vos decreveratis.

10. Volo igitur, Judices, eorum quæ dixi apud vos testimonia proferre, ut constet, primum evicisse hæreditatem Hagniæ Eubulidæ filiam Phylomacham, genere proximam, post de cæteris omnibus. Lege testimonium.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse apud arbitrum Nicophemo prætore, cum evicerit Phylomache, Eubulidæ filia, hæreditatem Hagniæ contra omnes qui ei controversiam faciebant.

Ac evicisse Phylomacham, Eubulidæ filiam, hæreditatem Hagniæ, audistis, Judices; evicit autem nullo improbo conatu aut conjuratione, sed cum nos, quam fieri justissime potest, ostendissemus, eam esse genere proximam Hagniæ, cuius est hæreditas, quippe quæ sit patruelis filia, et e familia Hagniæ. Si Macartatus igitur dixerit,

patrem suum Theopompum evicisse hæreditatem hanc, vos ei, Judices, respondete, mulierem eandem evicisse hæreditatem prius etiam quam Theopompum Macartati patrem, et juste evicisse mulierem, ut quæ esset e familia Hagniæ, Eubulidæ filia patruelis Hagniæ; Theopompum autem non evicisse, sed decepisse, ut qui ex Hagniæ familia omnino non esset. Hæc vos ei, Judices, respondete, atque illud etiam, puerum hunc Eubulidem, Eubulidæ filium, Hagniæ, cuius est hæreditas, patrueli genitum, nec a Theopompo Macartati patre, neque ab ullo mortalium unquam esse victum: et nunc controversiam et judicium esse, de hæreditate Hagniæ, huic Eubulidæ filio et Macartato isti filio Theopompi, quorum uter æquiora dicere et legibus magis consentanea videbitur, ei nimirum vos Judices assentiemini. Lege reliqua testimonia: primum, Phylomacham, Hagniæ amitam, sororem fuisse germanam et uterinam Polemonis Hagniæ patris; deinde cætera omnia recitabuntur de genere.

TESTIMONIUM.

Testantur se populares esse Philagri Eubulidæ patris, et Polemonis Hagniæ patris, et scire Phylomacham, Eubulidæ matrem, habitam sororem esse Polemonis, patris Hagniæ, germanam et uterinam, neque ex ullo unquam audivisse, fuisse fratrem aliquem Polemoni Hagniæ filio.

ALIUD.

Testantur Oenanthon, matrem avi sui Stratoniæ, Polemonis patris Hagniæ patruelem sororem fuisse, seque audisse e patre suo, Polemoni patri Hagniæ nullum unquam fuisse fratrem, sororem sed fuisse Phylomacham, germanam et uterinam, matrem Eubulidæ, patris Phylomaches quæ Sositheo nupsit.

ALIUD.

Testatur se cognatum esse et curialem et popularem Hagniæ et Eubulidæ, et audisse de patre suo et cæteris cognatis, nullum fuisse fratrem Polemoni Hagniæ patri, sed sororem germanam et uterinam Phylomacham, matrem Eubulidæ, patris Phylomachæ quæ Sositheo nupsit.

ALIUD.

Testatur avum suum esse Archilochum, ab eoque se adoptatum esse, cognato Polemonis patris Hagniæ, et audisse de Archilacho et cæteris cognatis, nullum unquam fuisse fratrem Polemoni patri Hagniæ, sed sororem fuisse germanam et uterinam Phylomacham, matrem Eubulidæ, patris Phylomaches Sosithei uxoris.

ALIUD.

Testatar patrem suæ uxoris Callistratam, fratrem patruelem fuisse Polemonis patris Hagniæ et Charidemi patris Theopompi, matrem vero suam sobrinam esse Polemonis, quæ sæpe ad se dixerit, Phylomacham, matrem Eubulidæ, sororem fuisse Polemonis patris Hagniæ germanam et uterinam, neque ullum unquam fuisse fratrem Polemoni Hagniæ patri.

11. Priore actione, Judices, cum conjurassent isti inter se, conjunctisque copiis multi unam mulierem oppugnarent, nos, Judices, neque testimonia scripsimus de rebus confessis, neque testes citavimus, sed putavimus hæc nobis in tuto esse collocata: isti autem et alia multa impudenter ad judicium comparant, neque quicquam aliud eo quidem tempore curabant, quam ut judices in præsentia fallerent, cum quidem hoc mendacio abuterentur, Polemoni Hagniæ patri omnino nullam fuisse sororem germanam et uterinam. Adeo erant impudentes et vœcordes, ut tanta in re deciperent judices itaque manifeste, et in hoc magno studio summaque contentione incumbebant: nos autem vobis nunc tot testes adduximus de sorore Polemonis, Hagniæ amita. Isti vero testetur qui volet, aut, non fuisse fratres germanos et uterinos Polemonem et Phylomacham, aut, non fuisse Polemonem filium, Phylomacham autem filiam Hagniæ Buseli filii, aut, Polemonem non fuisse patrem Hagniæ, cuius est hæreditas, neque sororem Polemonis Phylomacham, ejusdem amitam, aut, Eubulidem non fuisse Phylomachæ filium, et Philagri patruelis Hagniæ, aut illud, Eubulidæ patruelis Hagniæ filiam non esse, quæ adhuc superstes est, Phylomacham, neque puerum hunc, legibus vestris adoptatum in Eubulidæ familiam, aut, Theopompum, Macartati patrem, ex familia fuisse Hagniæ. Horum quicquid libitum erit testetur aliquis: sed satis scio neminem ita audacem futurum, aut deploratæ fidei hominem. Ut autem perspicuum vobis sit, Judices, eos prius per calumniam fuisse superiores, neque quicquam æqui attulisse, lege testimonia quæ adhuc sunt reliqua.

Pater,	Polemon	Fratres		
et filius,	Hagnias	Patruelis	et Phylomache,	mater.
			et Eubulides,	filius.

TESTIMONIA.

Testatur se cognatum esse Polemoni Hagniæ patri, et audisse e patre suo fratres fuisse patruelis Polemonis, Philagrum Eubulidæ patrem, et Phanostratam Stratii filiam, et Callistratum patrem matris Sosithei, et Euctemonem eum qui regno functus est, et Charidemum patrem Theopompi et Stratoclis; et esse eum cum hujus filiis et Hagnia in eodem genere Eubulidem a patre suo Philagro, siu mater ejus Phylomacha spectatur, Eubulidem Hagniæ patruelem existimari ex amita ortum Haguiæ.

ALIUD.

Testantur se coguatos esse Polemoni patri Hagniæ, et Philagro patri Eubulidæ, et Euctemoni regno functo, et scire Euctemonem fratrem fuisse Philagri patris Eubulidæ eodem patre natum, et, cum Eubulidæ disceptatio esset de hæreditate Haguiæ iustitula, adhuc superstitem fuisse Euctemonem fratrem patruelem Polemonis patris Haguiæ, neque contendisse Euctemonem cum Eubulide de hæreditate Haguiæ, neque tum alium quemquam ratione propinquitatis.

ALIUD.

Testantur patrem suum Stratonom cognatum fuisse Polemoni patri Hagniæ, et Charidemo patri Theopompi, et Philagro patri Eubulidæ, et audisse e patre suo, Philagrum duxisse uxorem primam Phylomacham sororem Polemonis patris Hagniæ eodem et patre et matre ortam, et natum esse Philagro e Phylomacha Eubulidem, defuncta autem Phylomacha, uxorem aliam duxisse Philagrum Telesippam, et natum esse Menesthem fratrem Eubulidæ patre quidem eodem, sed matre non eadem, et, cum Eubulides hæreditatem Hagniæ petiisset ratione generis, eandem neque Menesthem petiisse, neque Euctemonem fratrem Philagri, neque alium quemquam ratione generis contendisse tum cum Eubulide.

ALIUD.

Testatur patrem suum Archimachum cognatum fuisse Polemoni patri Hagniæ, et Charidemo patri Theopompi, et Philagro patri Eubulidæ, seqne e patre suo audisse, Philagrum duxisse uxorem primam Phylomacham sororem Polemonis eodem patre et matre ortam, ac natum esse e Phylomacha Eubulidem, Phylomacha autem defuncta, aliam duxisse uxorem Philagrum Telesippam, et natum esse Philagro e Telesippa Menestheum fratrem Eubulidæ patre quidem eodem, sed matre non eadem, qui Eubulides cum hæreditatem Hagniæ ratione generis peteret, neque Menestheum tum fecisse Eubulidæ controversiam de hæritate, nec Euctemonem fratrem Philagri, nec alium quemquam ratione generis.

ALIUD.

Testatur avnum sunm maternum Callistratum fratrem fuisse Euctemonis regno functi et Philagri Eubulidæ patris, eos antem patruelis fuisse Polemonis patris Hagniæ et Charidemi patris Theopompi, seque audisse e matre sua, fratrem non fuisse Polemoni patri Hagniæ, sororem fuisse natam eodem et patre et matre Phylomacham, et eam Phylomacham nupsisse Philagro, et ex eis esse natum Eubulidem patrem Phylomachæ Sosithei uxoris.

Hæc testimonia recitanda necessario fuere, Judices, ut ne idem nobis accideret, quod prius, cum imparati oppressi sumus: multo autem evidentius etiam contra se testimonium dicet Macartatus, patri suo Theopompo nihil omnino deberi ex Hagniæ hæreditate, cum sit remotior genere Theopompus atque adeo nec ex eadem familia prorsus.

12. Si quis enim sciscitetur, Judices, iste quis est qui cum puer hoc de Hagniæ hæreditate litigat? Satis vos scio responsuros, Macartatum. Quo patre genitus? Theopompo. Qua matre? Apolexide filia Prospaltii, sorore Macartati Prospaltii. Theopompus cuius fuit patris? Charidemi. Charidemus cuius? Stratii. Stratius cuius? Buseli. Hæc est, Judices, Stratii familia, unius Buseli filiorum: et posteri Stratii sunt hi quos audivistis: neque hic ullum usquam nomen est eorum qui sunt ex Hagniana familia, ac ne consimile quidem. Rursus igitur sciscitor puerum hunc, quisnam ipse sit qui cum Macartato de Hagniæ hæreditate contendat? Nihil prorsus aliud respondere queat puer, quam se esse Eubulidem.

Quo patre natus? Eubulide Hagniæ patrueli. Qua matre? Phylo-macha, ex Hagniæ patrueli fratre nata. Eubulides cuius fuit pa-tris? Philagri patrui Hagniæ. Cujus matris? Phylomachæ amitæ Hagniæ. Hagnias porro cuius fuit filius? Polemonis. Polemo cuius? Hagniæ. Hagnias cuius? Buseli. Hæc altera est familia Hagniæ, unius filiorum Buseli: et hic nequaquam inest idem no-men quod est in familia posterorum Stratii, ac ne consimile quidem; sed ipsi per se in Hagniæ familia progrediuntur, nomina a se invi-cem accipientes. Undeliberet igitur et modis omnibus alterius esse familiae convincuntur genereque remotiores, neque quicquam eis ex Hagniæ hæreditate deberi: quibus enim legislator propinquitatem det et hæreditatem, hæ vobis leges recitabuntur.

LEX.

Quisquis intestatus moritur, siquidem liberos muliebris sexus reliquerit, filii cum hisce: sin minus, hi bona possidento. Sin fratres fuerint germani et si liberi e fratribus legitimi, patris partem sortiuntor: sin fratres non fuerint aut fratum liberi, ex eis; eadem ratione sortiuntor. Praferuntor autem mares et a maribus pro-pagati, si ex iisdem fuerint, et si generi remotores. Si vero non fuerint a patre usque ad sobrinorum liberos, ii qui sunt a matre viri pari ratione potestatem ha-bento. Sin ex neutra parte intra hos fuerint, a patre proximus obtineto. Spurio antem, aut spuriae, jus ne esto propinquitatis, neque item sacrorum, neque publico-rum, ab Euclide prætore.

Aperte dicit lex, Judices, quibus adeunda sit hæreditas: non ita me Deus amet Theopompo, aut Macartato Theopompi filio, qui prorsus in Hagniæ familia non sunt. Sed cui? Posteris Hagniæ, qui sunt in familia Hagniæ illius: Hæc et lex loquitur, et jus ita habet.

13. Neque vero, Judices, cum hæc legislator cognatis dederit, alia multa omnino non mandavit, quæ cognatis necessario facienda sunt: sed plurima sunt, quæ lex facere jubet cognatos, neque ullum effugium relinquit quo minus ea facere sit necesse. Quin ipsam legem primum recita.

LEX.

Pupillarum aliquam, quæ in proletariorum ordine sunt, si habere noluerit genere proximus, dote data elocato, patricius, quingentis drachmis; eques, trecentis; se-mieques, centum quinquaginta præter ea quæ ipsa habet. Si vero plures fuerint in eadem familia, pro portione quisque pupillæ conferat. Quod si mulieres plures fuerint, ne necesse sit cognato plus una elocare: sed proximus aut elocato, aut ipse ducito. Quod nisi genere proximus eam vel elocarit, vel duxerit, prætor eum cogat aut elocare, aut ipsum ducere. Quod ni prætor coegerit, debeat mille drachmas, sacras Junoni. Citet autem eum qui detrectarit quivis ad prætorem.

Quid lex dicat, Judices, auditis. Cum autem de pupilla disce-ptandum esset Phylomacha hujus pueri matre, nata ex patrueli Hagniæ, ego veni legem metuens, et eam mihi vindicavi cum essem

genere proximus: Theopompus autem Macartati pater prorsus non accessit, neque controversiam movit, quod nihil ad ipsum attineret, idque cum esset eadem ætate. Quam absurdum autem esse putatis, Judices, cum Theopompus de pupilla, quæ fuit Hagniæ patruei nata, cum nemine unquam litigarit, ut postulet Hagniæ sibi hæreditatem tribui contra omnes leges? Quid istis hominibus fieri queat impudentius aut sceleratus? Recita etiam cæteras leges.

LEX.

Homicida in foro postuletur ab iis qui sunt intra consobrinitatem et a consobriis, una persequantur eundem et consobrinorum liberi, et geueri, et socii, et sobrini, et curiales. Sin cum eo redeundum in gratiam facerit, si pater superstes erit, aut frater, aut filii, aut omnium, aut ejus qui prohibet, valebit auctoritas. Sin horum nemo erit, et cædem invitus fecerit, idque quinquaginta et unus Ephetae pronunciarint invitum fecisse cædem, intromittantur curiales si volent decem: ab his autem quinquaginta et unus ex optimatibus deligantur, et qui prius cædem fecerunt hac sanctione teneantur. Qui vero in municipiis desiderantur, quos nemo sustulerit, eos indicet tribunus cognatis ut tollant et sepeliant et populus eo die lustretur, quo die singuli desiderati fuerint. Denuncietur autem de servis domino, de ingenuis iis qui in bonis sunt. Sin mortuo bona non eruunt, mortui cognatis denuncietur. Quod si post tribuni denunciationem cognati non sustulerint, tribunus tollendum cadaver locet et sepelendum et lustrandum eo die populum, quam miuimo poterit. Sin non locarit, debeto mille drachmas ærario. Quicquid autem impenderit, duplum a debentibus exigito. Quod nisi fecerit, ipse debeto popularibus. Qui autem locationes lucorum Minervæ, et cæterorum Deorum, et Heroum, non reddiderint, infames et ipsi suuto et eorum hæredes, donec solverint.

Hæc omnia quæ leges jubent facere cognatos, nos jubent et facere cogunt, Judices: cum Macartato autem nihil loquuntur, neque cum Theopompo patre ejus. Neque enim in familia Hagniæ sunt in universum: quo pacto igitur istis quicquam mandarent?

14. Ac iste quidem, Judices, ad refutandas leges et testimonia quæ nos exhibuimus, justi nihil afferre potest: sed indignatur et inique secum agi dictitat, qui patre mortuo reus fiat. Illud autem, Judices, non considerat, patrem suum hominem fuisse mortalem, et cum aliis multis obiisse, et senioribus et junioribus. Etsi autem Theopompus obiit, leges non obierunt, neque jus obiit, neque judices pronunciandi auctoritate prædicti. Agitur autem in hoc iudicio et in hac disceptatione, non uter prior aut posterior obierit, sed utrum conveniat necne expelli ex domo Hagniana patrules, et patruelium liberos Hagniæ, ab iis qui sunt e Stratii familia, et ei non ita conjuncti, ut Hagniæ hæreditatem adire possint, sed genere remotores. De hoc igitur controversia cst.

15. Sed et ex hac lege certius etiam cognoscetis, Judices, quantum Solon legislator studium habeat domesticorum; neque relicta duntaxat eis bona det, sed etiam difficultia quæque cognatis mandet. Recita legem.

LEX.

Defunctum intas proponunto suo arbitratu: cadaver autem postridie quam proposuerint, ante solis exortum, efferrunto. Viri cum effertor senus antecedunt, mulieres pone sequntur. Mulieri autem nefas esto in bona defuncti ingredi; itemque sequi cadaver, cum in monumenta dicitur, annis sexaginta minori, iis exceptis quæ intra sobrinas sunt: nec in bona defuncti ingrediantur, postquam elatum cadaver fuerit, mulier ulla, iis exceptis quæ intra sobrinas sunt.

Non sinit ingredi, quo in loco cadaver fuerit, ullam aliam mulierem nisi cognatas usque ad sobrinitatem, et ad sepulcrum usque comitari easdem sinit. Jam Phylomacha Polemonis soror, patris Hagniæ, non consobrina fuit Hagniæ, sed amita; soror enim fuit Polemonis patris Hagniæ: Eubulides autem filius ejus mulieris frater patruelis fuit Hagniæ, cuius est hæreditas: Eubulidæ porro filia fuit hujus pueri mater. Cognatas hasce jubet et adesse propositioni defuncti et ad sepulcrum comitari, non Macartati matrem, neque Theopompi uxorem. Neque enim cognatæ istæ sunt Hagniæ: sed fuerunt ex alia tribu Acamantia, et ex alio municipio Prospaltio, adeo uti prorsus non animadverterint defunctum esse Hagniam. Rem igitur isti supra modum impudentem moliuntur, si in ea opinione sunt oportuisse nos et mulieres nostras cadaveris Hagniæ, cum obiisset, hæredes esse, et persolvere omnia justa, ut cognatos et genere proximos: hæreditatem autem defuncti Hagniæ tenere Macartatum; qui est e familia Stratii, et ex Apolexide Prospaltii filia, Macartati sorore. Sed hoc neque justum, neque fas est, Judices. Lege milii illa ex oraculo Apollinis Delphico, ut intelligatis, eum eadem dicere de cognatis quæ legibus Solonis continentur.

ORACULUM.

Quod felix faustumque sit, querit populus Atheniensis de ostento quod in cælo apparuit, quidnam agendum sit Atheniensibus, aut cui deo sacrificandum aut vota nuncupanda, ut faustus sit ostenti eventus. Prodest Atheniensibus de ostento quod in cælo apparuit, sacrificando litare Jovi summo, Minervæ suminæ, Herculi, Apollini servatori; et mittere ad Amphictyonas de fortuna bona. Apollini Compitalitio, Latona, Dianæ, et compita suffire, et crateras statuere et saltare; et coronas gestare patrio ritu, diis deabusque Olympiis omnibus, dextris sinistrisque sublati meminisse munificentia, patrio ritu heroi principi, a quo cognominati estis, sacra facere et munera offerre, et parentalia defunctis præstari statis diebus a cognatis secundum instituta.

Auditis, Judices, eadem loqui Solonem in legibus, quæ deum in oraculo, jubentem ut defunctis cognati statis diebus inferias dent. At nihil horum curæ fuit Theopompo, aut Macartato: sed illud duntaxat, ut ea tenerent quæ ad eos non pertinerent, et queruntur, sibi nunc moveri controversiam de hæreditate, quam longo tempore tenuerunt. Ego vero sic existimo convenire, Judices, ut is qui aliena injuste tenuit non queratur se ea diutius tenuisse: sed gra-

tiam habeat non nobis sed fortunæ, quod multæ et necessariæ dilatationes interim inciderunt, ut nunc demum de eis nobiscum certent.

16. Isti autem tales homines sunt, Judices, ut nihil curent, neque familiam Hagniæ desolatam, neque cætera, in quibus leges violant. Qui quidem, proh diuum hominumque fidem,—reliqua narrare quorsum attineret? multa enim dici queant,—, unum maxime et nefarium et legibus contrarium facinus perpetrarunt, quo potissimum ostenderunt, sibi nihil aliud esse curæ nisi pecuniam. Nam cum primum Theopompus nobiscum de hæreditate Hagniæ disceptarat, eo modo, quem audistis, statim declaravit existimare se, aliena se occupare. Quod enim maximi erat pretii in prædiis Hagniæ, et maximæ admirationi erat vicinis et aliis hominibus, oleæ, eas effoderunt et extirparunt amplius mille stirpes, quæ magnam olei copiam afferebant, eas isti extirpatas vendiderunt et immensam argenti copiam receperunt, eaque fecerunt isti, cum actioni obnoxia esset hæreditas Hagniæ ex ea lege, qua isti freti matrem hujus accusarant. Ut autem me vera dicere appareat, et istos extirpasserunt oleas constet ex iis prædiis quæ Hagnias reliquit, horum testes vobis producemus vicinos, et ex cæteris quos accersivimus, cum testificaremur. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Testantur se securos accersitos a Sositheo ad Araphena in Hagniæ agros, cum Theopompus Hagniæ hæreditatem crevisset, et sibi ostendisse Sositheum oleas dum extirparentur ex Hagniæ agro.

Quod si, Judices, solum in defunctum injurii fuissent, graviter peccassent, sed non adeo: nunc istæ injuriæ et contumeliæ ad totam rem publ. pertinent. Idque ita esse lege audita cognoscetis. Recita legem.

LEX.

Si quis oleam Athenis effoderit, nisi ad templum Atheniensium publicum aut municipale requiratur, in suos usus usque ad binas oleas quotannis, nisi ad funus iisdem utendum sit, centenas de singulis oleis drachmas ærario debeto; atque ejus mulctæ decimæ Minervæ sunt. Debeto et homini privato, a quo reus peractus fuerit, centenas drachmas in singulas oleas. Actio autem harum rerum apud eos magistratus instituatur, quarum quique judices sunt. Et actor sportulas ponat suæ partis. Qui autem condemnatus fuerit, eum prætores inseribunt apud eos quos judicium fiet ex actoribus de eo quod in ærarium redit, quæstoribus Minervæ de eo quod deæ consecratum est: quod ni inscripserint, ipsi debento.

Lex quidem hæc firma est: illud autem cogitate ipsi vobiscum, Judices, quidnam putetis nos perppersos esse superiore tempore ab istis istorumque petulantia, qui tantam vestram urbem contempserunt et leges vestras, et, quod aperte legibus interdictum est, adeo contumeliose prædia devastarunt quæ reliquit Hagnias. Lex au-

tem vetat vel in proprio patrimonio ista fieri: multum scilicet isti curant, an legibus vestris obtemperent, aut Hagniæ familia de-soletur.

17. Ego vero de meipso pauca dicam apud vos, Judices, atque ostendam, aliter quam istis curæ mihi fuisse Hagnianam familiam, ut ne interiret: nam et ipse sum Buselini generis. Habronis enim Buseli filii neptem e filia duxit Callistratus, Eubulidæ filius, Buseli nepos: et ex Habronis nepte et Callistrato nepote Habronis nata est mater nostra. Ego vero matrem hujus judicio evictam duxi; natique mihi filii sunt quatuor, una filia. His nomina imposui, Judices, hæc, natu maximo Sosiæ patris mei, ut æquum est; et natu maximo id nomen restitui. Proxime ab hoc nato nomen feci Eubulidæ, quod nomen fuit patri matris pueri hujus. Ei qui hunc sequitur Menesthei nomen imposui: nam et Menestheus cognatus uxori meæ fuit. Minimo nomen feci Callistrato, quod nomen patri matris meæ fuit. Præterea filiam etiam nulli alieno collocavi, sed fratri mei filio, ut si valuerint, et horum liberi ex eadem sint cum Hagnia familia. Ac ego quidem eam rationem inii, qua maxime familiæ oriundæ a Buselo conservarentur: in istos autem rursus inquiremus. Sed legem prius hanc recita.

LEX.

Prætor curam gerat papillorum, et pupillarum, et familiarum quæ intereunt, et matronarum quæ manent in ædibus maritorum defunctorum se uterum ferre dicentes: horum curam gerat, neque sinat eis injuriam fieri, aut quicquam in eos iniquum committi: et potestalem habeat auctoritate magistratus infligendæ poenæ. Sin graviore poena dignus videbitur, accersitum accuset, et mulcta suo arbitrio inscripta, in Heliceam introducat. Quod si convictus fuerit, pronunciet Helicea quid ei sit luendum aut solvendum.

Quo autem pacto magis ulli familiam alicujus extirpare possint, quam si Hagniæ genere proximos expulerint ii, qui sunt ex alia Stratii familia?

18. Et rursus, si hæreditatem Hagniæ postulat, ut cognatus, nomen autem habet nedum ex Hagniæ familia, sed nec e Stratii sui progenitoris; atque adeo, cum tanta fuerit Buseli posteritas, ne illorum quidem ullius nomen habet. Nam unde est Macartati nomen? A materna familia: adoptatus enim iste est in familiam Macartati Prospaltii, avunculi sui, et illam etiam habet familiam. Atque ita injurius est, ut nato sibi filio, eum etiam in Hagniæ familiam introducere sit oblitus, idque cum Hagniæ hæreditatem teneat, et ejus se gentilem esse profiteatur. Sed eum filium Macartato avunculo adoptandum dedit in Prospaltium municipium, Hagnianam autem familiam quantum in se fuit extingui passus est: qui idem dicit patrem suum Hagniæ fuisse agnatum. Cum autem

Solonis lex jubeat mares et a maribus procreatos potiores haberi: iste adeo expedite et leges et Hagniam contempsit, ut filium suum in maternam familiam adoptandum dederit. Qui fieri possint homines istis iniquiores, aut violentiores?

19. Neque vero hoc solum commiserunt, Judices, sed cum Buselidæ omnes commune monumentum habeant,—idque monumentum Būselidarum nominetur, amplum spatiū circumseptum, ut antiqui solebant—, in eo monumento, cæteri omnes orti a Buselo siti sunt, Hagnias, Eubulides, Polemo, et reliqui omnes tanta multitudo, universi denique orti a Buselo id monumentum commune habent. Macartati autem pater ejusdemque avus eo monumento usi non sunt, sed ipsi privatim sibi monumentum fecerunt procul a Būselidarum monumento. Num videntur vobis, Judices, quicquam ad Hagniæ familiam attinere, nisi quatenus ea quæ nihil ad ipsos attinent erepta occuparunt? Sed utrum intereat Hagniæ familia, et Eubulidæ Hagniæ patruelis, eorum etiam noniine abolito, ejus rei cura nec minima illis unquam fuit.

20. Ego autem, Judices, opitulor equidem, quantum possum maxime, defunctis illis: sed non omnino facile est istius apparatus adversari. Trado igitur, Judices, vobis hunc puerum ita curandum, ut vobis æquissimum videbitur. Hic adoptatus est in familiam Eubulidæ, et introductus ad curiales non meos, sed Eubulidæ, Hagniæ, et Macartati. Et, cum introduceretur, cæteri curiales clam suffragia ferebant: Macartatus autem aperto suffragio decernebat recte introduci filium Eubulidæ puerum hunc, cum victimam tangere nollet, aut ab ara abducere seque reddendæ rationi reddere obnoxium, sed et parte carnium a puero hoc accepta, ut et alii curiales, abiit. Existimate igitur, Judices, puerum hunc ante vos jacere supplicem pro defunctis Hagnia et Eubulide et cæteris ab Hagnia oriundis, atque illos ipsos vobis supplicare, Judices, ne sua familia exstinguatur ab immanibus istis belluis, quæ cum sint e Stratiana familia, ex Hagniana fuerunt nunquam: neque permittatis istis tenere aliena, sed ea restituere cogatis in Hagnianam familiam cognatis Hagniæ. Ego igitur et illis opitulor defunctis, et legibus hisce de rebus latis. Vos autem orø, Judices, obsecro, et obtestor, ne vel puero huic insultari patiamini ab istis, vel majores ejus magis etiam despici, qui nunc contempti erunt, si isti obtinuerint quæ volunt; sed leges tuemini, et defunctos curate, ne eorum familia exstinguatur: quæ, si feceritis, et quæ æqua sunt, et pro vestra fide, et vobis ipsis utilia decernetis.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS LEOCHAREM DE HÆREDITATE.

ARCHIADA sive liberis defuncto, Leocrates hæreditatem cepit, quod et cognatus ejus esset, et se ab Archiada adoptatum esse diceret. Ac ad tempus eam ipse tenuit. Deinde filio suo Leostrato suo loco Archiadæ adoptato, familia cedit, et in suam redit, quasi ea res lege liceret. Idem fecit etiam Leostratus, et pro se in Archiadæ familia relieto filio nomine Leocrate, ipse in sui naturalis patris familiam rediit. Postremus igitur hic Leocrates Archiadæ adoptatus orbus decessit: cuius hæreditatem adiit Aristodemus, asserens se genere proximum esse Archiadæ, cuius ab initio illa fuerit, et propter illum Leocrati postremo adoptivorum. Leocharès autem, defuncti frater, de hæreditate contendens, in primis ille quidem adoptione nititur, ut filius Leocratis adoptatus: sed tamen etiam se Archiadæ cognatum esse asserit. Is vero, qui Aristodenium defendit, generis propinquitatem Aristodemo dare hæreditatem, adoptionem autem commentitiam esse affirmat. Neque enim vivens, inquit, Leocrates sibi Leocharēm adoptavit, ut leges præcipiunt, sed sub' ejus obitum ut nos bonis fraudarum contra leges facta est adoptio. Orationem habet Aristodemi filius.

DEMOSTHENIS ADVERSUS LEOCHAREM DE HÆREDITATE ORATIO.

1. **CULPA** Leocharis fit, Judices, ut et ipse in jus vocetur et ego adolescens apud vos verba faciam, quod eas hæreditates capere studet quæ nihil ad ipsum attinent, et propter eas falso apud prætorem testificatus est. Nobis enim necesse fuit, cum lex genere proximis propinquitatis jus tribuat, ut Archiadæ cognatis qui ab initio hæreditatem reliquit, cavere, ne vel ejus familia extinguatur, vel hæreditas ad eos devolveretur, ad quos minime pertineret: iste autem cum nec genere sit defuncti filius, nec legibus adoptatus, ut ego ostendam, adeo temere falsum testificatus est, et nobis eripuit hæreditatem. Oro autem vos, Judices, ut et patri huic meo et mihi opem feratis, si quæ æqua sunt dixerimus, neque negligatis homines pauperes, et inopes, et iniqua factione potentum oppressos.

2. Nos enim veritate freti hoc ingressi sumus, bene agi nobiscum putantes si quis nos frui legum præsidiis patiatur: isti autem factionibus et largitionibus nisi non destiterunt. Neque vero mirum. De alieno enim sumptus haud gravate faciunt; proinde et suæ

causæ defensores et falsos testes multos compararunt: pater vero meus—dicetur enim—una cum paupertate, ut vos omnes nostis, et imperitia rerum manifestis testimoniis pugnat. Nam in Piræeo præconium factitat: id quod non modo paupertatis argumentum, sed et occupationis est quæ lites sectari prohibebat; qui enim talem quæstum facit, eum necesse est totos dies in foro esse. Quæ vos reputantes cogitabitis, nos, nisi justitia freti essemus, nunquam in conspectum vestrum fuisse prodituros. Sed quæ hujus generis sunt, progressu orationis, clarius audietis: de ipsa autem contestatione et causa, nunc videtur esse disserendum.

3. Quod si, Judices, ex ipsa contestatione Leochares petiturus defensionem atque ostensurus esset, se germanum esse Archiadæ filium, nihil opus esset multis verbis, neque necessarium nos a primordio inde nostrum genus percensere: sed quia se contestatio aliter habet, atque isti maximam orationis partem in eo consument, se adoptatos esse, et cum germani filii sint, ratione propinquitatis jure percepturos hæreditatem, necesse nobis est, Judices, propter has causas paulo altius genus nostrum vobis exponere. Hoc enim perspicue cognito, verbis eorum non decipiemini. Nam hæc controversia disceptatio est de hæreditate: in eam vero agimus nos ratione generis et propinquitatis, isti ratione adoptionis. Confitemur autem coram vobis ratas esse oportere adoptiones, quæ legibus rite factæ fuerint. Quare vos, horum fundamentorum meores, si ostenderint vobis leges ea permittere quæ ipsi contestati sunt, decernitote eis hæreditatem: sin legibus id quidem demonstrare non poterunt, sed æqua tamen et humana dicere videbuntur, etiam sic concedimus. Ut autem sciatis nos genere esse proximos, neque eo niti solum, sed et cæteris omnibus, primum vos de ipso genere docebimus, unde hæreditas est: existimo enim, si hanc causæ partem liquido cognoveritis, fore ut nec cæterorum quicquam vos prætereat.

4. Principio, Judices, nati sunt Euthymacho Otrynensi filii tres, Midylides, Archippus, Archiades, et filia cui nomen fuit Archidice. Hi patre defuncto, Archidicen Leostrato Eleusinio collocant. Ex ipsis vero tribus Archippus triremi præfectorus Methymnæ diem obiit. Midylides non multo post tempore ducit Mnesimacham, Lysippi Crioensis filiam, eique filia nascitur nomine Clitomacha, quam ille voluit fratri suo qui cœlebs erat dare. Cum autem Archiades sibi non esse in animo uxorem ducere diceret, sed et patrimonium propterea indivisum esse passus, seorsim Salamine habitaret: sic tandem Midylides suam filiam Aristoteli Pallenensi despondet, avo meo, e quo nascuntur filii tres, Aristodemus pater hic meus, Habronichus patruus, et Midylides qui nunc obiit.

5. Ac generis quidem nostri propinquitas, in quo est hæreditas,

sic fere habet, Judices. Archiadæ enim nos a viris sumus genere proximi, et, quoniam ejus hæreditatem hac lege postulamus neque genus ejus exstingui patimur, apud prætorem in hæreditatem egimus: isti autem, qui bona per injuriam detinent, nunc contestati sunt, in universum quidem adoptione nitentes, sed et cognatos esse se dictantes. Sed de ea adoptione quo pacto se habeat, perspicue vos postea docebimus: de genere autem, non esse eos propinquiores nobis, id vobis cognoscendum est.

6. Unum igitur in confessu est, inter hæredes potiores esse mares et maribus progenitos; simpliciter enim a virili stirpe proximis, si liberi nulli sunt, lex hæreditates restituit: hi vero nos sumus. Sine liberis enim decessisse Archiadæ constat, ei autem nos a virili, atque adeo etiam a muliebri stirpe iidem, nos proximi sumus. Midylides enim frater fuit Archiadæ: Midylidæ autem filia, mei patris mater. Proinde Archiades, cuius hæreditatem vendicamus nunc, mei patris matri patruus fuit, a viris ea cognatione orta, non a mulieribus. Leostratus autem iste et remotior est genere, et a muliebri stirpe Archiadæ conjunctus. Leocratis enim avia paterna soror fuit Archiadæ illius, et Midylidæ, a quibus nos oriundi hæreditatem postulamus. Primum igitur, Judices, genus nostrum ita se habere, ut dicimus, ut appareat testimonia vobis legentur: deinde lex ipsa quæ et familiis et a virili stirpe proximis hæreditates tribuit. Capita enim controversiæ, et ea de quibus jurati pronunciabitis, hæc fere sunt. Voca mihi testes huc, et legem recita.

TESTES. LEX.

Quæ igitur ad genus, et istorum et nostrum, attinent, sic habent, Judices. Proinde qui ipsis testimoniis ostenderunt, se esse genere propiores, hæreditatem percipere debent, neque contestati desperatione potior esse institutis vestris. Nam si adoptione nituntur, nos ea uti facta sit ostendemus. Cum autem filius adoptivus orbus utique obierit, et familia illius usque ad nostram actionem deserta fuerit, an non et genere proximos hæreditatem recuperare, et vos, non ad decipiendum optime instructis, sed affectis injuria civibus opem ferre par est? Nam si in nostra potestate esset, ostendo genere et ipsa contestatione, descendere, eorumque nihil quæ diximus plura verba requireret, vobis diutius molesti non essemus: postquam autem isti legibus non nituntur, sed eo quod superioribus temporibus rerum aliquid ante occuparunt et interceperunt, et in bona invaserunt, his argumentis utentes se adisse hæreditatem dicent, necessarium sane est etiam de his dicere, atque ostendum istos omnium hominum esse violentissimos.

7. Nam ab initio, Judices, elocant sororem suam Midylides et

Archiaades Leostrato Eleusinio: post, e filia illius elocatæ sororis illorum nascitur Leocrates pater Leostrati. Considerate, ut unus de multis in Archiadæ cognationem iste pertineat, de quo contestatus est. Quæ cum ita se habent, Archiaades matrimonium non contrahit, Midylides autem frater ejus, avus istius, uxorem dicit: et quia nondum patrimonium partiti erant, sed uterque habebat quantum satis esset, Midylides in urbe permanet, Archiaades Salamine habitat. Non multo autem post, cum Midylides avus patris mei extra Atticam peregre forte abiisset, in morbum incidit Archiaades et mortem obit, absente Midylide, homo cœlebs. Quod ejus rei signum est? Puer situlam ferens est Archiadæ sepulcro impositus. Eo tempore, cognitionis a mulieribus ortæ prætextu, Leocrates Leostrati pater se adoptat filium Archiadæ, et sic in bona invadit, tanquam ab eo vivente adhuc adoptatus. Reversus Midylides et id factum indignè ferebat, et judicio Leocratem persequi statuerat. Sed suadentibus cognatis et precantibus ut in familia Leocratem adoptivum Archiadæ filium esse pateretur, concessit Midylides, non judicio victus, sed omnino ab istis circumventus; deinde sane etiam domesticis obsecutus. Ac Midylides his actis mortem obit: Leocrates autem Archiadæ bona tenet, et hæreditatem percipit multos annos, ut ejus adoptivus filius. Nos vero, quod ea Midylides concederat, quievimus.

8. Non multo autem post—quæ deinceps dicentur diligenter attendite, Judices—Leocrates adoptatus Archiadæ, relicto in ea familia Leostrato filio legitimo, ipse redit in Eleusinios, unde erat oriundus: ac ne tum quidem nos quicquam earum rerum quæ ad hæreditatem attinent movimus, sed quæ acta erant rata habuimus. Rursus autem Leostratus ipse, qui adoptivus esset filius et relictus in Archiadæ familia, revertitur ad Eleusinios, ut et pater suus, relicto in ea familia germano filio, per tres personas primitiva adoptione contra leges confirmata. Qui enim cum legibus consentiat, cum ipse filius adoptivus, filiis adoptivis relictis, in suam familiam sit reversus? Idque ad hunc usque diem facere non destitit; eoque pacto se nos hæreditate fraudaturos putant, quæstum faciendo et liberorum instar victim ex Archiadæ bonis petendo, atque inde semper in paternam familiam redeundo, ac eam quidem sartam tecum conservando, illam autem consumendo.

9. Sed tamen, quamvis ista ita fierent, nos quod dixi toleravimus omnia, quo usque? Donec Leocrates in Archiadæ familia relictus filius orbus decessit. Quo sine liberis defuncto, pertimus ut nobis genere proximis Archiadæ reicta ejus bona tribuantur; et non defuncto, qui ipse fuit adoptivus, filius in fraudem nostram adoptetur. Quod si ipse vivens fecisset, quanquam id factum contra leges esset, non repugnassemus: sed quia neque natura fuit ei filius ullus, ne-

que ullum vivens ille adoptavit, lex autem hæreditates genere proximis tribuit, nonne utraque ratione æquum est nos bonis non fraudari? Nam et Archiadæ, cuius fuere bona ab initio, genere proximi sumus, et adoptivo Leocrati. Illius enim pater, ad Eleusinius reversus, necessitudinem illam ex lege ipse sibi præcidit: nos vero, in quorum erat familia, arctissimam cognationem retinuimus, cum essemus ejus sobrini. Proinde, si vis, ut Archiadæ cognati hæreditatem petimus, si vis, ut Leocratis. Qui cum sine liberis decesserit, nemo est ei quam nos genere propior: et quantum in te quidem fuit extincta est, Leostrate, familia. Propter bona enim conjunctionem eorum virorum qui te adoptarant tuebaris. Quoad enim, eo defuncto, hæreditatem nemo petebat, nullum Archiadæ filium adoptabas, postquam autem nos ejus cognati in medium venimus, tum adoptas, ut bona retineas: cum nihil esse dicas Archiadæ, a quo sis adoptatus, contestaris contra nos, et genus nostrum quod in confessu est expellis. Quod si nihil est in ædibus, quid tibi decedit si nos nihil illud ex hæreditate percipimus? Sed enim ejus impudentia et avaritia talis est, Judices, ut existimet oportere se et in Eleusiniis paterna bona regressum obtinere, et eorum etiam quæ per adoptionem occupavit, cum non sit filiusfamilias, potiri: atque hæc omnia facile perficit, qui, cum de alieno contra nos homines pauperes et inopes largiatur facileque omnia conficiat, multo est superior. Quapropter vos etiam opitulari oportere arbitror hominibus nihil iniqui potentibus, sed eo contentis, si quis nos legum frui præsidiis patiatur. Quid enim agendum nobis est, Judices, adoptione per tres pervagata, et postremo in Archiadæ familia reflecta, qui cum sine liberis decesserit, nonne tandem aliquando nostrum recuperabimus? Hoc igitur jure freti, ad prætorem eos citavimus. Leochares autem ita confidenter falsum contestatus, oportere nos existimat contra omnes leges fraudari hæreditate.

10. Primum igitur, ut constet, illa de adoptionibus et genere istorum vere nos dixisse, et puerum cum situla Archiadæ monumento esse impositum, hæc vobis testimonia recitabimus: dein et cætera perspicue vos edocebimus, ut istos falsæ contestationis convincamus. Cape testimonia, quæ dico.

TESTIMONIA.

Proinde rei ratio et simplex jus hæreditatis ita se habet, Judices; et eorum quæ inde ab initio acta sunt ipsa capita fere omnia audistis: quæ autem post actionem de hæreditate institutam fecerint, et quo pacto nos tractarint, dictu necessarium existimo. In hæreditatis enim judiciis tam inique cum nemine arbitror esse actum, quam nobiscum.

11. Defuncto enim Leocrate, et funere ei facto, nobis in possessionem euntibus propterea quod vir ille et cœlebs et orbus decessisset, eduxit nos Leostratus, sua esse asserens: ac quod nos defuncto justa persolvere prohibuit, cum ipse pater illius esset, excusationem fortassis habet, quanquam iniquum erat id facinus. Ei enim qui natura pater est curationem mandari funeris par est: deinde tamen etiam necessariis nobis, quorum ratione adoptionis cognatus erat defunctus. Postquam autem justa persona fuerunt, qua lege ostendet, se, deserta familia, nos genere proximos dejecisse bonis? Eo scilicet quod defuncti pater erat? At qui reversus erat in paternam familiam, neque jam ejus patrimonii, in quo reliquerat filium, dominus. Quod ni ita est, quæ legum est utilitas? Facta igitur dejectione, ut plurima omittamus, actionem apud prætorem de hæreditate instituimus, cum neque natura, ut dixi, ullus esset defuncto filius, neque adoptio facta legibus. Post hæc Leostratus sacramento certat, asserens se illius Archiadæ esse filium, neque cogitans vel se redisse in Eleusinios, vel adoptivos non ipsos a semetipsis, sed ab adoptantibus constitui: verum illud, opinor, omnino in animum induxerat suum, oportere se quo jure quaque injuria appetere aliena. Ac primum in Otrynensium concessionalem tabulam se inscribere, cum esset Eleusinius, conabatur, idque procurabat: deinde priusquam in Otrynenses relatus esset, particeps esse studebat communium rerum, tantumque designare facinus impellente avaritia instituebat. Quo nos animadverso, factum id testibus adhibitis prohibuimus: postulantes ut hæreditate prius apud vos disceptaretur, quam ad Archiadæ nomen quisquam adoptaretur. Prohibitum autem, et injuriarum et ad tabulam et in foro magistratum convictus, coram multis, nihil vi agendum censuit, cum se vestris legibus calliditate et opibus fore superiorem speraret.

12. Ejus rei argumentum quodnam est? Convocatis paucis Otrynensibus et tribuno plebis persuadet, cum album apertum fuerit, ut inscribatur: ac postea venit in magnis Panathenæis sub distributionem ad theatram pecuniam; cumque alii populares acciperent, petebat ut et sibi daretur, utque in album nomine Archiadæ inscriberetur. Cum vero nos testificaremur, et non ferendum id esse alii dicent, abiit nec inscriptus nec theatrali accepta pecunia. Eum igitur qui contra decretum vestrum theatram pecuniam postulat, priusquam in Otrynenses inscribatur, si alterius municipii sit, non putatis hæreditatem contra leges petiturum? Est vero credibile, qui tam iniquas prærogativas ad explendam avaritiam suam ante judicij cognitionem molitur, eum causa niti? Nam qui pecuniam theatram inique postulavit, is de hæreditate nimirum eodem est animo. Quin prætorem etiam actione ex sponso decepit, et

contra nos rescripts Otrynensem esse se in Eleusino municipio habitantem.

13. Cum autem nihil ei horum succederet, proximis hisce comitiis, subornatis quibusdam popularium, postulavit se inscribi ut adoptivum Archiadæ filium. Nobis autem adversantibus et postulantibus, ut post factam de hæreditate disceptationem suffragia ferrent, prius autem non: in eo paruerunt non propter semetipsos, sed propter leges. Non ferendum enim esse videbatur, ut qui ex sponso in hæreditatem ageret sese adoptaret, re nondum dijudicata.

14. Quod autem post hæc instruxit Leostratus, id est omnium gravissimum. Nam cum inscriptio ei negaretur, adoptat Archiadæ Leocharem filium contra omnes leges, ante factam populi approbationem. Qui cum nondum introductus esset ad curiales Archiadæ, sed duntaxat inscriptus, persuasit uni curialium, ut eum inscriberet in curialium album. Ac deinceps in contestatione apud prætorem eum describit, ut qui filius defuncti legitimus esset multos annos, qui heri et nudiustertius inscriptus fuerat. Ita fit ut uterque sibi hæreditatém vendicet. Nam et Leostratus sacramento de hæreditate contendit, ut legitimus Archiadæ filius, et Leochares contestatus est, se filium esse legitimum ejusdem patris: cum neuter viventi illi, sed uterque defuncto se adoptet. Nos vero, Judices, æquum putavimus, postquam vos hanc causam cognoscetis, tum demum e genere proximis defuncto filium adoptari, ne intereat ejus familia.

15. Primum igitur, Judices, ex Otrynensibus Leostratum in Eleusinios redisse, relicto Archiadæ filio legitimo, et, patrem ejus idipsum fecisse prius, et, illum qui relictus in familia fuerat orbum decessisse, et, eum qui nunc contestatus est prius in populares quam in curiales esse inscriptum, uti constet, iis de rebus vobis et curialium et municipum testimonia recitabuntur, de cæteris item et iis quæ nos ab istis facta memoravimus omnibus, vobis testimonia singulatim exhibebo. Proinde mihi testes accersito hoc.

TESTES.

Rem igitur omnem audistis, Judices, et ea quæ ab initio in hac hæreditate facta sunt, et quæ post evenerunt, ut primum nos agere instituimus: reliquum autem est, ut et de contestatione ipsa dicamus, et de legibus quarum auctoritate hæreditatem postulamus; et ut, dum aqua suppetit et quoad sine vestra molestia fieri poterit, ostendamus ea quæ ab istis dicentur, neque justa esse neque vera. Ac primum contestationem vobis scriba recitabit, quæ attente audienda erit: de ea enim nunc pronunciabitur.

CONTESTATIO.

Contestatus igitur iste est, ita sane sicut audivistis, in Archiadæ hæreditatem agi non posse, cum ei sint naturales liberi firma auctoritate ex instituto. Quæramus igitur, sint ne ei liberi, an iste falsum contestatus sit. Archiades ille, cuius est hæreditas, adoptavit istius qui nunc contestatus est avum : is vero, legitimo filio relicto patre istius Leostrato, ad Eleušinos rediit : post hæc ipse Leostratus itidem, relicto, filio, in paternam familiam rediit : ille vero ab eo postremus relictus omnium adoptatorum sine liberis decessit, proinde familia deserta rediit hæreditas rursus ad eos qui ab initio genere proximi fuerunt. Quo pacto igitur, quod istius contestatione affirmatur, filii aliqui Archiadæ reliqui esse possent, cum et adoptivi ejus se regressos esse fateantur, et is qui postremus in familia relictus est orbus decesserit ? Proinde necesse est familiam esse desertam : quæ deserta cum sit, liberi superesse nequeunt. Iste igitur contestatus est eos qui non sunt esse ; et in contestatione scripsit, cum sint liberi, qui unum se esse asserit.

16. At cum dicit naturales firma auctoritate ex instituto, imposturam facit contra legem. Nam illud est esse naturalem, si quis semine satus fuerit, et hoc testatur lex his verbis, quam desponderit pater aut frater aut avus, ex ea naturales ac legitimi liberi sunt: verbum porro rata auctoritate legislator de adoptionibus usurpavit, quod existimabat, si quis, orbus suorum bonorum dominus, filium adoptarit, ratum id esse. Iste vero natura nullum Archiadæ filium esse ait: sed contestatus est cum sint naturales, contestatione facta rei contraria. Qui cum se adoptivum esse profiteatur, ab ipso defuncto ut constat non est adoptatus : proinde, quo pacto tibi ista porro rata erunt ex instituto ? Propterea, nimirum, quod inscriptus est Archiadæ filius; ab ipsis scilicet nuper vi facta, cum lis de hæreditate jam contestata esset. Non est profecto justum injuriam argumenti loco adducere.

17. Nam illud, Judices, ferri qui potest, eum qui nunc incunctanter dicat se adoptivum esse, in contestatione id scribere non fuisse ausum: sed scriptum in contestatione ita esse ut de filio naturali, ea quæ mox dicentur ut de adoptivo ? Quod si defensionem attulerint contestationi contrariam, aliter fieri qui potest quin aut defensio falsa sit aut contestatio ? Nec ab re adoptionem in contestatione non posuerunt. Adscribendum enim eis fuisset, a quo essent adoptati : ille autem eos non adoptavit, sed ipsi sese adoptantes nos hæreditate spoliavit.

18. Jam ut pergamus ad alia, qui non absurdum simul et ini-

quum est, quum sacramento contendenter de hæreditate apud prætorem, quasi esset Archiadæ filius Otrynensis, Leostratus iste Eleusinius : aliud esse contestatum, ut ipsi cernitis, dicendo, et alterum istum esse Archiadæ filium ? Utri vestrum, ut vera dicenti, fides est habenda ? Id ipsum enim argumentum non minnum est falsam fuisse contestationem, quod eadem de re non idem controversiam facit. Neque injuria. Nam cum Leostratus sacramento nobiscum de hæreditate contenderet, nondum contestatus fuerat ; nunc inscriptus est ut municeps. Quare omnium hominum infelicissimi erimus, si contestationi post rem factæ fidem habituri estis.

19. Quin antiquiora seipso contestatus est : is enim qui in Archiadæ familia nondum fuit, cum actio hæc de hæreditate institueretur, qui horum aliquid scire potest ? Deinde, si injuste de semetipso contestatus esset, rationem haberet ipsa res, injuste qui dem scripsisset, sed nihilominus pro eo qui pro ætate loqueretur : nunc germanos liberos Archiadæ illius scripsit esse, patrem suum nimirum et se ratione primæ adoptionis, non recordatus sese reversos esse in nativam familiam. Proinde necesse est antiquiores eum res, neque suis temporibus factas, esse contestatum. Et vos ei qui hoc ausus est creditis ut vera dicenti ?

20. At, Hercule, de re e suo patre audita contestatus est : atqui lex vetat ea quæ e vivente auditæ sint, pro testimonio dicere, quæ e defuncto ea sinit. Nam illud etiam cogitate, cur tandem Leostratus non sese, sed istum, inscriperit contestationi ?—nam de rebus antiquioribus natu majorem contestari oportebat—quod si maxime dixerit : hunc filium Archiadæ adoptavi. Proinde te, gestorem et auctorem rerum, earundem etiam rationem reddere oportebat, et quæ egeras tuo egisse periculo, omnino certe necesse est. Sed et hoc fugisti, et contestationi istum rerum omnium ignarum inscripsisti. Proinde perspicuum vobis est, Judices, contestationem non esse veram, idque isti ipsi confiteatur. Quin et illud justum est, non pati Leostratum mox dicere, quæ non fuit ausus inserere contestationi.

21. Neque vero ullum esse actionis iniquius genus et propter quod magis irascendum sit iis qui illo utuntur quam contestationes, inde potissimum cognoscetur. Primum necessariæ non sunt, ut cæteræ, sed a consilio et voluntate contestantis oriuntur. Nam si controversia non aliter explicari possit, nisi contestareris, fortasse contestari necesse esset : sin etiam sine contestatione in omnibus conciliabilis agendæ causæ potestas datur, nonne temeritatis et summæ despcriptionis argumentum est contestatio ? Neque enim eam legislator necessariam fecit adversariis : sed, si contestari voluerint, concessit, veluti periclitans ingenia et mores singulorum, quantopere nobis libeat temere aliquid agere ? Præterea quantum in

contestantibus est, neque curiae essent, neque judicia fierent. Id enim contestationum ingenium est ut eae haec omnia prohibeant, et singula excludant quo minus in judicium veniant, quantum quidem est in voluntate contestantis. Quapropter existimo illud hominum genus pro communibus hostibus omnium esse rerum habendum, neque eos unquam apud vos disceptare. Ulro enim quisque contestandi periculum, non coactus, subit.

22. Ac falsam esse contestationem, tum e scriptis tum e dictis orationibus certo fere cognovistis : jam illud etiam, Judices, legibus nobis haereditatem tribui, paucis vos edocebo, non quin id ex iis quae initio diximus intellexeritis, sed ut instructiores sitis ad istorum mendacia justis rationibus repudianda.

23. In universum igitur, Archiadæ sumus, cujus est haereditas, genere virili proximi ; et adoptio, quam ille fecit, irrita est, quoniam cæteri in paternam familiam reversi sunt, is vero qui relictus fuerat sine liberis decessit : quæ cum ita sint, postulamus haereditatem, nulla bona Leostrato erepturi (nam isti sua habent) ; sed ea recuperaturi quæ ab Archiade reicta legibus ad nos redierunt. Lex enim, Judices, jubet potiores haberi mares et maribus prognatos ; qui nos sumus. Neque vero liberi fuerunt : qui vero sunt, ii nos sumus.

24. Deinde profecto non est æquum ut adoptivus filius alios adoptivos introducat, sed ut eos relinquat qui in familia nascuntur ; quæ res si defecerit, ut cognatis haereditates restituantur : hæc enim leges jubent. Qui enim non quisque vestrum propinquitate et jure generis excludetur, si adoptivis ista licentia concedetur ? Videtis enim, assentationibus plurimos delinitos et dissensionibus cognatorum sæpe alienatos, filios adoptare : quod si adoptato contra legem quemvis adoptare licuerit, nunquam familiis haereditates restituentur. Quod ut præcaveret legislator, vetuit ne qui ipse adoptatus esset filium adoptaret. Qua ratione iste definit ? Cum inquit, naturali filio relicto in familia revertatur, aperte sane significat, non esse adoptandum. Fieri enim non potest ut naturalem quisquam filium relinquat, nisi quem ipse procreavit. Tu autem, Leostrate, postulas, defuncto illi in nostram familiam adoptato, adoptivum in haereditatem introducere, quasi tuas possessiones, et non genere proximo tradendas, invaderes.

25. Nos vero, Judices, si defunctus aliquem adoptasset, quamquam lege non sinente, pateremur : aut, si testamentum reliquisset, id quoque ratum habereimus. Nam ab initio tales perpetuo fuimus, ut istis bona occupantibus non adversaremur, et pro sua libidine retrorsum abeuntibus: postquam autem nunc tandem et ab ipsis ipsis et a legibus res in lucem prolata et constituta est, et haereditatem nobis tribuendam censemus Archiadæ, et penes nos esse filii

adoptionem, qui prius adoptati non sumus, non penes istos. Si quidem jure, opinor, legislator, ut et calamitates cognatorum et elocationes mulierum genere proximis mandavit, sic et hæreditates et bonorum perceptionem iisdem restituit. Quod vero est omnium maximum vobisque notissimum, Solonis lex, nec testamentum facere adoptivum nec legare ea quæ sunt in familia cum adoptatur, sinit. Jure omnino. Nam auctoritate legum adoptato in alienas opes, non sic, ut de privatis rebus, est statuendum: sed ex præscripto legum, singula ita ut perscripta sunt facienda, sicut lex ait. Qui non adoptati fuerant, ait, cum Solon magistratum iniret, eis testamenti faciendi suo arbitratu jus esto: adoptatis vero testamenti factio ne esto, sed aut viventes relicto naturali filio in familiam rediunto, vel defuncti hæreditatem primis cognatis adoptatoris restituunto.

ARGUMENTUM PRIMÆ ORATIONIS IN STEPHANUM TESTEM.

CUM Apollodorus Phormionem aocusaret, de mensæ pecunia, isque actioni exceptionem opponeret, Stephanus cum aliis pro testimonio dixit, Phormionem conditionem tulisse Apollodoro, si negaret exemplum esse testamenti paterni quod habcret Phormio, se exhibitorum testamentum ipsius Pasionis aperiendum, quod haberet et exhiberet Amphias: Apollodorum autem aperire noluisse. Id vero fuisse exemplum testamenti Pasionis. Hoc testimonium dixit Stephanus cum suis: cum autem Apollodorus contra Phormionem diceret, eum id testamentum confinxisse, totamque rem esse commentitiam, judicio victus Apollodorus, Stephanum de eo testimonio, tanquam falso, accusat.

DEMOSTHENIS IN STEPHANUM TESTEM ORATIO PRIOR.

1. FALSO testimonio circumventus, Judices, et a Phormione injuriis ac contumeliis affectus, adsum ope vestra pœnas sumpturus de iis qui earum rerum causa mihi fuerunt. Rogo autem vos omnes, oro et obtestor, primum ut me cum benevolentia audiatis; magnum enim calamitosis, qualis ego sum, solatium est queri posse injurias, et a vobis impetrare ut benigne audiantur. Deinde, si affectus injuria videbor, ut pro jure meo me juvetis. Ostendam autem vobis Stephanum et falsa esse testatum et id turpis lucelli cupiditate inductum fecisse, et ipsum a sese accusari: tanta est rei perspicuitas. Dabo autem operam ut vobis, quam potero paucissimis, narrem quicquid egi cum Phormione: quibus auditis, et illius improbitatem, et istorum mendacia cognoscetis.

2. Mihi, Judices, magna pecunia reicta fuit a patre, quam cum Phormio haberet, etiam uxorem matrem meam duxit, me absente, publice vestra causa triremi præfector,—quo autem pacto, parum fortasse deceat filium de matre accurate dicere,—, id ego reversus postquam animadverti, et rem ut gesta erat vidi, etsi multum indignabar et rem graviter ferebam, privato tamen eum accusare judicio non potui—judicium enim eo tempore indictum erat, vosque judicia propter bellum differebatis—, sed actionem contumeliæ pu-

blicam apud Sexviros ei intendo. Intercedente autem mora, cum et actio eluderetur, et judicia non exercentur, mater ex illo liberos suscipit. Et postea—dicetur enim ad vos, Judices, omnis veritas— multa et blanda verba fiebant a matre et deprecationes pro Phormione: multa etiam et modesta et humilia ab illo ipso. Ut autem, Athenienses, quo hæc paucis absolvam, nihil eorum quæ tum re- ceperat sibi faciendum putabat, meque pecuniis fraudare instituebat quas mensæ habebat sortem, in jus eum vocare coactus sum, cum primum potestas data fuit. Ille vero cum intelligeret, omnia palam fore ac demonstratum iri se omnium hominum in nos scele- ratissimum exstisset, id machinatur et instruit, ut Stephanus falso me testimonio opprimeret. Ac primum actioni, qua reus agebatur, Phormio exceptionem opponebat non convenire mihi actionem asserens: deinde testes, me secum transegisse, falsos producebat, et locationis cujusdam commentitiæ, et testamenti nunquam facti. Cum vero mihi priorem dicendi locum præripuisse, propterea quod præscriptio erat, neque recto judicio congregiebatur: eaque legis- set, et cætera, ut sibi expedire putabat, mentitus esset, ita commo- vit judices, ut ne vocem quidem ullam nostram audire vellent. Da- mnatus igitur etiam ad mulctam solvendam, ac ne respondendi qui- dem facultate impetrata, quemadmodum haud scio an cum ullo mortalium unquam actum sit, abii graviter, o Judices, et iniquo animo ferens. Sed, re cum animo meo cogitata, inveni iis qui tum judicarunt omnino esse ignoscendum—ego enim haud scio an quid aliud pronunciare potuissem, si et rerum actarum omnium fuisse ignarus, et dicta testium audivissem—, sed eis succensendum esse, qui falsis testimoniis dicendis harum rerum causa fuerunt. Ac de aliis quidem testibus, cum eos accusaro, tum dicam: de his au- tem quæ Stephanus pro testimonio dixit jam edocere vos conabor. Sed cape ipsum testimonium, et lege mihi, ut eo ipso rem demon- strem. Recita: tu autem aquam inhibe.

TESTIMONIUM.

Stephanus Meneclis F. Acharnensis, Scytha Harmatei F. Cydatheuænensis, testatur se affuisse apud arbitrum Tisiam Acharnensem, cum Phormio provocaret Apollodorum, omniuo exemplum esse testamenti Pasioris tabulas, quas conjecit Phormio in echinum, et jussisse testamentum Pasioris aperiri, quod apud arbitrum exhibebat Amphion Cephisophoutis affinis: Apollodorum autem id aperire noluisse: fuisse autem exemplum testamenti Pasioris.

3. Audivistis testimonium, Judices: puto autem vos, tametsi nondum quicquam aliud sentiatis, illud ipsum certe demirari, te- stimonii principium esse provocationem, finem autem testamentum. Verum ego oportere existimo, postquam, id quod testimonii veluti

caput est, mendacium esse demonstravero, tum demum de tabulis a me verba fieri. Pro testimonio igitur dixerunt, obtulisse Phormionem testamentum aperiendum, quod exhibuerit apud Tisiam arbitrum Amphion Cephisophontis affinis : me vero id aperire noluisse : et fuisse id testamentum de quo ipsi dixerint, exemplum illius. Deinde testamentum scriptum est. Ego vero de iis conditionibus a Phormione mihi latis, aut non latis, nondum dico quicquam, neque de veritate etiam aut falsitate testamenti : quod iis de rebus statim vos docebo.

4. Sed illud quod testati sunt, me tabulas aperire noluisse, sic considerate, quanam de causa quisquam recuset aperire tabulas ? Ut ne scilicet testamentum in conspectum judicum veniret ? Quod nisi isti cum provocatione testamentum conjunxissent, detrectatio mea aperiendi rationis aliquid habuisset : cum vero utrumque suo testimonio conjungant, et judices æque audivissent, quid mihi lucri afferebat detrectatio ? Nihil utique. Imo contra potius, Athenienses, etsi minime provocassent illi, et sermone tantum fuissent usi, et obtulisset eis aliquis tabulas, ut testamentum, meum fuisset provocare, et eas aperire. Ut, si alia quædam quam quæ isti testarentur inscripta essent, testes e circumstantibus multos facerem, eoque argumento cætera quoque eos confinxisse ostenderem : sin ea inscripta fuissent, ab eo qui exhibuisset postulassem ut ipse testaretur, qui si voluisset obnoxium eum habuisse, sin detrectasset, rursus id satis argumenti mihi fuisset rem esse commentitiam : quin etiam eo modo accidisset ut mihi cum uno res esset, ut vero isti testantur, cum multis. Est ne vestrum aliquis, qui hæc maluisset ? Evidem opinor esse neminem. Proinde nec de alio credere idem debetis. Etenim, Athenienses, quæ res per iracundiam fiunt, aut propter lucri alicujus perceptionem, aut animi impetu, aut æmulatione contentionis, eas res aliter geri ab aliis prout ingenia et mores cujusque ferunt, nihil prohibet : a quibus autem rebus hæc omnia remota sunt, et quum ratio utilitatis sedato animo ducitur, quis ita væcors est, ut omissis profuturis, ea deligeret quæ causæ victoriam læderent ? Nam isti, quæ nec credibilia nec probabilia sunt, ea sunt testificati de nobis.

5. Neque vero ex eo solum quod me tabulas aperire noluisse testes dixerunt, eorum mendacium perspicitur, sed ex illo etiam quod testimonio suo provocationem cum testamento conjungunt. Arbitror enim scire omnes vos, quæ res afferri ad vos nequeunt, earum rerum inventas esse provocationes : veluti, quæstiones haberri coram vobis nefas est, ejus rei necesse est esse provocationem ; item, si quid extra nostram regionem factum est uspiam, necesse est et ejus esse rei provocationem, ut eo vel navigetur vel eatur ubi facta est ; aliarumque similium rerum. Sed ubi res ipsas

per sese conspectui vestro offerre licet, quid fuerit simplicius quam eas proferre in medium? Athenis obiit pater meus: factum arbitrium est in varia porticu: testati isti sunt Amphionem exhibuisse tabulas apud arbitrum. Quod si verum fuit, oportuit ipsas tabulas in echinum esse conjectas, et eum qui eas exhiberet testari, ut, e veritate et inspectione signorum, et judices rem cognoscerent, et ego, si quis mihi faceret injuriam, ejus ulciscendi potestatem haberem. Nunc nemo unus totam causam suscepit, neque plane testimonium dixit, ut is faceret qui vera vellet dicere: sed quisque partem, ut cautus nimirum proptereaque poenas non daturus; alius se habere tabulas, quibus inscriptum sit, **TESTAMENTUM PASIONIS**; alius se missum ab eo id attulisse, verumne autem an falsum sit ignorare; alii prætextu provocationis usi testamentum fuisse dixerunt. Ut si maxime crederent Judices patris mei fuisse testamentum, egoque causæ actione exclusus essem et vindicta injuriarum, isti tamen falsum dixisse testimonium deprehenderentur: quanquam ipsi diversum sperarunt. Ut autem intelligatis hæc a me vere dici, cape mihi Cephisophontis testimonium.

TESTIMONIUM.

Cephisophon Cephalonis F. Aphidnaeus testatur sibi relicta esse a patre tabulas, quibus inscriptum esset, **PASIONIS TESTAMENTUM**.

6. Atqui simplex fuissest, Judices, ut qui hæc dixit adderet, esse autem eas tabulas, quas ipse exhiberet, et tabulas in echinum conciceret. Sed id quidem mendacium ira dignum putavit, et nos de se poenas sumptuos arbitratus est: tabulas autem sibi relictas esse dicere, id vero leve esse ac nihil. Cæterum illud ipsum cst quod significet atque arguat, eos omnem rem confinxisse. Nam si testamento inscriptum fuissest **PASIONIS ET PHORMIONIS**, aut **A-CTIO CUM PHORMIONE**, aut simile aliquid, jure id ille asservasset: at si, ut affirmat, inscriptum fuit **TESTAMENTUM PASIONIS**, cur ego id non sustuli? Cum quidem scirem me in judicium esse venturum; cum item scirem, siquidem tale fuit, commoditatibus meis fore contrarium: cum hæres essem et illius, siquidem mei patris fuissest, et reliqui patrimonii æque? Quod igitur testamentum et Phormioni exhibitum, et Pasioni inscriptum, et a nobis porro neglectum est, ex eo patet et commentitium esse testamentum, et falsum Cephisophontis testimonium. Sed omitto Cephisophontem: neque enim nunc mihi cum eo res est, neque ille testatus est de iis quæ testamento continentur quicquam. Quin illud etiam spectate, Athenienses, quanto argumento sit testes istos dixisse falsum. Cum enim is, qui se testamentum habere ipsum affirmavit, dicere non ausus fuerit exemplum id, quod Phormio exhiberet, ejus esse scripti, quod ipse asservaret; nec isti dicere queant se vel ab initio inter-

fuisse, vel apertas apud arbitrum vidisse tabulas, sed et ipsi affirmarint me aperire noluisse, cum eas exemplum esse illius testificati sint—aliosne, an vero semetipsos, mendacii coarguerunt?

7. Ad hæc, Athenienses, si quis testimonium uti scriptum est examinet, intelliget id in universum eos esse machinatos, ut quo jure quaque injuria pater meus id fecisse testamentum videretur. Cape vero ipsum testimonium, et recita ibique desinito ubi te jussero, ut ex ipso rem demonstrem.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam, cum provocaret Phormio Apollodorum, omnino affirmat exemplum esse testamenti Pasionis.

Desine. Cogitate, scriptum esse testamenti Pasionis. At qui oportebat eos qui vera dicere vellent, si maxime facta esset provocatio, sicut facta non est, illo modo dicere. Recita testimonium ab initio rursus.

TESTIMONIUM.

Testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam,

Testamur: quippe qui affuerimus. Recita.

cum Phormio provocaret Apollodorum,

et hoc, si provocasset, recte dicerent.

omnino affirmat exemplum fuisse testamenti Pasionis.

Desine ibi. Nemo profecto jam testatus id esset, nisi quis etiam patri meo affuisset testamentum facienti, sed statim dixisset, quid vero nos scimus, quod nam sit Pasionis testamentum? et sic scribendum censuisset, quemadmodum in principio provocationis, omnino affirmo ego exemplum esse testamenti ejus, quod Phormio asserit Pasionem reliquisse, non, Pasionis. Hoc enim fuit testari, esse testamentum, quod istis fuit propositum, illud sic affirmare Phormionem: plurimum autem interest et esse aliquid, et illum dixisse. Ut autem sciatis, quantas et quam multas ad res pertinuerit confictio testamenti, paucis auscultate.

8. Primum id eo pertinebat, Athenienses, ut non poenas daret corruptæ ejus, quam nec me dicere decet et vos, tametsi ego non dixerim, scitis: deinde, ut obtineret eam pecuniam, quæ patri meo apud matrem meam fuerat: postremo, ut reliquis nostris bonis omnibus potiretur. Atque hæc ita se habere, etiam ipso testamento auditio cognoscetis. Apparebit enim non patris, pro filiis scribentis, simile testamento, sed servi corruptoris herilium facultatum, idque ut ne poenas det prospicientis. Recita vero eis testamentum,

quod isti ante citationem testati sunt: vos autem considerate quid dicam.

TESTAMENTUM.

Hæc Pasio Acharnensis testatus est. Do meam uxorem Archippam Phormioni et dotem Archippæ addo talentum illud e Pcparetho, item talentum ex eodem loco, ædes centum minarum, ancillas, et aurum, et cætera quæ domi habet, ea universa Archippæ largior.

Audistis, Athenienses, dotis magnitudinem, talentum e Pcparetho, talentum eodem ex loco, ædes centum minarum, ancillas, et aurum, et cætera, inquit, quæcunque ei domi sunt ei largior: quo scripto nobis etiam inquirendi eorum aliquid quæ relicta sunt facultatem eripit.

9. Age vero et locationem vobis ostendam, ex qua iste mensam a patre conduixerat: nam et ex ea, quanquam commentitia, videbitis, commentum esse totum testamentum. Ostendam autem eam locationem, quam iste exhibuit, non aliam, in qua est adscriptum patrem undecim debere talenta isti ad deposita. Sunt autem ea, opinor, hujusmodi. Domesticam pecuniam, ut matri testamento legatam, in suam potestatem redegit, ut modo audivistis: eam vero quæ in mensa erat, quam omnes norant quæque cælari non poterat, ostendendo patrem nostrum obæratum esse, ut, quæcunque habere convinceretur, ea se recepisse assereret. Vos autem eum, quod genere sermonis insolentiore utitur, barbarum fortassis et hominem simplicem putatis: est vero barbarus odio in eos quos colere debebat, sed maleficiis et corruptela negotiorum nemine est inferior. Cape locationem et lege, quam eodem modo per provocationem injecerunt.

LOCATIO MENSÆ.

His conditionibus locavit Pasio mensam Phormioni: ut pro locatione mensæ Phormio filii Pasionis bina talenta et quadragenias minas quotannis solvat, præter quotidianas impensas, ne vero liceat seorsim argentariam facere Phormioni, nisi a liberis Pasionis id impetrarit; debet autem Pasio ad mensam undecim talenta ad deposita.

Quam igitur pactionem exhibuit, ex qua conduxit mensam, hæc est, Judices. Auditis autem in ea legi, istum locationis nomine pendere debere, præter quotidianas impensas, bina talenta et quadragenias minas quotannis: non licere autem ei argentariam seorsum facere, nisi nobis id persuaserit: postremo vero adscriptum est, debet autem Pasio undecim talenta in deposita. Est vero quisquam, qui ligni et loci et tabellæ tantam sustineret locationem? Est vero quisquam, qui ei, per quem mensa tantum æris alieni contraxisset, reliqua crederet? Si enim tot pecuniæ defuerunt, isto procuratore defuerunt. Scitis enim omnes, etiam cum pater argentariam fa-

ceret, istum sedisse et præfuisse mensæ. Quare in pistrino eum molere potius decuit, quam reliquis potiri. Sed omitto hæc, et alia quæ de undecim talentis dicere possem, unde cognosceretur patrem ea non debuisse, sed istum surripuisse. Sed qua gratia legi, ut ostenderem testamentum esse falsum, id vobis redigam in memoriam.

10. Scriptum est ibidem, non licere Phormioni argentariam facere, nisi id a nobis impetrarit. Hoc igitur scriptum indicat testamentum penitus esse falsum. Quis enim mortalium, quæ iste faciendo argentariam quæsitus erat, ea ut nobis filiis, non isti, tribuerentur, cavisset? Propterea non licere isti facere argentariam scripsisset, ne a nobis se removeret: quæ vero ipse parta intus reliquisset, ea ut iste caperet, confecisset? Cui quæstum invidisset, de quo aliquid impartiri nulla turpitudo fuisse, ei uxorem dedisset, quo relinquere nullum majus decus potuisset, postquam vestro beneficio fuit ornatus? Tamen tanquam servus domino daret, non contra dominus servo, dotem adjecit, quantam in urbe neminem dedisse constat? Enimvero cum isto præclare actum fuisse si nuptias dominæ fuisse nactus: patrem autem, ne accepta quidem tanta pecunia, quantam eum isti dedisse ferunt, probabile fuit hæc fuisse acturum. Sed tamen quæ signis, quæ temporibus, quæ rebus ipsis falsa deprehenduntur, ea Stephanus testificari non dubitavit: postea passim dictitat, testificatum esse Nicoclem se gessisse tutelam ex testamento, Pasiclem testificatum esse se sub tutela fuisse ex testamento. Ego vero iis ipsis argumentis ostendi puto neque illos, neque hos, vera testificatos esse. Qui enim se gessisse tutelam ex testamento testatur, eum scire perspicuum est, ex quali. Quid igitur vobis in mentem veniebat ut in provocatione testimonium diceretis de testamento? cur non illos potius dicere sinebatis? Nam si illi quæ in eo scripta fuerint scire se negabunt, qui vos ea scire potestis, quos ipsa negotiæ nusquam vel minima ex parte attigerunt? Cur igitur alii testes alia dixerunt? Quod prius etiam dixi, partiti sunt inter se scelera. Atque se tutelam gessisse ex testamento qui dixit nihil se grave dixisse opinatus est, neque is qui se sub tutela fuisse dicit ex testamento—auferens uterque suo testimonio ea quæ sunt ab isto scripta in testamento—, alius reliquise sibi patrem tabulas testamentum inscriptas, alius ejus generis alia: sed de testamento dicere testimonium, in quo est tantæ pecuniæ furtum, uxoris corruptela, nuptiæ dominæ, res tanti flagitii tantique dedecoris, nemo voluit, nisi isti, qui provocationem sunt commenti, de quibus æquum est totius technæ et maleficii sumi pœnas. Ne autem, Athenienses, ex iis solum quæ ego accuso atque arguo, falsa dixisse testem Stephanum vobis constet,

sed et ex illius factis qui eum subornavit, quæ ille fecerit volo vobis explicare: quod vero initio orationis, ostendam, eos a semetipsis accusari.

11. Actioni meæ, in qua ista testimonia dicta sunt, exceptionem opposuit Phormio, de non danda mihi actione, quod ego secum controversiam transegissem. Id autem ego mendacium esse scio, et coarguam, cum in eos testes egero qui illa dixerunt: iste vero hoc dicere non potest. Quod si veram esse creditis transactionem, sic iste falsi testimonii vel maxime convincetur, et commentitii testamenti fuisse testis. Quis enim ita est amens ut coram testibus transigat quo rata sibi sit transactio: pactiones autem et testamenta et reliqua, de quibus transegit, obsignata contra se jacere sinat? Proinde contraria est omnibus dictis testium exceptio; contraria item, quam vobis modo recitavi locationem, testamento illi: nihil denique actum est quod vel probabile vel simplex vel ipsum sibi consentaneum sit; sed hoc pacto commentitia et conficta ea esse omnia reperiuntur.

12. Verum igitur esse testimonium, neque istum ipsum, neque alium ejus patronum ostendere posse existimo: sed talem quandam defensionem esse meditatum audio, se provocationis esse reum, non testimonii, et, ad duo sibi esse respondendum, non ad omnia capita accusationis, primum an conditionem eam Phormio mihi tulerit necne, deinde, utrum eam ego non acceperim. Ea enim si simplificiter pro testimonio affirmasse dicet: cætera illum in provocacione posuisse, quæ verane an falsa sint, sua nihil interesse.

13. Adversus igitur eam orationem et impudentiam, optimum est paucis vos præmoneri, ne decipiamini. Primum igitur, cum dicere instituerit, se non omnium esse reum, cogitate, lege propterea cautum esse ut testimonium tabulis inscriberetur, ne quicquam scriptis vel addi vel detrahi posset. Tum igitur ea deleri jubere debuit, quæ se nunc dixisse negat, non nunc, postquam insunt, impudenter mentiri. Deinde illud etiam perpendite, nunquid me arrepta tabella quidquam adscribere pateremini. Non utique. Proinde nec isti ut deleat quicquam e scriptis permittendum est: quis enim unquam falsi testimonii convincetur, si et testabitur quæ volet, et quorum libitum erit rationem reddet? Sed non ita hæc vel distincta lege sunt, vel audienda vobis: sed illud simplex et rectum est, quid scriptum est? quid testatus es? hæc esse vera ostende. Nam litem ita contestatus es, vera sum testatus, testatus ea quæ sunt in tabula scripta, non illud, vel illud, in tabula. Ut autem hæc ita se habere constet, cape ipsam litis contestationem. Recita.

CONTESTATIO LITIS.

Apollodorus Pasionis F. Acharnensis reum fecit Stephanum Meneclis F. Acharnensem falsi testimonii, mulcta talentum. Falsum in me testimonium dixit Stephanus, dicendis iis quæ in tabula scripta sunt—verum dixi testimonium, dicendis iis quæ in tabula scripta sunt.

Hæc ita ipse rescripsit, quæ vos meminisse debetis, neque plus habere fidei fraudulentis istius verbis quæ nunc affert, quam legibus et iis quæ ipse in litis contestatione posuit.

14. Audio porro eos, de iis etiam rebus ob quas ab initio actionem institui, dicturos et criminaturos, calumniam cam fuisse. Ego vero, quo pacto locationem concinnarit, ut sortem mensæ obtineret, dixi et recensui vobis: de cæteris vero non potero simul dicere et istorum convincere testimonium, neque enim aquæ mihi satis est. Atque adeo ne vos quidem eos illis de rebus agentes jure audituros, inde scietis, si cogitatibus vobiscum, neque nunc difficile esse de quibus non accusatus sit verba facere, neque, falsis testimoniis recitatis, absolvı: neutrum autem horum esse justum quisquam dixerit, sed id potius, quod ego nunc postulo. Idque audite et considerate. Ego peto, quæ mihi argumenta eripuerunt, quo minus ad probanda crimina dici possent, ea nunc uti ne querant: sed quibus testimoniis eripuerunt, ea testimonia uti vera esse ostendant. Quod si, cum causam egero, testimonia ut coarguam pertinent, ea vero quum persequor, de criminibus ab initio propositis dicere me jubebunt, neque justa neque vobis utilia dicent. Jurastis enim vos iis de rebus pronunciatiuros, non quas reus postulet, sed de eis quæ in actione contineantur: eam vero necesse est accusatoris oratione explicari, qua ego istum falsi testimonii reum feci. Ne igitur hoc omisso ea dicat, de quibus non fit judicium: neque vos permitte, si forte iste frontem perflicerit.

15. Arbitror autem eum, omni justa defensione destitutum, etiam ad hoc venturum, absurde me facere, exceptione victum, qui testamenti testes persequar: quod illius temporis judices magis propter transactionis, quam propter testamenti testes, Phormionem absolverint. Ego vero, Athenienses, scire omnes vos existimo, solere vos rem gestam non minus spectare, quam propter eam factas exceptiones. De rebus igitur ipsis isti falso in me testimonio dicto, mea de actione verba infirma reddiderunt. Sed his omissis ineptum est, cum omnes pro testimonio mentiti sint, quis eorum maxime nocuerit, declarare: et non potius singulos se vera dixisse ostendere. Neque enim, si alium atrociora commisisse demonstrarit, eum absolvı decet: sed si ipse vera se dixisse declararit.

16. Propter quod igitur, Athenienses, Stephanus exitio in primis dignus est, id ex me audite. Iniquum est, opprimere quemquam

falso testimonio; sed multo iniquius et gravius vindicandum, id si fiat in cognatos. Non enim scriptas tantummodo leges talis homo, sed ipsius etiam naturae conjunctionem, evertit. Id quod istum fecisse ostendetur. Ejus enim mater, socii mei soror est: proinde uxor mea ei est consobrina, et liberi ejus et mei sunt sobrini. Nunquid putatis istum, si quid propter inopiam contra officium facere cognatas suas videret, id quod multi jam fecerunt, dote data eas elocaturum, qui, ne eae sua recuperarent, falsa testari voluit, et pluris fecit Phormionis divitias, quam cognitionis necessitudinem? Sed ut hæc a me vere dici constet, cape Diniæ testimonium, et legere: cita Diniam.

TESTIMONIUM.

Dinias Theomneti F. Athmonensis testatur se filiam suam Apollodoro legitimam uxorem dedisse; neque unquam affuisse, aut animadvertisse, Apollodorum de omnibus controversiis cum Phormione transegisse.

Est ne similis isti Dinias, Judices, qui pro filia, et filiæ liberis, et me generò, propter cognitionem nec vera in istum testari vult? Sed non ita Stephanus, qui non dubitavit in nos mentiri pro testimonio, neque ut neminem alium, at matrem suam erubuit, dum cognatos maternos in extremam conjiceret paupertatem.

17. Quod autem facinus indignissimum pertuli, et quod me in agenda causa vehementissime commovit, Judices, id vobis expli-cabo. Nam et istius improbitatem magis perspicietis, et ego de-ploratis apud vos plerisque injuriis quasi onere quodam levatus vi-debor. Testimonium, quod me habere putabam, et quo causa mea maxime nitebatur, in echino non reperiebam. Tum igitur eo malo attonitus non aliud habebam, quam ut putarem magistratum facta mibi injuria echinum movisse: nunc, ut postea comperi, apud ip-sum arbitrum, Stephanum id sustulisse reperio, cum ego, ut testi-cuidam jusjurandum deferrem, surrexissem. Et hæc a me vere dici ut constet, primum vobis testabuntur hi qui istis affuerunt qui-que viderunt: neque enim eos ejuraturos esse puto. Sin ea fuerint impudentia ut facturi sint, provocatio vobis legetur, per quam et eorum perjurium palam deprehendetis, et istum surripuisse testi-monium æque cognoscetis. At quisquis, Athenienses, alienorum furem appellari se non recusavit, a quo vobis abhorrere facinore videbitur? Recita testimonium, deinde provocationem hanc.

TESTIMONIUM.

Testantur se amicos et familiares esse Phormionis; et affuisse apud arbitrum Tisiam, cum arbitrium in causa Apollodori contra Phermionem fieret; scireque se Stephanum surripuisse id testimonium, quod eum surripuisse queritur Apollodorus.

Aut testamini, aut ejurate.

EJURATIO.

Non obscurum fuit, Judices, eos hoc facturos cupideque ejuratuos. Ut igitur e vestigio perjurii convincantur, cape hoc testimonium, et provocationem lege.

TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

Testantur se affuisse, cum Apollodorus Stephanum provocavit ut puerum pedissemum in quæstionem daret de tabulae subtractione, et paratum fuisse Apollodorum ad conscribendas quæstionis conditiones: bæc autem postulante Apollodoro, noluisse Stephanum puerum tradere, sed respondisse Apollodoro, si quam sibi factam injuriam quereretur, experiri licere judicio.

Quis igitur in tali crimine, Judices, causa fretus, quæstionem non admisisset? Proinde fugiendo quæstionem furti hujus convincitur. Eum igitur falsi testimonii dicti moveri putatis infamia, qui non recusavit quo minus fur existimaretur? Rogatus ab aliquo falsum testimonium non dicet, qui jubente nemine ultro fuit improbus? Quanquam igitur, Athenienses, horum scelerum omnium jure pœnas daret, multo tamen justius propter cætera supplicio a vobis afficeretur.

18. Id vita ejus, quam vixit, inspecta considerate. Iste, cum Aristolochus mensarius secunda fortuna veheretur, pari gressu cum illo incedebat illi prorsus obnoxius, et hoc multi vestrum qui hic adestis norunt. Postquam autem ille periit, et fortunis eversus est, dissipatis ejus opibus non minima ex parte ab isto et istius generis hominibus, ejus filio, cui multum negotii facessebat, nunquam affuit aut opem tulit, sed Apolexis, Solon, et quivis alii potius ei præsto sunt. Phormionem rursus adspergit, et ei ex Atheniensibus omnibus delecto factus est familiaris; pro eo legatus Byzantium profectus est, cum illi naves ejus detinerent; causam egit adversus Chalcedonios; me palam adeo falso testimonio circumvenit. Qui igitur felicium assentator est, atque eorundem mutata fortuna proditor; quum reliquorum civium multi boni viri sint; cum nemine vel ex æquo agit, talibus autem ultro se subjicit; qui, neque an cognatum aliquem injuria sit affecturus, neque an apud alios infamiam subiturus sit, illis factis, cogitat, neque, nisi ut avaritiam suam expleat, quicquam pensi habet—, nonne is odio prosequendus est, ut totius humanæ naturæ hostis? Ego quidem æquum id esse censeo. Ea igitur ita probrosa, Athenienses, eo ut munera publica detrectet et suas facultates occultet, facere instituit, quo clandestinos per mensam quæstus faciat, quo neque ædilitia neque navalia munera obeat, neque ullo in loco fungatur officio: idque eum perfecisse ex eo constat, quod cum tantas habeat opes, ut filiæ centum minas doti dederit, nullum vel minimum munus eum vos obire vidistis.

At quanto præcarius fuerit liberalitatem et studium in rempub. suum ostendere cum opus est, quam adulationibus et falsis testimoniis dicendis esse deditum? Sed nihil est quod iste lucri causa non cupide susciperet. Enimvero, Athenienses, in opulentia improbis multo gravius irascendum est, quam in paupertate. His enim rerum necessariarum penuria nonnihil apud æquos æstimatorum veniae parit: qui vero, ut iste, in re lauta ultro sunt improbi, nullam justam excusationem afferre possunt, sed sordibus et avaritia et petulantia et suis conspirationibus plus tribuendo quam legibus, eo adduci videntur. Vobis autem nihil horum prodest, illud vobis expedit, hominem inopem, affectum injuria, pœnas de divite posse sumere. Id quod tum fiet, si eos qui ex avaritia tam aperte sunt improbi punieritis.

19. Neque vero vultum istius, et incessum præter parietes, ad severitatem compositum, modestiæ quisquam esse argumenta, sed potius inhumanitatis putare debet. Quisquis enim, cui nullæ res adversæ acciderunt, cui necessaria non desunt, tamen hoc habitu vitam agit, eum ego perspexisse et meditatum esse secum illud existimo, ad eos qui simpliciter, ut natura fert, incedunt et hilares sunt, accedere aliquem audere, et rogare, et postulare aliquid, nihil veritum: a fictis autem et torvis vel primo congressu abhorrente. Ille igitur habitus nihil aliud est quam tegumentum morum, nam ingenii feritatem et acerbitatem declarat. Argumento illud est: num ulli, in tanta multitudine Atheniensium, quum res tibi sint longe quam pro merito tuo secundiores, unquam quicquam largitus es? num ulli quicquam contulisti? num ulli benefecisti? Neminem proferre poteris. At fœnerando, et aliorum clades ac necessitates in tuis fortunis numerando, patrum Niciam paternis ædibus ejecisti: socrui tuæ ea unde vivebat eripuisti: Archedemi filium, quantum in te fuit, extorrem egisti: nemo unquam tam acerbe vel judicatum non solventem tractavit, ut tu, eos qui usuram tibi debent. Quem igitur videtis omnibus in rebus ita ferum et impurum, eum vos in ipso facinore et injuria reprehensum non punietis? Indigna, Athenienses, et non æqua facietis.

20. Etiam Phormionis, qui istum subornavit, Athenienses, facinora odium et indignationem merentur, si præsertim ejus impudenteriam et ingratum animum spectetis. Arbitror enim scire omnes vos, cum vænalis esset, si eum a coquo aut aliquo alio opifice emi contigisset, eum domini artem edoctum a bonis istis futurum fuisse quam remotissimum: postquam autem eum pater noster mensarius emit, et literis erudiit, et artem docuit, ejusque fidei magnam pecuniâ credidit, felix factus est, fortunam, qua ad nos venit, occasionem nactus omnis ejus qua nunc fruitur felicitatis. Proinde indignum est, proh divum hominumque fidem, et plus quam indignum,

eos, qui e Barbaro Græcum, e mancipio nobilem fecerunt, qui tot felicitatibus ornarunt, ab eo negligi extrema inopia conflictantes, cum rem habeat et divitias : et ea esse impudentia, ut, quam fortunam a nobis accepit, de ea impertiri nobis non audeat. At non dubitavit ducere dominam, et eam habere in matrimonio, quæ cum recens mancipium tum cum emptus fuit initiarat: nec dotem sibi quinque talenta scribere, excepta, quam mater habuit, quaque ipse potitus est, magna pecunia. Quid enim eum putatis in testamentum inscrisisse, et cætera quæ habet, Archippæ lego ? nostras autem filias, quæ domi propter egestatem cœlibes consenserent, negligit. Quod si iste pauper esset, nos vero locupletes, et mihi, ut multa homini possunt, aliquid accidisset, istius filii meas filias sibi dari postularent, servo nati heriles: avunculi enim eis sunt propterea quod matrem iste meam duxit. Postquam autem nos inopes sumus, non adjuvabit eas ut elocentur: sed recenset et computat, quantum ego pecuniæ habeam. Nam, quod omnium iniquissimum est, ejus qua nos fraudavit pecuniæ, nullam in hunc usque diem rationem reddere voluit, sed exceptiones opponit de non danda nobis actione: quæ autem e patrimonii partitione accepi, ea computat. Ac in cæteros quidem servos a dominis inquiri videatis: iste contra in dominum servus inquirit, ea re scilicet improbum et prodigum esse me ostensurus.

21. Ego vero, Athenienses, quod ad faciei habitum, et celeritatem incessus, et magnitudinem vocis attinet, non in iis me numero qui naturam propitiam habuerunt: quibus enim rebus sine mea utilitate quibusdam sum molestus, eæ mihi sæpenumero incommodant, sed quod ad eos sumptus omnes attinet qui ad meipsum pertinent, multo frugalius isto, et aliis ejusdem generis, vivere me constabit.

22. Quæ vero in rempubl. et in vos conferenda sunt, quam splendidissime possum, et ita ut vos concii estis, administro. Neque enim hoc ignoro, vobis qui cives nati estis satis esse obire munera, ut leges jubent: nobis autem adscitis et velut adoptatis sic obeunda munera sunt, ut vobis referre gratiam videamur. Ne igitur ea exprobra, propter quæ laudem mereor: sed quemnam, Phormio, ci-vium, ut tu, conduxi ad libidinem ? Ostendito. Quem civitate, quæ tibi liberalitate populi contigit, et libertate civili spoliavi, ut tu eum, quem probro affecisti? Cujus uxorem ego corrupi, ut tu, præter alias multas, eam etiam, cui monumentum iste diis invisus, prope dominæ tumulum, exstruxit, amplius duobus talentis insumptis ? neque animadvertis, ædificium illud tam magnificum, non sepulcri, sed injuriæ, qua illa propter istum maritum affecerat, fore monimentum. Tamen istis facinoribus, et talibus petulantiae tuæ testimoniis ostentatis, alterius vitam exagitare audes ? Interdiu tu modestus es, noctu autem ea designas, quæ capitalia sunt.

23. Improbus iste, improbus est, Athenienses, jam inde ex eo tempore quo ad templum Castoris et Pollucis vœniit et injurias. Cujus rei signum illud est: quod, si justus fuisset, pauper esset, administrata domini pecunia; nunc, cum tam ingentem pecuniam in potestate habuerit, ut tantum inde clam sit suffuratus, quantum nunc possidet, ea non debere, sed accepta ex patrimonio habere se existimat. Age per deos immortales, si ut furem arripuisse, in ipso furto deprehensum, facultatibus quas habes, si fieri possit, tibi impositis, atque ita a te postulasse, si negares eas te surripuisse, uti eo referres unde accepisses, ad quemnam eas referres? Neque enim illas tuus tibi pater tradidit, nec reperisti, neque iis alibi usquam acceptis ad nos venisti; barbarus enim emptus es. Et tu, quem publice interfectum oportebat propter facinora, corpore conservato, et civitate nostra pecunia tibi comparata, et eo dignitatis evectus ut liberos qui dominorum tuorum fratres essent procreares, exceptionem opposuisti non convenire nobis actionem in eam pecuniariam quam a te peteremus? Tu nobis conviciatus es? Tu in patrem nostrum inquisivisti, quis fuerit? Quæ quis est, Athenienses, qui æquo ferre animo potuisset? Ego enim, tametsi me vobis omnibus aliis submissiore animo esse oportet, isto tamen esse elatiore oportere censeo: et, si istum nemini cedere oporteret, mihi tamen eum cedere oporteret. Simus enim ita sane nos, ut tu nos oratione tua fingis, servitutem tute servisti.

24. Fortassis autem et hoc eorum aliquis dixerit, fratrem meum Pasiclem nihil de eo queri in his rebus. Ego vero, Athenienses, et de Pasicle,—a vobis deprecatus ne ægre feratis et petita venia, si eo processerim iracundiæ, ut, servorum meorum contumeliis irritatus, ea reticere nequeam, quæ hactenus etiam aliis dicentibus audire me dissimulavi,—, dicam et tacenda loquar. Ego uterum esse mihi fratrem Pasiclem existimo, germanus an sit haud scio. Atque adeo vereor ne Pasicles delictorum Phormionis in nos principium fuerit. Cum enim servo adsit despecto fratre, et eos colat ac suspiciat, a quibus eum coli conveniebat, quam ea res justam habet suspicionem? Aufer igitur e medio Pasiclem, et tuus sane filius potius quam dominus nominetur, mucus autem adversarius: hoc enim mavult, quam frater esse.

25. Ego vero eum valere jubeo; et quos mihi pater tradidit adjutores et amicos, ad eos venio, ad vos Judices. Oro, supplico et obtistor, ne patiamini ut ego et filiae propter inopiam meis servis et illius assentatoribus derisui simus. Meus vobis pater mille clypeos dedit, et sæpe vobis utilem operam navavit, et, quinque triremibus ultro donatis et suis sumptibus completis, navalia munera obiit. Et hæc non eo commemoro, quod vos nobis debere gratiam existimem; nos enim debemus vobis: sed ne per ignorantiam ve-

stram aliquid his indignum mihi accidat, quod ne vobis quidem honestum fuerit.

26. Cum autem multa mihi dicenda essent, de injuriis et contumeliis quibus sum oneratus, temporis excludi me angustiis video. Ut igitur maxime vos omnes existimem cognituros summas quibus nos affecti sumus injurias, dicam. Si secum unusquisque vestrum cogitet, quem domi famulum reliquerit, ac deinde fingat se ab eo talia perpessum esse, qualia nos ab isto—neque enim id spectandum est, Syrusne an Manes, aut quisnam sit eorum quilibet, iste autem Phormio sit: res est eadem, servi et isti sunt, servus et iste fuit, vos autem domini, dominus et ego fui—. Quas igitur poenas unusquisque vestrum sumendas existimaret, eas et mihi nunc sumendas existimate: et eum qui me falso testimonio spoliavit, ad conservandas leges et jusjurandum quo adacti sedetis, ulciscimini; et exemplum in eo statuite cæteris, recordantes eorum omnium quæ e nobis audivistis, et carentes sicubi vos seducere instituerint, et singulatim eis occurrentes si se non omnia testatos esse dixerint. Cur igitur in tabella scriptum est? cur igitur tum non delebas? quæ igitur illa est apud prætores litis contestatio? Si aliis se fuisset dixit sub tutela ex testamento, alias gessisse tutelam, alijs habere testamentum: quale? in quo quid scriptum est? hæc quærítote. Nam quæ isti testati sunt, ea nemo e cæteris suo testimonio confirmavit. Sin lamentabuntur, eum qui malum accepit miserabiliorē iis qui poenas daturi sunt putatote. Quæ si facietis, et me juvabitis, et nimiam istorum assestantionem coercebitis, et ipsi ea quæ jurisjurandi religio postulat decernetis,

ARGUMENTUM ORATIONIS IN STEPHANUM TESTEM SECUNDÆ.

In hac oratione et quædam e superioribus firmius maniuntur, et alia nova inseruntur, ut, an et testamentum sit contra leges factum?

DEMOSTHENIS IN STEPHANUM TESTEM ORATIO SECUNDA.

1. Non defuturam esse Stephano defensionem de testimonio, ac fore ut verbis vos circumduceret, se non omnia in tabella perscripta dixisse asserendo, vosque decipiendo, et ipse fere suspicabar, Judices. Nam et vafer est, et qui Phormioni scriptas orationes et consilia suggerant multi sunt: simul etiam probabile est eos qui mentiri pro testimonio instituant, etiam mendaciorum defensionem statim meditari.

2. Quod autem in tam prolixa oratione nusquam vobis testes produxit, se usquam ipsum affuisse patri meo id testamentum facienti, ut scire posset exemplum ejus testamenti id esse, quod pater meus fecerit, aut apertas vidisse tabulas, quas pater pro testamento reliquerit, hæc quæso vos ut una mecum memoriæ mandetis. Verum quando testatus est, exemplum esse testamenti Pasionis ea quæ tabulis inscripta fuerint, cum ostendere non possit vel testamentum fecisse patrem nostrum, vel se interfuisse testamentum faciente patre et vidisse, nonne aperte convincitur falsi testimonii?

3. Quod si provocationem esse dicit, non testimonium, haud vera prædicat: quicquid enim in judicium afferunt in mutua provocatione adversarii, per testimonium afferunt. Neque enim vobis liquere posset, verane essent an falsa, quæ utrique dicent, nisi quis etiam testes adhiberet: iis vero adhibitis, illis credentes ut qui reddendis rationibus obnoxii sint, tum ex his quæ a reis tum ex his quæ a testibus dicuntur, ea statuitis et decernitis quæ vobis justa esse videantur.

4. Argumentis autem ostendam et testimonium esse, non provocationem, et quemadmodum oportuisset testificari, si facta fuisset

provocatio, sicut facta non est. Testantur se affuisse apud arbitrum Tisiam, cum provocaret Phormio Apollodorum ut aperiret tabulas, quas exhibebat Amphias Cephisophontis affinis, Apollodorum autem eas aperire noluisse. Si sic testificati essent, vera esse testificati viderentur. Exemplum autem esse testamenti Pasionis ea quæ tabulis quas Phormio exhibuerit inscripta fuerint testari, cum nec affuerint ei testamentum facienti, neque sciant an testamentum fecerit, nonne vobis videtur manifestæ esse impudentiæ?

5. At si dicit se Phormione affirmante credere ea vera esse, ejusdem viri est et credere illi ea affirmanti, et parere dicere jubenti testimonium. Leges autem non ita loquuntur, sed quæ norit aliquis, et quibus gerendis interfuerit, ea a testari jubent atque tabulis inscribere, ut nec admere liceat quicquam, nec addere iis quæ scripta fuerint: rem vero e vivente auditam testari non sinunt, sed e defuncto: de rebus item quibus interesse non potueris et quæ peregre gestæ sunt, dictum aliena fide testimonium inscribendum est tabulis, et eadem actione et ipsum testimonium et aliena fide dictum testimonium in judicium adducendum est simul, ut, si in se receperit is qui dixit ipse testimonium, ille obnoxius sit falsi testimonii, sin in se non receperit, ii qui aliena fide testimonium dixerunt. Sed Stephanus, cum neque sciat an pater noster testamentum reliquerit, neque unquam adhibitus fuerit cum pater noster testamentum faceret, sed e Phormione audierit, rem auditam est testatus eamque falsam et contra legem. Quæ ut vera esse constet, ipsa vobis lex recitabitur.

LEX.

Rem auditam e mortuo testari liceat: testimonium item aliena fide dicere, de re extra Atticam gesta et cui interesse non potueris.

6. Ostendam autem vobis, eum etiam contra aliam legem esse testificatum, ut sciatis Phormionem, ut qui magnarum injuriarum defensionem non haberet, provocacionis prætextu et specie esse usum, reipsa vero ipsum sibi dixisse testimonium, subornatis istis, per quos et judices decepti sunt, quasi illi vera testificarentur; et ego relicta a patre pecunia sum spoliatus, nec poenas de factis mihi injuriis possum sumere. Ipsum enim sibi esse testem leges sinunt neminem, nec in publicis, nec in privatis causis, nec in rationibus referendis. Phormio vero ipse sibi testis fuit, cum isti dicant se ex illo audita testificatos esse hæc. Ut autem vos rem certo cognoscatis, ipsam mihi legem recita.

LEX.

Adversarii necessario alterius interroga*tis* respondeant, non testificentur.

7. Proinde considerate legem hanc, quæ falso testimonio obnoxios esse jubet, idque ob illud ipsum, quod testificantur contra legem.

LEX.

Teneatur etiam falsi testimonii is qui testificatus est ob hoc ipsum, quod contra legem testificatur: et is qui eum producit eodem modo.

8. Jam et e tabulis intelligi potest, in quibus scriptum est testimonium, eum hæc falso esse testificatum: nam et candidatæ sunt et domi concinnatæ. Convenit autem iis qui res factas testificantur, confecta testimonia domo afferre: eos vero qui de provocationibus testificantur, cum fortuito adstiterunt ceratis inscribere testimonium; ut, si quid adscribere vel delere voluerint, facile possint.

9. Proinde hæc omnia ostendunt eum falsa esse testificatum et contra legem: volo autem vobis et hoc ipsum ostendere, neque ullum fecisse testamentum patrem nostrum, neque leges id permettere. Si quis enim vos roget, quibus legibus nobis in civitate vivendum sit, receptis, satis scio, respondebitis. Leges autem vetant, legem ferre de uno viro, nisi eadem feratur de universis Atheniensibus. Hæc igitur lex iisdem vivere legibus nos jubet, non alias aliis: pater autem obiit Dyscineto prætore; Phormio Atheniensis factus est, Nicophemo prætore, decimo post anno, quam pater noster obiit. Qui igitur pater, ignorans eum fore Atheniensem, et uxorem ei suam dedisset, et nobis contumeliose insultasset, et beneficium a vobis acceptum contempsisset, et leges etiam despexisset? Utrum vero honestius ei fuisset, viventi hæc facere, si voluisse, an defuncto, testamentum relinquere cuius factionem non habebat? Sed ipsis legibus auditis, cognoscetis, eum condendi testamenti jus non habuisse.

LEX.

Quicunque non adsciti fuerant, ut neque renunciari eis, nec lege in eos agi liceret, cum Solon magistratum iuiret, eis sua legare suo arbitratu liceat, nisi liberos germanos mares habuerint, nisi quis fuerit furore percitus, aut senectute, aut beneficio, aut morbo præpeditus, aut a muliere impulsus, [aut] earum rerum aliqua quæ legibus interdicte sunt, aut necessitate, aut vinculis circumventus.

10. Legem audivistis, quæ testamenta condere non sinit, si liberi sint germani: isti vero cum dicant hæc testatum esse patrem, se interfuisse ostendere non possunt. Est et illud considerare operæ pretium, qui non adsciti fuerint, sed germani sint nati, illis largiri legem, si orbi sint, ut suâ legent. At pater noster a populo adscitus fuit in civitatem. Quare ne ea quidem ratione licuit ei te-

stamentum condere, præsertim de muliere, cum id neque liceret legibus, et liberi essent. Considerate porro, quare nec si quis orbus est, condendi testamenti potestatem habeat: si, inquit, deliret, aut ægrotet, aut venenum biberit, aut mulieri obsecutus, aut senio, aut furore, aut aliqua necessitate sit circumventus, ei potestatem leges negant. Jam expendite, an sani hominis id testamentum videatur, quod isti patrem fecisse asserunt. Neque vero id ad aliud exemplum conferetis, quam ad locationem, an vobis consentaneum esse videatur, cui artis una nobiscum exercendæ potestatem negarit, ei uxorem suam uti dederit, et socium suorum liberum esse passus sit. Neque miremini, si eos, caetera callide commentos quæ in locatione sunt, hoc febellit. Fortassis enim in aliud nihil intenti fuerunt, nisi ut pecunia nos fraudarent, et patrem ut obæratum inscriberent: deinde me non ita fore acutum putabant, ut in hæc accurate inquirerem.

11. Considerate porro a quibus leges desponderi mulieres jubeant, ut ex iis etiam commentitii testamenti falsum fuisse testem Stephanum intelligatis. Recita.

LEX.

Quam legitime desponderit uxorem, vel pater, vel frater germanus, vel avus paternus, ex ea liberi germani sunt. Quod si nemo horum fuerit, si orba est, is cuius est ancloritas eam habeat: si non fuerit, in ejus cui se permiserit potestate esto.

Hæc lex quibus auctoritatem tribuat, audivistis: horum vero neminem matri auctorem fuisse, ipsi mihi adversarii testimonium dixerunt. Nam si fuissent, exhibuissent. An vero falsos testes ab eis creditis subornatos et testamenta non facta: fratrem autem, aut avum, aut patrem, si licuisset, non fuisse producturos causa pecuniarum? Cum autem horum neminem superstitem fuisse constet, tum necesse est matrem nostram fuisse pupillam.

12. Pupillam autem in cuius esse potestate leges jubeant, considerate. Recita legem.

LEX.

Quod si quis e pupilla fuerit natus, ubi annum ætatis decimum sextum compleverit, pecunias teneat, et victum matri demetiatur.

Proinde lex jubet matrem in filiorum puberum esse potestate; eosque victum ei demetiri. Me autem constat et militasse et triremem instruxisse vobis, cum iste matrem meam in matrimonio habere. Verum ut appareat, me triremi præfectum affuisse; patrem jam olim, cum nuptias iste celebraret, obiisse; me ancillas ab eo postulasse ad quæstionem; iis ipsis de rebus, an eæ veræ essent, et eum provocasse; cape mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Testantur se affnisse, cum provocaret Apollodorus Phormionem ad quæstionem de ancillis habendam, si negaret Phormio se prins etiam matrem ejus corrupisse, quam Phormio asserat se eam despontam a Pasione dñxisse. Hac autem ab Apollodoro provocatione facta, noluit Phormio ancillas dare in questionem.

Jam legem his de rebus latam legit, quæ sic habet: disceptationem fieri oportere de puellis pupillis omnibus, tam civibus quam peregrinis: ac de civibus actionem dare oportere prætorem et curare, de inquilinis autem belliducem: ac sine disceptatione non licere vel hæreditatem habere, vel pupillam.

LEX.

Sortitio autem fiat de hæreditatibns et pupillis, singulis mensibus, excepto Maio, ea vero de qua disceptatio facta non est hæreditas ne teneatur.

Proinde ipsum, si rite agere voluisse, agere in pupillam decuit, sive ex testamento id ei conveniebat, sive ratione propinquitatis; si tanquam pro cive, apud prætorem, si ut pro peregrina, apud belliducem: ac tum, si quid æqui dicere potuisset, consentientibus vobis qui sortito pro tribunali sedebatis, auctoritate legum et judicium obtinere, et non ipsum sibi privatas leges statuentem agere quicquid libuisset.

13. Considerate hanc quoque legem, quæ jubet testamentum, quod pater superstibus germanis liberis fecerit, si filii ante pubertatem decesserint, ratum esse.

LEX.

Quicquid pater ingenuis filiis superstibns testamento jusserrit, si obierint filii priusquam biennium puberes snerint, testamentum patris ratum esto.

Proinde dum illi vivunt, irritum est testamentum, quod patrem isti reliquisse dicunt: et contra omnes leges Stephanus falso testatus est, id exemplum esse testamenti Pasionis. Unde enim tu nosti? et ubi affuisti patri testamentum facienti? Te quidem corruptorem testamentorum esse appetet, qui et falsa cupide testeris, et vera testimonia suffureris, et judicibus imponas, et per conspirationem litigantibus adstipuleris. Leges autem et harum rerum dant publicas actiones. Recita mihi legem.

LEX.

Si quis conspiraverit, aut adjutor fuerit corruptor Heliæ, aut alterius alicujus judicij Athenis, aut senatum, ad corruptelam pecunia sive data sive accepta, ant cœtm congregarat ad popularis status eversionem, aut advocationis causa in judiciis vel privatis vel publicis pecuniam acceperit, earum rerum actio detur apud Sexviros.

14. Perquam igitur e vobis quærere velim de hisce omnibus, nūnquid civitatis legibus, an vero iis quas ipse Phormio sibi tulit, jurati jus dicatis? Ego quidem has vobis exhibeo et ostendo eas ab utroque esse violatas: et Phormionem ab initio nobis fecisse injuriam, et pecunia fraudasse, quam nobis pater reliquit, et isti locavit cum mensa et officina; Stephanum autem falsa esse testatum, et contra legem.

15. Illud præterea, Judices, considerare est operæ pretium, neminem unquam testamenti exemplum fecisse: in syngraphis quidem id fieri solet, ne per ignorationem in eas peccent, testamentorum alia ratio est. Eam enim ob rem ea testatores relinquunt, ut nemo norit quidnam constituerint. Quo pacto igitur vos scitis, exemplum esse testamenti Pasionis, ea quæ in tabulis scripta fuerunt?

16. Oro autem vos omnes, Judices, et obtestor, ut et me juvetis, et eos qui ita cupide falsa testificantur puniatis, tum vestra ipsorum, tum mea, tum justitiæ, tum legum causa.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN EVERGUM ET MNESIBULUM TESTES.

ATHENIENSIBUS classem ad bellum propere instruentibus, armamenta triremium præfectis deerant. Itaque decretum scribitur, ut instrumenta navalia quamprimum ab iis qui deberent reipublicæ exigerentur: ii vero quidam eorum erant qui triremibus præfuerant. Alius igitur ab aliis ea vasa repetere jussus est: is vero qui nunc habet orationem, a Theophemo et Demochare. Qui cum insolentius se gererent, eos in jus vocatos, reos peregit. Demochares quidem reddit, sed Theophemus adhuc effugia quæritat. Facto autem a senatu decreto, ut quo quisque modo posset, debita exigeret, ædes Theophemi is qui nunc litigat invadit. Ortoque jurgio, et inter se verberant, et in jus mutuo vocant, uterque asserens alterum intulisse manus: quæ actio *anxia*, hoc est, verberatio, dicebatur. Prior igitur ingressus Theophemus testes produxit, Evergum et Mnesibulum, alterum fratrem suum, alterum affinem. Ii vero testificati sunt, Theophemum voluisse mulierem, quæ pugnæ interfuerat, dare in quæstionem, ut in tormentis confiteretur, uter prior manus intulisset: quod cum offerret Theophemus ancillamque traditurus esset, illum admittere noluisse. Tandem judices, fide testibus habita, pro Theopheno prouinciarunt: is autem qui victus est testes falsi testimoniū*ii* accusat.

D E M O S T H E N I S IN EVERGUM ET MNESIBULUM TESTES ORATIO.

1. PRÆCLARÆ mihi esse leges videntur, Judices, quæ post judicia falsi testimonii actionem largiuntur, ut, si quis, testibus mendacibus productis aut provocationibus non factis aut testimoniis contra legem dictis, judices deceperit, nihil ea re proficiat: is autem cui facta est injuria, testimoniis reprehensis quum apud vos ostenderit testes de re dixisse falsum, tum ab eis pœnas expetat, tum illius a quo producti sunt malas artes ulciscatur. Propterea que minorem accusatori, si succubuerit, multam statuerunt, ne pœnæ magnitudine deterreatur læsus a persequendis testibus: reo autem magnas pœnas constituerunt, si convictus fuerit et vobis pro testimonio mentitus esse videatur. Idque merito, Judices: vos enim, testes intuiti, et eorum testimoniis freti, pronunciatis. Ne igitur et vos decipiāmini, et qui ad vos ingrediuntur injuriis afficiantur, propterea eos obnoxios reddidit legislator. Oro autem et ego ut vos me cum benevolentia audiatis rem omnem ab initio explicantem, ut inde in-

telligatis, quam multis et ego sim affectus injuriis, et ut judices decepti fuerint, et ut isti falsa testificati sint.

2. Etsi autem maxime vellem non facessi mihi negotium: attamen si cui quieto esse non licet, illud jucundum est, cum iis litigare qui vobis ignoti non sunt. Nunc longior a me sumetur oratio moribus eorum ostendendis, quam testimonii falsitate revincenda. Nam id quidem esse falsum, ipsi mihi ostendere videntur, neque ego necesse habeo testes alios, quam illos ipsos, producere. Nam qua eis ratione liceret liberari negotiis nec in vestro judicio periclitari, et reipsa testimonii veritatem confirmare, mulierem tradere noluerunt, quam in quæstionem dare voluisse Theophemum apud arbitrum Pythodorum Cedensem testificati sunt, et quam ego me recepturum sum professus, ut testes qui tum affuere vobis in judicio testificati sunt, et nunc etiam testificabuntur: quos Theophemus ipse, ut vera testificatos, neque accusavit, neque falsi testimonii reos egit.

3. Atque adeo ipsi fere in testimonio confitentur, voluisse me admittere mulierem, Theophemum autem differre jussisse, idque me detractasse. Quam vero et ego admittere volui, et Theophemus obtulit—ut isti aiunt—, cuius tamen corpus nemo adesse vidit, neque tunc apud arbitrum, neque in judicio post, neque alibi usquam traditum, eam testificati isti sunt, tradere voluisse Theophemum et obtulisse: Judices autem opinati sunt, verum esse id testimonium; me vero recusare quo minus e muliere perquireretur de verberatione, uter nostrum prior per injuriam alteri manus attulisset. Hoc enim sibi vult verberationis verbum. Nunquid ergo aliter fieri potest quin falsa isti testificati sint, qui ne nunc quidem audient corpus mulieris tradere—id quo obtulisse Theophemum dixerunt, eique testificati sunt—, et testimonii veritatem ipso facto confirmare, et testes molestia periculoque liberare, tradito ancillæ corpore, ut exquiratur a muliere de verberatione, quo ego judicio Theophemum persequor, quoniam eam tum non exhibuit, et argumentum ex iis, quibus tum Theophemus dicendis decepit Judices, sumatur?

4. Aiebat enim in causa verberationis, testes qui affuerant et testabantur ea quæ facta fuerant in tabula ex lege, falsos esse et a me subornatos: mulierem vero quæ affuisset vera dicturam, non tabella testificando, sed firmissimo testimonio, tormentis, uter prior per injuriam manus alteri intulisset. Quibus vero tum verbis abutendo et testes producendo, Judices decepit, ea nunc falsa esse deprehenduntur. Corpus enim mulieris tradere non audet, sed invult fratrem et affinem falsi testimonii judicio conflictari, invult eosdem, vobis commentitiis verbis et depreciationibus si possint deceptis, absolvi, quam muliere tradita, ita ut æquum est, omni peri-

culo liberari: nam ego quidem saepe illum provocavi muliere postulata, quam et tum et post judicium admittere volui, cum mulctam eis solverem, in eo item judicio quo Theophemum verberationis accusabam, et in inquisitione falsi testimonii; verum isti, his omnibus repudiatis, quam mulierem mihi esse traditam affirmarunt, eam re ipsa mihi nunquam tradiderunt. Satis enim videbant fore palam, si ea torqueretur, se non a me affectos esse, sed me affecisse injuriis. Quae ut a me vere dici constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

Mihi igitur saepe provocanti et postulanti mulierem deditam esse a nemine, e testibus audivisti: nunc etiam signa proferam, e quibus cognoscebas, istos falsa esse testificatos.

5. Nam si vera essent ea, quae Theophemum isti obtulisse dicunt, et corpus mulieris tradidisse, non duos modo testes fecisset, affinem et fratrem, qui vera testarentur, sed et alios multos. Arbitrium enim in Heliæ factum est, nam qui Oeneiæ et Erechtheiæ tribui arbitrantur ibi sedent: in talibus autem provocationibus, cum aliquis hominem adductum tradit, multi circumsistunt auscultantes quid dicatur. Quare testes eis non defuissent, si testimonium ex ulla parte verum esset.

6. In eodem porro, Judices, testimonio dixerunt, me differre noluisse: Theophemum autem id jussisse, ut mihi mulierem traderet. Ego vero id non esse verum vos docebo. Si enim ego id a Theophemo postulassem, quod isti ei testificati sunt, petens ut mulierem mihi traderet, jure ad eum mihi modum respondisset, differre jubens arbitrium usque in alterum conventum, ut adduceret mulierem mihi tradiceret: nunc testatus es, Theopheme, te tradere voluisse mulierem, me vero eam recipere noluisse. Qui fit igitur ut tu ancillæ dominus, qui eam conditionem mihi latus cras quam isti tibi testificati sunt, cum ad mulierem confugeres, et me de jure provocaturus, nullum alium testem haberet, quo probares te a me esse verberatum per injuriam tibi manus afferente, muliere adducta ad arbitrum non veneris; et corpus mulieris præsentis tradideris, qui quidem dominus ejus esses? Obtulisse quidem te dicas, mulierem vero nemo vidit, eaque re Judices decepisti, falsos testes producendo qui dicerent, te eam tradere voluisse. Posteaquam autem tibi mulier tum non præsto fuit, sed prius echini obsignati fuerunt, estne quo illam vel in forum, vel judicium, usquam perduxeris? Si enim ea tum non affuit: post utique tradenda fuit, et testes faciendo, te voluisse rem e muliere certo cognosci, quemadmodum provocaras, cum et provocationem injeceris, et testimonium quo

continebat, te tradere mulierem voluisse. Jam causam acturus, usquamne mulierem introduxisti in prætorium? Atqui oportebat eum, si vera essent, quæ eum obtulisse dicunt, in sortitione judiciorum, adducta muliere, adhibitoque præcone, jubere me si quæstionem habere de ea vellem, et Judices ingredientes testes facere, se eam velle tradere: nunc fuko verbis facto, falsis testimoniis productis, ne nunc quidem audet tradere mulicrem, sæpenumero a me provocatus et postulatus, ut vobis testes qui interfuerent dixerunt. Recita mihi denuo testimonia.

TESTIMONIA.

7. Enarrabo autem vobis, Judices, unde mihi controversia cum Theophemo sit orta, ut sciatis non me solum iniquo per eum judicio circumventum, deceptis judicibus, sed et senatum quingentorum eadem sententia esse condemnatum; atque auctoritatem erectam judicii vestris et decretis et legibus, ac magistratibus vestris fidem esse abrogatam et literis in pilas relatis. Quo autem pacto, id ego vos singulatim edocebo. Mihi cum Theophemo dum vixi prius nihil unquam commercii fuit, nulla commissatio, nullus amor, aut compotatio, ut, vel injuria aliqua irritatus vel voluptate aliqua impulsus, ejus ædes invaderem: sed decretis vestris, populo, senatu et lege mandantibus, exegi ab eo navalia instrumenta, quæ reipublicæ debebat. Quamobrem autem id factum sit, ego vobis narrabo. Accidit, ut triremes hinc solverent, auxiliaque celeriter mitterentur; armamenta autem in navali deessent navibus, eaque cum haberent ii qui debebant non redderent: ad hæc nec in Piræeo erat copia linteorum, stupæ et rudentum, quibus rebus navis instruitur, ut emi possent. Chæredemus igitur hoc senatusconsultum scribit, ut armamenta navium exigerentur et sarta tecta redderentur reipublicæ. Recita mihi decretum.

DECRETUM.

Hoc decretum magistratus jussit, et eos qui vasa reipublicæ deberent navalium curatoribus tradidit: navalium curatores, triremium præfectis, iis qui tum abituri erant, et curatoribus classium. Lex vero Periandri cogebat et jubebat nos eos qui armamenta deberent recipere, qua lege classes designate erant. Ad hæc, alio plebiscito cogebamus pro sua quisque portione a singulis ea quæ deberent exigere. Accidit autem ut ego et trierarchus et classis curator essem; et Demochares Pæaniensis in mea classe cum Theophemo, cuius in trierarchia collega fuerat, armamenta reipublicæ deberet. Quos utrosque cum in pila inscriptos ut reipub. ob-

strictos magistratus a priore magistratu accepisset, nobis eosdem tradidit ut et lex et decreta mandabant. Eos igitur mihi necesse fuit accipere, nam cum superioribus temporibus multas triremes vobis instruxerim, nunquam e navali armamenta sumpsi, sed ipse privatim quoties opus fuit comparavi, ut cum repub. mihi quam minimum negotii esset: tum vero et decretis et legibus accipere cogebat. Ut autem haec a me vere dici constet, et testes horum vobis, et decretum et legem, exhibebo: deinde, magistratum ipsum qui et eam mihi provinciam tradidit et nos in judicium introduxit: deinde, classis ejus consortes, cuius ego curator et praelector fui. Lege.

LEX. DECRETUM. TESTIMONIUM.

Mihi igitur omnino necesse fuisse suspicere eos qui reipub. debabant, et e lege auditis et e decretis: me etiam accepisse illos a magistratu, is qui eos mihi tradidit testificatus est.

8. Proinde par est, Judices, ut vos ab initio consideretis, primum, egone injurius fuerim qui cogebat vasa exigere a Theophemo, an Theophemus, qui armamenta reipub. longo tempore debita non reddebat. Quod si singula spectabitis, et Theophemum in omnibus injurium fuisse, et haec non a me solum verbis explicata, sed et senatus et judicij suffragio decreta esse reperietis. Cum enim eum a magistratu accepisset, accessi, et primum vasa postulavi: quo facto, cum ille nihil redderet, mihi postea prope Mercuriale statuam quæ ad Portulam est occurrisset, eum ad classis præfectos et ad navalium curatores qui tum disceptationes de armamentis in judicium introducebant citavi. Ut autem me vera dicere constet, horum vobis testes viatores producam.

TESTES.

Eum igitur a me fuisse citatum, viatores testificati sunt: atque etiam in judicium esse introductum, classis præfectorum et magistratus testimonium ostendit.

TESTIMONIUM.

9. Quem igitur mihi negotia facessiturum putabam Democharem Pæaniensem, is, priusquam in judicium introduceretur, sane molestus fuit: postquam vero introductus et damnatus fuit, reddidit suam armamentorum partem. Quem vero nunquam eo improbitatis venturum putabam, ut armamentis fraudare remp. auderet, is eo usque contentionibus et vexationibus processit: nam cum adasset

ad prætorium, dum introduceretur, nusquam quicquam contradixit in judicio, neque cuiquam litem movit, neque quenquam alium habere vasa asseruit, neque ea se reddere oportere negavit, sed contra se ferri sententiam passus est: verum e prætorio degressus nihil magis reddidit; sed si se subduxisset, donec ego cum navibus abissem, et se in præsentia quietum fore putavit, et moram intercessuram, et me, quæ ipse debebat armamenta, coactum iri huc reversum reipub. reddere, aut successori, qui e classe navem eam sortiretur. Quid enim contra illum dicere potuisse, decretis et legibus ostendentem, debere me armamenta exhibere? Theophemus autem, interjecta mora, si postulassem, dicturus fuit se reddidisse; et his signis redditionis abusurus, temporibus et necessitate: neque me vel stultum, vel sibi unquam amicum fuisse, ut ullam intercedere moram, quum et triremem reipub. instruerem, et classis essem curator, et talia decreta facta essent, et lex lata de exigendo, sua causa passus essem. Hoc consilio Theophemus tum quidem armamenta non reddebat, sed sc̄ subduxerat; post autem fraudaturum putabat: ad hæc, ad jusjurandum confugiens facile pejeratus fuit, id quod et aliis fecit. Mira enim ejus avaritia est et rapacitas in contractibus, ut ego vobis reipsa demonstrabo. Cum enim hæc armamenta deberet reipub. Theophemus, ea verbo ad Aphareum referebat, quem re in jus non vocabat, quod satis sciebat se mendacii convictum iri, si in judicium venisset. Aphareus enim ostendebat, eum æstimasse armamenta et, cum triremis præfecturam subiret, pretium recepisse. Nunc autem ea se Demochari tradidisse dicit, et pueros Democharis in judicio exagitat, illo mortuo: quem, dum viveret, in jus non vocavit Theophemus, me armamenta ab eo postulante, sed moræ interponendæ causam quæritans armamentis fraudare rempub. instituit. Ut autem vera me dicere constet, testimonia vobis legentur.

TESTIMONIA.

10. Hæc cum ego omnia cogitarem, et audirem ex iis quibus cum Theophemo res fuerat, quo esset in controversiis ingénio, et armamenta ab eo non reciparem, accessi ad classis præfectos, ad senatum, ad populum, conquerens non reddere mihi armamenta Theophemum, quæ judicio victus deberet: accedebant et alii triremium præfecti ad senatum, qui a debentibus armamenta non accipiebant: multis itaque verbis factis, senatus nobis decreto respondet, quod vobis recitabitur, ut, quoctunque modo possemus, exigeremus.

DECRETUM.

Facto hoc decreto in senatu, quod a nemine violatarum legum ac-

cusatum est, sed ratum mansit, aggressus Evergum, Theophemi fratrem, cum Theophemum videre non possem, allato decreto, primum repetii armamenta, jussique hoc Theophemo renunciare: deinde, interjectis diebus aliquot, ut armamenta non reddebat, sed me deridebat, testibus adhibitis ex eo quærebam, utrum partitus esset cum fratre, an vero communes facultates haberent? Respondente Evergo, partitum esse ac seorsim habitare Theophemum, se vero manere apud patrem, sciscitatus, ubi habitaret Theophemus, accepto a magistratu ministro, ad ædes Theophemi accessi. Quo domi non invento, jussi mulierem quæ fores pulsanti responderat, accersere eum ubicunque esset; eam, quam isti testificati sunt, obtulisse Theophemum et in quæstionem dare voluisse: ego vero ab eis obtainere non possum, ut vos veritatem audiatis, uter prior per injuriam alteri manus attulerit.

11. Ut autem venit Theophemus, accersitus a muliere, postulo ab eo descriptionem armamentorum, aiens, me jam in eo esse ut solverem, ostenso ei senatusconsulto. Quæ dicente me cum nihil redderet, sed minitaretur et convicia diceret, jubeo puerum vocare, si quos civium videret prætereuntes de via, ut mihi testes eorum essent quæ dicerentur, denuoque postulo a Theophemo, ut vel ipse me ad classis præfectos sequeretur et ad senatum—quod si se debere quicquam negaret, illis id persuaderet, qui debitores tradarent et nos ad exigendum cogerent—vel armamenta redderet: alioqui me pignora capturum jussu et legum et decretorum. Cum vero ipse nihil æqui præstare vellet, ducebam mulierem illam in janua stantem quæ eum accersierat: quam cum Theophemus mihi criperet; tum ego muliere omissa in ædes ingredior, ut supellectilem pignori obligarem—aperta enim erat janua, cum exisset Theophemus et regressurus esset—, audieram enim eum non habere uxorem. Ingresso autem mihi colaphum impingit in os Theophemus: ego vero, testatus eos qui aderant, mc defendo. An autem vera dicam, et prior per injuriam Theophemus mihi manus attulerit, non alio argumento cognoscendum esse reor, quam e muliere, quam testes dixerunt Theophemum voluisse tradere. Eo testimonio nitens prior ingressus, non excipiente me neque judicium differente, quod prius etiam eæ res in alio judicio mihi nocuerant, decepit judices, dicendo, quos ego produxissem testes, eos mentiri; mulierem autem quæstionibus habitis vera dicturam. Quibus autem verbis tum abutebantur, iis contraria facere nunc non dubitant. Mulierem enim, sæpe jam postulatam, extorquere non possum, ut e testibus audivistis. Quoniam igitur illi mulierem non tradunt, quam semetipsos obtulisse dicunt, ego producam testes, qui me priorem verberatum yiderunt a Theophemo: ea vero verberatio est, si quis prior per injuriam alteri manus attulerit, ei præ-

sertim, qui legis et decretorum vestrorum auctoritate ea quæ debentur exigit. Lege mihi decreta, et testimonia.

DECRETA. TESTIMONIA.

12. Cum autem erepta mihi essent pignora a Theophemo et ego verberibus affectus, progressus in senatum, verbera ostendi, et quæ perpessus essem narravi, idque exigendis reip. armamentis. At senatus, ob ea quæ mihi acciderant indignatus, cum me ut affectus essem vidisset, eamque contumeliam non mihi, sed sibi ipsi, et populo decreti auctori, et legi quæ exigere armamenta cogeret, factam existimaret, mihi mandavit, ut eum majestatis accusarem, et curiones ei dictare judicium intra biduum, ut injurio et navalem expeditionem impeditenti, jussit, propterea quod et armamenta non redderet, et pignora eripuisse, et me qui exigerem et reipub. inservirem verberibus affecisset. Facto igitur de Theophemo judicio in senatu, ea actione qua ego eum detuleram, et utrius data dicendi potestate, occulte seorsim ducernentibus senatoribus, damnatus est in curia et injuste fecisse visus: cum autem jam in eo senatus esset ut decerneret, utrum eum judicio traderet, an quingentis drachmis mulctaret, quantæ mulctæ infligendæ ex lege potestatem habebant, orantibus istis omnibus et supplicantibus, et quem non deprecatorem subornantibus, et descriptionem armamentorum redditibus statim in senatu, et de verberibus se arbitrum sumpturos dicentibus quem juberem Atheniensium, concessi, ut Theophemo his vigintiquinque drachmis aestimaretur. Quæ ut vere a me dici constet, tum vos rogo, qui prætore Agathocle in senatum itastis, ut assidentibus dicatis, tum quoscunque ex illis senatoribus ego reperire potui, testes vobis producam.

TESTIMONIA.

Ego igitur, Judices, adeo æquus in istos fui. Quanquam decretum publicari facultates jubebat, non ejus modo qui armamenta publica non redderet, sed ejus etiam qui privata sua venderet. Tali tum armamentorum in urbe penuria laborabatur. Lege mihi decretum.

DECRETUM.

13. Reversus, Judices, ut nemini rem permettere Theophemus voluit de plagis quas ab eo id temporis acceperam, eum in jus vocatum verberationis accusavi. Cum vero et ipse mihi vicissim diem dixisset, et arbitri judicia haberent, quum de causa pronunciandum esset, Theophemus excipiebat et differebat: ego vero fretus inno-

centia mea ad vos ingrediebar. Ille autem prolato testimonio, quod nemo alius dixerat, nisi frater ejus et affinis, qui affirmabant voluisse eum tradere mulierem, simplicitate simulata decepit iudices. Rem autem justam a vobis precor, ut simul et de testimonio pronuncietis, verumne an falsum sit, simul etiam rem ipsam de integro consideretis. Ac ego quidem ad quæ jura tum ille confugit, ex iis nunc de veritate causæ statuendum esse censeo, habenda de muliere quæstione, uter prior per injuriam alteri manus attulerit— ea enim est verberatio—; et testes propterea falsi testimonii reos ago, quod testificati sunt Theophemum tradere voluisse mulierem, cum corpus illius nusquam traderet, neque primum apud arbitrum, neque postea sæpe a me postulatum. Duplex igitur eis pœna luenda esset, tum quod Judices deceperunt falsis testimonii exhibitis, affinis et fratris, tum quod mihi injuriam fecerunt, vobis sedulo inservienti, et mandata exsequenti, et legibus ac decretis vestris obtemperanti.

14. Et ut constet non me solum acceperisse hoc munus a republica, ut ab isto armamenta quæ deberet reposcerem, sed et alias trierarchos ab aliis quos in mandatis acceperant exegisse, lege mihi eorum testimonia.

TESTIMONIA.

15. Narrabo vobis etiam, Judices, quo pacto ab eis tractatus sim. Eo judicio victus ab illo, propter quod testes istos falsi testimonii reos ago, conveni Theophemum, cum jam præfiniti mihi temporis finis instaret, precatusque sum ut mihi parvam moram largiretur: dicebam (id quod verum erat) conquisitis nummis, quos ei numeraturus fuisse, accidisse ut mihi triremis instruenda, et festinantermittenda esset; quod Aleimachus imperator navim solvere juberet. Me igitur pecunia in eum usum coacta, ut Thcophemus numeraretur, eo esse abusum: rogabam ut terminum proferret eo usque, dum navem ablegassem. Is vero mihi expedite et simpliciter respondet: nihil vetat, inquit, sed ubi nave ablegaveris, sat is facito et mihi. Quæ cum mihi Theophemus respondisset, die prorogato, egoque maxime fretus essem cum testium revictione tum ipsius tradendæ mulieris recusatione, (neque vero nova illum adversus me inisse consilia putabam), triremi ablegata, pecunia non multis diebus post corrogata, conveni hominem, me ad mensam sequi jussi, ut mulctam reciperet. Hæc ut vere a me dici constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

Theophemus autem adeo non secutus est ad mensam aut mul-

ctam recepit, ut quinquaginta meas oves molles dum pascerentur, et opilionem una cum eis, et quicquid ad gregem pertinet, abripuerit: deinde, puerum ministrum hydriam æream reportantem accommodato acceptam, magni pretii. Neque hæc eis abstulisse fuit satis, sed et in prædium ingressi—agros autem colo ad circum equestrem, ibique habito a prima adolescentia—, primum in famulos impetum fecerunt: ut vero illi diffugerunt, atque alias alio se proripuit, ingressi ædes et dejecta janua quæ in hortum fert, Evergus frater Theophemus et Mnesibulus affinis ejus, a quibus nullo eram judicio victus, quibus non fas fuit quicquam meum attingere, ingressi ad uxorem meam et liberos, quicquid instrumenti mihi fuit reliquum in ædibus abstulerunt. Putabant enim se non modo tantillam, sed longe instructiorem supellectilem domi meæ reperturos. Verum, propter obita munera et tributa et vestri studium, alia oppignerata, alia dividenda erant: quæ vero adhuc restabant, iis abreptis omnibus abierrunt.

16. Præterea, Judices, uxor mea cum liberis in aula prandebat; et quædam cum ipsa quæ nutrix mea fuerat magno natu, mulier benevola et fida, libertate donata a patre meo. Nupserat autem adepta libertatem: maritoque mortuo, quod et vetula erat, et a quo aleretur neminem habebat, ipsa ad me redierat. Ea igitur ad egestatem redacta, quæ et nutrix et educatrix mea fuerat, nullo modo mihi negligenda fuit: simul etiam quia trierarchus eram abitus, et uxor mea sibi talem a me custodem ædium relinqu gaudebat. Cum autem in aula pranderent, atque isti illis subito oppressis irruerent, et vasa diriperent, aliæ quidem ancillæ—in turri enim erant, ubi diversantur—, clamore auditio, turrim ocludunt, atque illuc ingressi non sunt, sed e cæteris conclavibus vasa exportarunt, vetante uxore ne ea tangerent et dicente, ob dotem sibi esse oppignerata, et, oves eos habere quinquaginta et opilionem majoris pretii quam quanti essem damnatus—vicinus enim quidam eis id nunciarat pulsata janua—, præterea argentum eis dicebat in mensa esse positum—id enim ex me audierat—: quod si exspectaveritis, inquit, aut vestrum aliquis maritum meum accersierit, statim acceptis nummis abibitis; vasa autem relinquite, et nihil meum auferte, præsertim cum habeatis quanti mulcta est. Hæc dicente uxore, tantum abfuit ut desisterent, ut et nutricem, (quæ cymbium sibi appositum, e quo potabat, intra sinum abdiderat, ne id isti auferrent, postquam eos intus esse vidit), re animadversa, sic tractarint inter eripiendum cymbium Theophemus et Evergus frater ejus, ut et brachia et manus mulieris sanguine suffunderentur, dum retorquentur dumque vexatur ab istis poculum eripientibus, et notas unguium in collo dum ei jugulum comprimunt et lividum pectus haberet: eoque improbitatis venerunt, ut anum et obtorto collo trahere

et verberare non destiterint, donec ei poculum e sinu eripuissent. Famuli autem vicinorum auditio clamore, quum meas ædes diripi viderent, alii e suis tectis vocabant prætereuntes, alii etiam in aliam viam egressi, et Hagnophilum prætereuntem conspicati, jussérunt accedere. Hagnophilus autem, a famulo Anthemionis accersitus qui mihi vicinus est, accessit, ac in ædes quidem ingressus non est— id enim absente domino nefas putabat—, sed in Anthemionis prædio stans, vidit et supellectilem efferri, et Evergum ac Theophemum e meis ædibus egredi. Neque vero, Judices, abreptis duntaxat vasis meis abierunt, sed et filium pro servo abduxerunt, donec unus e vicinis Hermogenes obviam eis factus filium esse meum dixit. Hæc ut a me vere dici constet, testimonia vobis legentur.

TESTIMONIA.

17. Ut autem ea quæ acciderant in Piræum mihi a vicinis nunciata sunt, profectus in agrum, eos non deprehendo: sed cum visuisse quicquid in ædibus habuisse exportatum, et anum ut erat affecta, et ab uxore audisse quæ facta essent, Theophemum postridie mane conveni in urbe, testibus adductis, eumque primum jussi mulctam recipere et sequi ad mensam; deinde, curare mulierem quam lacerassent, et medicum introducere quem ipsi vellent. Hæc me dicente et testificante, multis conviciis mihi dictis, Theophemus quidem ægre sequebatur, tergiversans, et dictitans se quoque testes aliquos adhibiturum,—id vero dicebat dolo, ut mora intercederet—: Evergus autem statim ex urbe cum aliis sui similibus in agrum egressus, reliquum instrumentum, si qua forte pridie in turri reliqua et non prolata, postquam vero ego veneram propter necessitatem deprompta fuerant, amota janua, quam et pridie collabefecerat male stante, abrepta mea superfectile abiit is, a quo neque judicio victus eram, et cum quo nihil mihi commercii intercesserat. Satisfaciente autem me Theophemo, cui debueram multam, cum solvissem multis testibus presentibus mille centum et tres drachmas et duos obolos pœnam, et triginta sportulas,— nam cæterarum mulatarum nullam mihi irrogarat—, acceptis igitur a me in mensa mille trecentis triginta tribus drachmis duobus obolis, universa summa, quum ego reposcerem oves mancipiaque et vasa quæ mihi eripuerat, redditum se negavit, nisi quis et se et socios suos omni crimine, testes falsi testimonii actione, liberaret. Quæcum ille respondisset, statim eos qui aderant testes feci responsionis, et judicatum solvi, neque dilatorem oportere esse me putavi; Evergum eo die ingressum fuisse in ædes meas ignorans. Enimvero cum judicatum solvissem, Theopheus non modo oves et

mancipia, sed et supellectilia quæ pridie superfuerant, occupat: ac lapicida quidam, qui propinquum monumentum expoliebat, denuo abire Evergum reliquo instrumento ex ædibus meis exportato, cum quo nihil mihi negotii fuit, nunciat. Quæ ut me vere dicere, et, eos pridie mea pignora cepisse, et rursus eodem die in ædes ingressos fuisse, me vero postridie solvisse judicatum, et pecuniam eis numerasse constet—qui enim, nisi et coactum fuisset, et eis a me denunciatum, statim recepissent?—harum rerum testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

18. Cum autem, posteaquam eis denunciaram, Judices, ut anum, quam male mulctarant, adductis medicis curarent, rem neglexerunt, ego ipse medicum quo multos annos fueram usus, qui eam ægrotantem curaret, accersivi; eique ut illa affecta esset testibus adductis ostendi. E quo cum audissem, graviter eam laborare, ac deplorata esse valetudine, rursus aliis testibus adhibitis, eis ostendi ut affecta esset, et istis denunciavi ut eam curarent. Sexto autem die, postquam isti in ædes ingressi fuerant, obiit nutrix mea. Quæ ut vera esse constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

Ea defuncta jureconsultos adii, ut cognoscerem quid ea mihi de re faciendum esset, et eis omnem rem gestam exposui, adventum istorum, et, benevolentiam mulieris, et ut eam in ædibus habuisse, et ut propter cymbium retentum obiisset. His jureconsulti auditis me interrogarunt, utrumne mihi de jure duntaxat responderi, an etiam consilium dari vellem? Me respondente utrumque, proinde tibi et de jure, inquiunt, respondebimus, et utilia consulemus: primum ut in efferendo funere hastam adhibeas, et ad sepulcrum proclames, si quis ei sit cognatus; deinde ut sepulcrum ad triduum custodias. Hæc tibi suademos, quando ipse non affuisti, sed uxor duntaxat et liberi tui, aliquique testes tibi non sunt, ut neminem nominatim cites, sed sontes et imperfectores: deinde ad regem ne deferas; neque enim id lege tibi licet. Cum e tua familia non fuerit ea mulier, neque ancilla, si ita est ut tu dicis: leges autem cognatis et dominis actionem dant. Proinde, si ad Palladium juraris ipse, uxor, liberi, et vos familiamque vestram devoveritis, multi et pejus de te existimabunt; et, si illi absolventur, pejerasse te putabunt, sin reos peregeris, invidia te onerabis. Tu vero facta et pro te et pro familia expiatione quam æquissimo animo ferto calamitatem, alibi autem, sicubi voles, injuriam ulcisceris.

19. His ego ex jureconsultis auditis, et inspectis Draconis legibus in pila, cum amicis deliberabam quidnam esset agendum. Qui cum suaderent, ut et ea quæ ad expiationem ædium pertinerent et cætera facerem quæ jureconsulti mihi respondissent, ita feci: iis vero de rebus, quæ mihi porro legibus non licebant, quievi. Jubet enim lex, Judices, ut cognati cædes persequantur usque ad sobrinos: et in jurejurando cavetur, debere, si vel servus sit interfactus, hos eosdem cædem persecui. Mihi vero neque genere quicquam conjuncta erat mulier, nisi quatenus nutrix mea fucrat, neque etiam ancilla: manumissa enim a patre meo fuerat, et seorsim habitarat, et maritum habuerat. Mentiri autem apud vos et ipse loco filii et uxoris jurare non ausus essem, ne tum quidem si certo scissem me istos peracturum esse reos: neque enim eos tantum odi, quantum meipsum diligo. Ne autem verba mea duntaxat audiatis, ipsa vobis lex recitatibus.

LEX.

20. Etsi autem vos, Judices, e multis signis deprehendere puto falsum esse testimonium, id tamen ex eorum factis vel in primis animadvertisse. Isti putabant, Judices, me, si multa mihi pignora abstulissent; cupide liberaturum testes falsi testimonii actione, ut pignora recuperarem; cumque eum rogarem ut diem mihi prorogaret, libens accepit, ut si constituto tempore non solvissem, plurima ex ædibus meis exportaret; propterea que ingenue et prompte concessit, ut fides suis haberetur nec insidiæ patefierent: nec enim aliter fieri posse existimabat, ut testes actione falsi testimonii libarentur, quam si me decepisset, et a me addictam diem mulcta non soluta quam plurima asportasset. Non enim se tantillum inventurum putarat, quantum abstulerunt, sed longe plura. Ac reliquo tempore exspectavit tanquam celeriter ei pecuniam redditurus essem, ut sub ipsam falsi testimonii actionem pignora caperet: postquam autem ei parui et mulctam attuli, eam non recepit, sed egressus supellectilia mea et servos et oves abstulit. Colo autem ad Circum equestrem, ut eum procul ire necesse non fuerit. Hæc vere a me dici, magno vobis illud argumento sit: quod postridie, quam pignora ceperat, mulctam accepit,—enimvero, nisi jam antea collectam habuissem, qui statim numerare mille trecentas triginta tres drachmas duos obolos potuissem?—et pignora mihi non reddidit, sed etiamnum ea tenet ut ejus qui ad diem dictam non solverim. Ut autem constet me ad dictam solvisse diem, recita mihi testimonium et legem, quæ jubet ea rata esse, quæ alias cum alio pepigerit: proinde nihil utique de me jam queri potuit.

LEX. TESTIMONIUM.

21. Eum igitur concessisse et distulisse diem e testibus audivit
stis: me autem instruxisse triremem, et quidem eam qua imperator
Alcimachus veheretur, collega in praefectura meus est testificatus.
Proinde nihil a me petere potuit propter dilatam solutionem, prae-
sertim cum vellem solvere: sed ingens est hominis avaritia atque
cupiditas, Judices, tam minoribus quam majoribus in rebus. Probe
item sciebant, si mulierem tradidissent, palam fore, me falso ab eis
esse accusatum: sin non tradidissent, quam eum tradere voluisse
testificati fuerant, fore ut falsi testimonii convincerentur. Oro au-
tem vos, Judices, si quis eorum forte qui tum jus dixerunt hic adest,
ut iisdem utamini institutis, quibus tum quoque. Ac si testimo-
nium tum fide dignum visum est, si me fugisse quo minus veritas
cognosceretur ex muliere putasti, cum nunc isti falsum dixisse te-
stimonium convincantur et mulierem tradere recusent, ut me juve-
tis: quod si mihi irati fuistis, quod pignora capturus ad ædes
Theophemi accessi, ut et istis nunc irascamini, quod meas ædes
invaserunt.

22. Atque ego, legibus et decretis coactus, tamen cavi ne vel
ad patrem istius ingrederer, vel ad matrem, vel quicquam quod fra-
tris ejus esset auferrem, sed eo veni ubi ipse Theophemus habita-
bat: quem cum domi non reperissem, nihil ex ædibus eripui, sed
accersi jussi: et præsente eo, non absente, pignora cepi; quæ cum
mihi eriperentur amisi et ad senatum legitimumque magistratum
abii: eoque delato et damnato in senatu, satis esse duxi arma-
menta simpla recipere, de verberibus autem sumpsi arbitrum et
mulctam ratam habui. Ac ego quidem adeo me lenem in istos
præbui. Isti vero ita petulantes et importuni fuerunt, ut uxorem et
liberos opprimerent, cum quidem oves et famulos abstulissent, quæ
pluris erant quam quanti me condemnabant: cum porro diem di-
ctam distulissent, egoque promissem me, ut e testibus audistis,
mulctam eis soluturum, in ædes ingressi sunt, et supellectilia ex-
portarunt, et nutricem, senem mulierem, propter cymbium excarni-
ficarunt; quæ omnia etiamnum tenent, et nondum restituunt, so-
lutis a me mille trecentis triginta tribus drachmis duobus obolis.

23. Si quis autem eos tum ignoravit, ac simplices homines et
quietos esse putavit, testimonia vobis de eis, quæ testificati mihi ii
sunt quos isti injuriis affecerint, recitabo,—nam ad ea enarranda
aqua mihi defutura esset,—ut his omnibus, quæ et a me et a testibus
dicta sunt, consideratis, ita pronuncietis ut vestra fides et juris-
jurandi religio postulat. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS OLYMPIO-DORUM DATI DAMNI.

MAGNAM rerum et casum varietatem continet hæc oratio. Conon vir quidam Atheniensis orbus decedit; de hæreditate inter ejus cognatos oritur controversia. Callistratus, qui causam hanc agit, totam eam hæreditatem ad se pertinere dicit; qui sit genere Conoui proximus. Sed in eo fortasse mentitur, et nudis verbis abutitur: Olympiodorus autem, in quem hæc habetur oratio, et ipse ab initio hæreditatem pettit, affinitate cum Callistrato conjunctus. Sororem enim Olympiodori Callistratus in matrimonio habuit. Visum igitur eis fuit non litigare inter se, sed ex æquo partiri defuncti facultates, quæ in aperto et in confesso essent: communiter item occultas querere, et commuuiiter agere omnia. Cum se de hæreditate controversiam habituros suspicarentur. Ea de re pactionem confecerunt, apud Androclidem quendam communem amicum depositam. Servum porro Cononis Moschionem, qui fidelis omnino ei fuisse putabatur, Olympiodorus capit, et in calumniam adductum de mille drachmis Cononi surreptis cum Callistrato torquet. Quam pecuniam ut servus habere se confessus est, eam quoque cum Callistrato ex æquo partitur ut convenerat. Sed cum plus etiam nummorum habere hominem putaret, non jam adhibito Callistrato, ininas ab illo septuaginta solus extorquet. Circa hoc tempus cum alii in hæreditatem Cononis agunt, tum frater Callistrati, Callippus, eodem patre natus. Communiter itaque de litibus deliberantes Olympiodorus et Callistratus paciscuntur, ut Olympiodorus totam hæreditatem, Callistratus semissem petat. Atheniensibus autem in Acarnianam profectis cum exercitu, abit et Olympiodorus: erat eni in catalogo. Cum vero stata dies adisset, judices, ut quibus persuasum esset militiam absentiæ falso prætexi, actionem ejus sustulerunt. Quapropter se Callistratus et ipsa actionem in semissem hæreditatis ex pacto omisso, quod omnia communiter fieri juberet. Ut autem e bello redit Olympiodorus, iterato judicio adversus victores utitur, et ipse et Callistratus, id quod lege permissum erat: de hæreditate igitur quemadmodum initio disceptauit, hic de semisse, ille de asse. Priorem autem dicens locum nactus Olympiodorus evincit hæreditatem. Victoria porro et tota hæreditate potitus, pacta non servat ab initio facta, neque semissem dat Callistrato. Is vero, et septuagiuta minarum a Moschione extortarum semissem et totius hæreditatis ab eo reposcit, pactis nitens, et asserens se etiam in postremo judicio collusisse cum Olympiodoro, et ei concessisse, ut et quæ vellet diceret, et falsos testes subornaret; quod nisi communiter et ex pacto inter se litigassent, facile se illum faisse convictorum neque permissurum at Olympiodorus in judicio victoria potiretur.

DEMOSTHENIS IN OLYMPIODORUM DATI DAMNI ORATIO.

1. NECESSARIUM fortassis est, Judices, ut qui versari in foro neque solent neque possunt in judicium veniant, si ab aliquo injurijs afficiuntur, ab iis præsertim a quibus eos violari minime con-

veniebat, id quod mihi etiam nunc usu venit. Quanquam enim, Judices, litigare cum Olympiodoro affine meo (ejus enim sororem in matrimonio habeo) non volo, magnis tamen ejus injuriis cogor. Quod si nulla injuria lacessitus, Judices, sed per calumniam et mendacium eum accusarem, aut controversiam meis et Olympiodori familiaribus permittere noluissem, aut ullam aliam æquitatem detrectassem, mihi credite, vehementer erubescerem et me hominem esse improbum existimarem: nunc neque parvis detrimentis ab Olympiodoro acceptis, neque sequestrum ullum fugiens, neque etiam, Jovem Optimum Maximum testor, ultro, sed quam invitisimus, coactus ab isto sum hoc subire judicium. Quare vos omnes in primis rogo, Judices, ut nostrum utroque auditio, et ipsi censura rei suscepta nos reconciliatos dimittatis, et de utroque nostrum bene mereamini: sin id consequi non potueritis, ut de cætero ei qui causam meliorem habet suffragemini. Ac primum testimonia recitabuntur, unde apparebit per me non esse factum, ut in judicium veniretur, sed per istum ipsum. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

Me igitur, Judices, et æquas et convenientes Olympiodoro tulisse conditiones, testificati ii sunt qui interfuerunt: quum vero ille prorsus æqui nihil admittere voluerit, necesse est apud vos expondere quibus afficiar ab Olympiodoro injuriis. Brevis autem ea erit oratio.

2. Conon Halæensis cognatus noster fuit, Judices. Is Conon sine liberis decessit, cum omnino parvo tempore decubuisse, grandis natu cum moreretur. Ego cum eum non posse evadere sentirem, accersivi Olympiodorum, ut adesset unaque nobiscum curaret quæ decerent omnia: Olympiodorus igitur, Judices, ut ad me venit et ad sororem suam, uxorem meam, una nobiscum omnia curat. Dum vero nos hac cura occupamur, ex improviso ad me verba facit Olympiodorus, matrem quoque suam cognatam esse Cononi defuncto, æquum igitur esse ut in partem veniret omnium bonorum quæ Conon reliquisset. Ego vero, Judices, qui scirem eum mentiri et perfidare frontem instituisse, quod nemo alias Cononi genere propior esset quam ego, primum quam potui gravissime sum commotus et indignatus ob impudentiam orationis: deinde mecum ipse reputans, me non tempestive irasci, respondeo, defunctum sepeliendum in præsentia et alia justa ei persolvenda esse; quæ ubi omnia curata essent, tum inter nos velle disceptare. Ipse, Judices, concessit hæc, recte me dicere assensus: postquam autem justis omnibus persolutis reversi sumus, accersitis omnibus cognatis inter nos jam

tranquillis animis de istius postulatione disseruimus. Iis vero Judices, quæ inter nos de controversiis nostris egimus commemorandis, quid aut vobis negotium facessam, aut meipsum defatigem? finem autem qui consecutus est, vos audire necesse est. Ego isti judex fui, et iste mihi, ut uterque nostrum semissem acciperet eorum, quæ Conon reliquisset, neque ullum deinceps esset inter nos dissidium. Nam malui, Judices, ultiro isti impertiri potius, quam experiri judicio cum eo affine meo et molesti aliquid dicere in eum, fratrem uxoris meæ et avunculum meorum liberum, et ab isto audire convicium aliquod. His omnibus consideratis, cessi ei: postea pacta conscripsimus inter nos omnibus de rebus, et sanctum jusjurandum alter alteri dedimus, nos omnino quæ bona manifesta essent juste divisuros, et neutrum meliori fore conditione quam alterum in iis quæ Conon reliquisset, et cætera omnia communiter quæsitus et exacturos, inter nos deliberantes quid quovis tempore facto esset opus. Suspiciabamur enim, Judices, venturos etiam alios qui de Cononis hæreditate litigaturi essent, ut, et fratrem meum, eodem patre illum quidem, sed matre non eadem natum, qui peregre aberat: quod si quis alias controversiam nobis facere vellet, nos prohibere non posse; cum leges cuivis dent petendi potestatem. Hæc igitur omnia providentes, pacta conscripsimus et fidem mutuo dedimus, ut neutri nostrum vel volenti vel invito liceret quicquam seorsim agere, sed ut de communi consilio et sententia ageremus omnia: et harum rerum testes fecimus primum deos, quorum numen alter alteri juravimus, et cognatos nostros, deinde Androclidem Acharnensem, apud quem pacta depositumus. Legam igitur vobis, Judices, legem, qua pacta conscripsimus inter nos, et testimonium ejus qui pacta habet. Recita legem primum.

LEX.

Lege et Androclidæ testimonium.

TESTIMONIUM.

3. Postquam fidem mutuo dedimus, pactione apud Androclidem reposita, duas ego partes feci, Judices. Ac altera pars erat, ædes in quibus habitarat ipse Conon, et mancipia qui saccos texebant: altera pars erant aliæ ædes et mancipia seplasiarii. Si quid autem pecuniæ manifestæ Conon aut in mensa Heraclidæ reliquerat, id omne fere insumptum fuit in sepulturam et cætera funebria et ædificationem monumenti. Ego igitur factis duabus hisce partibus, optionem Olympiodoro dédi utram vellet eligendi; atque is elegit seplasiarios et ædes, ego vero accepi saccorum textores et ædes

alteras: et hæc sunt quæ uterque nostrum habuit. In parte autem Olympiodori unus fuit e seplasiariis, quem sibi fidissimum esse putabat Conon: nomen homini est Moschio. Is famulus norat cum cætera fere Cononis omnia, tum ubi repositum argentum esset quod domi habuerat Conon. Ac latuerat sane Cononem proiectæ ætatis hominem et qui fidem illi haberet, illum servum Moschionem pecuniam suffurari. Primum igitur ei sustulerat mille drachmas seorsim positas a reliquis nummis, deinde alias septuaginta minas: et hæc ejus facinora Conon haud animadverterat; idque argentum omne homo in suapte potestate habebat. Non multo autem post, Judices, quam nos bona divisseramus, orta est suspicio quædam de illo homine resque animadverti cœpit. Ex ea suspicione visum mihi fuit et Olympiodoro quæstionem esse de homine habendam. Tum homo, Judices, ipse de se indicium fecit priusquam torqueatur, se mille drachmas Cononi surripuisse, et apud se esse dixit quicquid consumptum non esset: de majore autem pecuniæ numero tum omnino tacuit. Et drachmas circiter sexcentas reddidit. Hujus pecunia, ut pro data mutuo fide et ex pactis apud Androclidem sitis, ut et justum et æquum erat, semissem ego accepi, semissem Olympiodorus.

4. Non multo post ex ea suspicione de servo et pecunia redditiva vinxit hominem et torsit ipse solus, nobis non accersitis, cum jurasset communiter se quæsitum et acturum esse mecum omnia. Tum homo contentis fidiculis confessus est, Judices, se et septuaginta minas habere, Cononi surreptas: quam pecuniam omnem Olympiodoro restituit. Ego vero, Judices, hac re audita, istum mihi semissem, sicut prius etiam de mille drachmis fecerat, redditurum putabam. Ac principio non valde sane ei instabam, existimans fore ut ipse de re statueret ac sibi mihi que ita prospiceret, ut utrique suum jus redderetur ex jurejurando et pactis inter nos factis de æquali distributione eorum omnium quæ Conon reliquisset: cum vero moras interponeret nihilque præstaret, Olympiodorum alloquor et meam mihi reddi partem postulo, is autem semper prætexere aliquid et moras nectere.

5. Interim et alii quidam in Cononis hæreditatem agunt, et Callippus, frater meus germanus, peregre domum reversus statim semissem hæreditatis petit: quæ tum Olympiodoro causa fuit pecuniæ mihi non reddendæ, quod multi essent qui nobis controversiam facerent. Me igitur exspectare oportere dicebat, donec judicia facta essent: mihi vero necesse erat ea concedere, concessi. Post hæc mihi et Olympiodoro communiter, ut juraveramus, deliberantibus, qua ratione optime tutissimèque adversariis occurri posset, visum est, Judices, Olympiodorum totam sibi hæreditatem vendicare, me vero mihi semissem oportere: quandoquidem et Callippus

frater meus semissem duntaxat postularet. Postquam igitur apud prætorem omnibus controversiis perquisitis, jam in judicio contendendum erat, prorsus imparati eramus ad causam statim dicendam, ego et Olympiodorus, propterea quod multi adversarii subito nos oppresserant: quantum autem res ferebant communiter deliberabamus, si qua in præsentia mora produci rebus posset, ut nos per otium ad judicium pararemus. Inter hæc vos fortefortuna et divino quodam fato impulsi ab oratoribus decernebatis exercitum in Acarnaniam mittendum; oportebat igitur inter cæteros etiam Olympiodorum militare. Obtulerat ergo sese pulcherrima, ut putabamus, dilationis occasio, publice isto absente et militante. Cum vero prætor jussu legis omnes adversarios in forum citaret, juravimus nos Olympiodorum publice abesse militantem: quo jurejurando de isto dato, vicissim jurarunt adversarii, et Olympiodorum calumniando, cum post nos dicerent, judicibus persuaserunt ut decernerent, e j u d i c i i c a u s a a b e s s e i s t u m n o n p u b l i c o n o m i n e . Quod cum judices decrevissent, prætor Pythodorus Olympiodori postulationem ex lege abolevit: qua abolita, mihi quoque necesse fuit desistere ab instituta in semissem hæreditatis actione. His factis prætor adversariis nostris Cononis hæreditatem addixit: sic enim facere legibus cogebatur. Qua evicta judicio, mox in Piræum egressi, acceperunt omnia quæ uterque nostrum pro sua portione habuerat. Atque ego cum domi essem meam ipse tradidi, necesse enim erat parere legibus: Olympiodori vero absentis abstulerunt omnia præter pecuniam a servo extortam, neque enim illi habebant unde illam recuperarent. Hæc in absentia Olympiodori gesta sunt, et hos ego ex ejus societate fructus cepi. Reversus ab expeditione una cum aliis Olympiodorus, Judices, graviter et iniquo animo ea quæ gesta erant patiebatur, et inique secuni agi querebatur.

6. Cum autem jam explesset atque effudisset indignationem suam, denuo quærebamus communiterque deliberabamus, ego et Olympiodorus, quo pacto amissa recuperaremus. Tum nobis consultantibus visum est, ut eos qui hæreditatem sibi vendicarant judicio arcesseremus ex lege, atque eo rerum statu esse tutissimum ne ipsi una et conjunctis viribus cum adversariis experiremur, sed uterque seorsim: atque ut Olympiodorus totam hæreditatem postularet, ut prius etiam, et pro se ageret; ego vero semissem, cum frater etiam meus Callippus semissem duntaxat peteret. Ut, si Olympiodorus vinceret, ego e födere et jurejurando rursus ab isto partem acciperem: sin forte succumberet, ac aliud pronunciarent Judices, ut iste æquam a me partem reciperet, quemadmodum et jurejurando et pactione obstricti eramus. Hoc inito consilio, et ut tutissimo probato tum a me tum ab Olympiodoro, citati sunt

omnes ex lege qui Cononis bona obtinebant. Recita mihi legem, ex qua citatio facta est.

LEX.

Ex hac lege, Judices, citatio facta cst, et actiones institutæ prout Olympiodoro visum fuit. Postea prætor in omnes adversarios inquisivit; eaque inquisitione peraeta, eosdem in judicium introduxit. Cum autem Olympiodorus primus ageret, et quicquid erat libitum diceret, et testimonia proferret, prout ei consultum videbatur: ego, Judices, tacitus sedebam in altero subsellio. Ad hunc modum instructa et comparata aetione, iste facile vicit. Quo vietore, votorum omnium facti compotes in judicio sumus, recuperatis ab isto iis quæ adversarii a nobis abstulerant: quæ cum omnia una cum pecunia quam a servo extorserat teneret, nihil prorsus æqui præstare mihi voluit; sed ipse habet omnia, quamvis et fidem dederit et se ex æquo mecum omnino divisurum pepigerit. Quæ pacta etiamnum apud Androclidem sita sunt, qui apud vos ipse testimonium dixit. Sed et de cæteris quæ dixi omnibus testimonia proferam, ac primum de illo quod ab initio gestum est, cum ego et iste nostropte judicio et sententia partiti fuimus ex æquo, quicquid manifestarum faecultatum Conon reliquisset. Primum hoc cape testimonium, deinde omnia legit.

TESTIMONIUM.

Cape et provocationem, qua eum provocavi de nummis, quos ab homine illo per quæstiones extorserat.

PROVOCATIO.

Lege et alterum testimonium, quo declaratur adversarios nostros, eum hæreditatem obtinuissent, abstulisse omnia quæ nos habueramus, præter pecuniam quam Olympiodorus ab homine illo per quæstiones extorserat.

TESTIMONIUM.

Quemadmodum igitur, Judices, manifestas Cononis faecultates ego et Olympiodorus diviserimus, ex oratione nostra et e testimoniis audivistis, illud item eognovistis, istum peeuniam ab homine illo, servum dieo, accepisse, et adversarios quæcunque nos tenueramus oeeupasse, donec iste rursus vicit in judieio: quid vero prætextat, cur mihi nihil reddere neque æqui quiequam præstare velit, his

nunc attendite animos, Judices, ne vos statim decipient oratores, quos iste contra me subornavit.

7. Nunquam sane iste sibi in verbis constat, sed semper quicquid in mentem inciderit dicit; atque passim causas absurdas nescio quas et suspiciones ac criminaciones falsas contra me comminiscitur; et in tota re homo injurius est. Plurimi enim audierunt, cum se illam ab homine pecuniam accepisse negaret. Quod cum revincitur, ait se a suo servo habere pecuniam, neque mihi vel de illa vel de relictis a Conone bonis quicquam impertiri velle. Si quis autem eum familiarium et suorum et meorum rogat, quamobrem redditurus non sit, cum jurarit se ex æquo tecum divisum, et paeta etiam nunc in medio sint? Pacta esse violata ait a me, se magnis a me injuriis affectum, neque me unquam adversari sibi tum dicendo tum agendo distisset. Ac prætextus quidem illius hic sunt. Quæ autem dicit, Judices, nihil nisi commentitiae sunt suspiciones et causæ et injustæ improbitates, ad fraudanda ea quæ mihi reddenda sunt comparatae: in iis vero quæ ego adversus istius mendacia dicam omnibus suspicio nulla erit, ejus enim impudentiam aperte demonstrabo, proferendis signis veris et nemini ignotis, et testibus de omnibus rebus producendis.

8. Primum igitur, Judices, aio, eum cognatis et familiaribus suis et meis, rerum omnium ut ea sese habeant probe gnaris quique ab initio semper interfuerunt, arbitrium propterea deferre noluisse, quod certo sciret, se statim e vestigio ab eis fore coargendum, si quid mentiretur: nunc fortasse putat, se apud vos mentientem non deprehensum iri. Rursus dico, non esse consentaneum, me tibi, Olympiodore, adversatum esse, et communiter una tecum sumptus fecisse quoties necesse fuit, atque ultro ab actione destitisse te absente, cum et tua sublata esset, propterea quod ejus abesse judicii causa non publico nomine videreris. Licebat enim mihi in semissim hæreditatis agere: neque mortalium quisquam adversabatur, et ipsi id adversarii concedebant. Sed eo facto, statim pejerassem: juraram enim et pepigeram tecum, nos omnia communi consilio acturos quæcumque mihi et tibi consultantibus optima facta videbentur. Proinde plusquam nugatoriæ sunt cavillationes et causæ, propter quas te nihil æqui mihi præstiturum profiteris.

9. Numquid etiam existimas me permissurum tibi fuisse, Olympiodore, in postremo de hæreditate judicio, aut, ut ea quæ apud judices dicebas, ita temere diceres, aut, quarum rerum testimonia proferebas, ut ita temere proferres, nisi collusissim tecum et a te stetissem? Nam iste, Judices, cum alia quæ bona ei erant atque commoda dicebat, tum illo etiam abusus est, me domum, quam pro mea portione acceperam, a se conduxisse: et mille drachmarum, semissim de servili pecunia, a se fuisse mutuatuin: neque hoc

solum dicebat, sed iis de rebus testimonia proferebat. Quorum ego nihil refelli: neque ex me quisquam mortalium vocem audivit, isto causam agente, vel parvam vel magnam, sed vera esse omnia, quæcumque isti dicere libitum fuerat, sum fassus. Conjunctam enim tecum causam habebam, prout mihi et tibi visum fuerat. Quod si ea, quæ dico, vera non sunt, cur ego testes qui tum illa dixerant non coargui? cur me non commovi? aut quamobrem tu, Olympiodore, nunquam me in jus vocasti de censu ædium, quas te mihi, ut tuas, locasse profitebaris? aut de nummis, quos apud judices te mihi dedisse mutuo dicebas? Horum fecisti nihil. Quo pacto igitur quisquam evidentius mendacii convincetur, et ipse pugnare secum, et ea causari quæ nunquam facta sunt, ostendetur?

10. Quod vero est omnium maximum, Judices, quoque cognoscetis quam injustus et avarus homo sit. Decuit, si quid eorum quæ dicit verum esset, prius illum ista dixisse et ante factum judicium ostendisse, judicum animos periclitantem quidnam pronunciaturi essent; multisque testibus adhibitis, petere ut pactio apud Androclidem sita tolleretur, ut quam ego violarem qui ei adversarer; et tanquam pactione inter me et se sublata, Androclidæ a quo ea asservatur denunciare, sibi jam nihil esse rei cum illa. Hæc facta esse oportuit, Judices, si quid eorum quæ dicit verum esset; oportuit et solum accessisse ad Androclidem ac testificari, et cum testibus multis, ut multos haberet conscos: eum vero nihil unquam horum fecisse, ipsius Androclidæ, apud quem pactio sita est, testimonio intelligitis. Lege testimonium.

TESTIMONIUM.

11. Jam aliud ejus facinus, Judices, considerate. Ego istum provocavi et petii ut me ad Androclidem sequeretur, apud quem pactio sita esset, quo eam communiter exscriptam denuo obsignaremus, et exempla in echinum conjiceremus; ut ne ulla esset suspicio, sed ut vos rebus omnibus ita ut rectum et æquum est auditis, id decerneretis, quod vobis justissimum videretur. Hoc me provocante, nihil horum facere voluit: sed in illud studuit, ut ne vos e communibus literis pactionem audire possetis. Hanc provocacionem esse a me factam uti constet, eorum testimonium vobis recitabitur, coram quibus ipsa provocatio facta est. Lege testimonium.

TESTIMONIUM.

Qua ratione magis ostendi posset, hominem nihil æqui præstare mihi habere in animo; sed putare se iis me fraudaturum quæ me recepisse oportuit: qui quidem prætextus afferat et criminationes

confingat, pactionem autem, quam violasse me dicit, a vobis audiri oportere non opinetur? Ego vero tum coram iis testibus qui aderant eum provocavi; et nunc etiam coram vobis judicibus rursus provoco, et peto ut is permittat, ut ego permitto, aperiri hic in iudicio pactionem, et recitari vobis et rursus obsignari coram vobis. Androclides autem hic adest: ego enim ei denunciavi ut adesset pactione secum hoc allata. Et permitto, Judices, ut ea vel in mea vel in ipsius oratione, sive in priore sive in posteriore, aperiatur. Nihil enim mea interest: sed vos audire volo pactionem et jusjurandum quod mutuo dedimus, ego et Olympiodorus. Quod si concedit, fiat ita, et vos audite si isti videbitur: sin hoc facere noluerit, nonne jam palam erit, Judices, eum omnium hominum esse impudentissimum? neque ullum ejus verbum porro quicquam apud vos auctoritatis habere oportere?

13. Sed quid magnopere contendo? Neque enim ipse ignorat, mihi a se fieri injuriam, fieri et diis immortalibus, quorum numen juravit et pejeravit: emotæ mentis est, Judices, et desipit. Invitus equidem facio atque erubesco dicere apud vos, Judices, id quod dicturus sum, sed cogor eloqui, ut vos, pronunciandi auctoritate prædicti, omnibus auditis de nobis id quod optimum factu videbitur statutatis. Eorum vero quæ dicam iste auctor est, qui apud cognatos his de rebus mecum transigere non vult, sed impudenter negat. Olympiodorus, Judices, mulierem civem legibus vestris nunquam duxit, ac ei liberi neque sunt neque nati fuerunt: sed scortum domi redemptum habet. Illud est quod nos omnes exagitet, et istum ad majorem insaniam impellat. An vero non insanit is qui, quæ promisit et pepigit volens cum volente et jurejurando confirmavit, eorum nihil quicquam præstandum censem? me præsertim non de meipso duntaxat sollicito, sed et de istius sorore germana et uterina, quam ego in matrimonio habeo, et de istius nepte, mea filiola. Hæ enim sunt quibus non minor sit quam mihi injuria, sed major etiam. Nonne autem injuria eis fit, et inique cum eis agitur, cum videant istius meretricem ultra quam sat est et decet multum habere auri et vestem splendidam, et splendidè atque insolenter prodire in publicum, et de nostro superbire, se vero in his rebus omnibus esse tenuiores? Nonne illis major fit quam mihi injuria? Nonne vero iste aperte insanit et delirat, qui ita in semetipsum consulat? Ne vero dicat, Judices, per calumniam hæc a me dici, hujus iudicij causa, testimonium vobis recitabitur cognitorum istius et meorum.

TESTIMONIUM.

Olympiodorus igitur talis homo est, non modo injurius, sed qui etiam insanire videatur omnibus cognatis et familiaribus, eo vitæ

instituto: et, quod Solon etiam legislator dixit, ita delirans, ut nemo unquam mortalium deliravit, qui mulieri meretrici pareat. Atque ea omnia irrita esse constituit idem Solon, quæ quis mulieri parens agat, præsertim tali.

14. Et hæc probe curavit legislator: ego vero vos oro, neque ego solum, sed et uxor mea, Olympiodori soror, et filia mea, Olympiodori neptis, supplicamus vobis et obtestamur, Judices, omnes nos—putate enim illas adesse—in primis ut Olympiodoro persuadeatis ne injuria nos afficiat: sin parere vobis noluerit, uti vos memores eorum quæ diximus omnium id statuatis, quod vobis videbitur optimum et justissimum esse. Quæ si feceritis, et justa decernetis et utilia nobis omnibus, in primis autem ipsi Olympiodoro.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS TIMOTHEUM.

A TIMOTHEO Athenensi, viro claro et imperatoria dignitate prædito, Apollodorus æs alienum repetit, dicens, Pasionis usum amicilia Timothenm ab eo pecuniam accepisse, et debitorem in mensariis rationibus esse inscriptum. Debita autem omnino quatuor numerantur: atque in singulis et tempora, et causæ quare mutuatus sit Timotheus, accurate exponuntur. Et pleraque argumenta ex iis quæ nulla arte constare dicuntur probationibus, ut testimonij, ut provocationibus, deponuntur: quædam etiam ex artificiosis, ut conjecturis. Atque Apollodorus Timotheum esse ait qui mutuatus sit, et iis quos Timotheus commendarit datum esse argentum a mensa: ille vero non se, sed illos debere dicit.

DEMOSTHENIS ADVERSUS TIMOTHEUM

DE ÆRE ALIENO ORATIO.

I. NEMINI vestrum incredibile sit, Judices, Timotheum, ut qui patri meo pecuniam debeat, reum fieri nunc a me in hoc judicio. Nam si vobis in memoriam revocaro et tempus quo contractus factus est, et ea quæ illi eo tempore acciderunt, et quanta ille tum penuria conflictatus fuerit, patrem meum optimi viri officio functum erga Timotheum profecto existimabis: istum vero non modo ingratum esse, verum etiam injustissimum omnium mortalium, qui, cum et a patre quæ voluit omnia consecutus sit, et in magna egestate ac maximis vitæ periculis pecunias de mensa acceperit, non modo gratiam non referat, sed eo etiam quod datum ei est me fraudet. Quod si iste impegisset, patri quoque pecunia periisset—neque enim ad pignus neque præsentibus testibus dederat—, sine evasisset, in istius potestate futurum erat, comparata pecunia an nobis satisfaceret. Sed tamen, Judices, obsequi Timotheo roganti et penuria laboranti pater meus, quam pecuniariis rationibus consulere, maluit. Putabat enim, Judices, pater meus, si Timotheus illa pericula evaderet et redisset a rege, locupletiore isto facto quam tum erat, non modo sua se recepturum, sed si quid aliud etiam a Timotheo petiisset impetraturum: posteaquam vero non ita ut ille putabat evenit, sed quæ in beneficii loco accepit Timotheus a mensa, rogato patre meo, ea inimice et per judicium, illo mortuo, si convincatur reddenda esse censem, sin vobis persuadere possit,

oratione deceptis, se nihil debere, nos pecuniis fraudandos—necessarium mihi videtur esse ut ab initio vobis omnia commemorem, et quæ debentur, et quam ad rem pecunia singulatim sit usus, et tempora quibus contractus factus est. Neque vero nos ea certo scire quisquam vestrum miretur: mensarii enim commentarios conficere solent tum earum pecuniarum quas ipsi dant, et quem in usum, tum earum quæ apud ipsos deponuntur, ut sibi nota sint expensa et accepta in rationibus referendis.

2. Socratide prætore, mense Martio, altera navigatione profectus Timotheus, et jam soluturus e Piræo, cum ampliore pecunia indigeret, accessit ad patrem meum in portu et mutuare jussit drachmas mille trecentas quinquaginta unam, duos obolos (tantum enim sibi opus esse aiebat), et dare Antimacho quæstori suo, qui tum istius omnia curabat. Atque is quidem qui pecuniam a patre meo mutuaretur Timotheus erat, quique juberet Antimacho quæstori suo dari: qui vero illam de mensa a Phormione acciperet, Autonomus, qui omni tempore Antimacho scriptitabat. Data igitur ea pecunia, debitorem inscripsit eum qui mutuare jusserat, Timotheum: in commentarium etiam retulit, cui dare iste jusserat, Antimachum, et quem Antimachus miserat ad mensam ut eandem acciperet, Autonomum, mille trecentas drachmas quinquaginta unam et duos obolos.

3. Primum igitur debitum, quod hinc solvens secundum imperator accepit, tantum fuit. Cum vero vestro suffragio improbaretur quod Peloponnesum classe non abiisset: et ad causam apud populum dicendum vocaretur, maximo crimine reus: et eum Callistratus atque Iphicrates, viri et rebus gestis et eloquentia præstantes, oppugnarent; ita illi vos et ipsi et eorum advocati accusando commoverunt, ut Antimachum, quæstorem ejus et intimum, facto pro concione judicio occideretis, bonis etiam ejus publicatis; ipsum vero istum deprecantibus familiaribus et cognatis ejus omnibus, superque Alceta et Iasone, sociis vestris, vix absolveretis, sed tamen imperium ei abrogaretis. Cum igitur talibus criminibus tanta inopia urgeretur—nam et facultates ejus omnes obæratae erant et libellis appositis ab aliis tenebantur, ager enim in planicie pignori oppositus erat Eumelidae filio, et sexaginta trierarchis qui cum eo navigarant septenis minis in singulos, quas eos iste ad alendos nautas dilargiri coegerat, oppigneratae erant reliquæ ejus opes: quia vero populi suffragiis rejectus, septenas illas minas in rationibus referendis expensas tulcerat nautis de militari pecunia, tum veritus, ne in se præfecti triremium testimonium dicerent atque ipse mendacii convinceretur, mutuo sumit a singulis septenas illas minas oppignerata eis re sua familiari, quibus nunc eos revulsis libellis fraudat: undique igitur circumventus, et in periculo vitæ maximo

constitutus erat, propterea quod talia reipublicæ tempora incidenterant, ut et exercitus Calaurianus propter stipendia non soluta dilaberetur, et socii Peloponneses a Lacedæmoniis obsiderentur; jam Iphicrates et Callistratus istum ut auctorem eorum malorum criminabantur, ad hæc qui ab exercitu veniebant in concionem nunciabant urgentem penuriam et difficultates, partim etiam per literas quisque certior fiebat a cognatis et familiaribus quomodo cum eis ageretur: quæ dum vos publice audiretis, recordamini quo pacto in eum affecti fueritis, nec enim ignoratis ea quæ dico.—cum igitur ad judicium huc venturus esset, in Calauria mille drachmas ab Antiphane Lampensi, qui eo appellebat quæstor Philippi navicularii, mutuatur, quas distribueret inter Bœotios trierarchos, quo exspectarent dum judicium de se factum esset, neve, Bœotiis triremibus abductis et militibus prius dilapsis, sibi vos gravius irasceremini. Cives enim mala perferebant æquis animis, et perdurabant: Bœoti autem negabant se mansuros, nisi quotidiana daretur alimonia. Tum igitur coactus eas mille drachmas ab Antiphane, qui appellebat quæstor Philippi navicularii, mutuo sumit, et Bœotio navium ducidat. Ut autem huc venerat, tam Philippus quam Antiphanes eas mille drachmas, quas ei mutuarant in Calauria, ab eo reposcebant, moram ægre ferentes. Iste vero inimicos suos metuens, ne resciscerent, quas mille drachmas in referendis rationibus de militari pecunia Bœotiis navibus expensas tulisset, Philippum creditorem fraudari, simul etiam Philippum veritus, ne in se testimonium diceret in judicio, patrem meum adit, ut Philippum absolvat sibique illas mille drachmas mutuetur orat, quas Philippo redderet. Pater meus cum videret et quanto in discrimine versaretur iste et quanta pecunia laboraret, simul etiam misertus ejus, adducto eo ad mensam, Phormionem qui ad mensam sedebat mille drachmas Philippo numerare jussit, et debitorem Timotheum inscribere.

4. Hæc vere a me dici ut constet, Phormionem vobis testem qui pecuniam dedit adducam, ubi et de alio contractu vobis disse ruero, ut eodem testimonio, universo ære alieno cognito, videatis me vera loqui. Vocabo vobis etiam Antiphanem, qui mille illas drachmas Calaurianas isti credidit, quique affuit cum Philippus hic a patre meo nummos reciperet. Quo minus enim ejus testimonium apud arbitrum proferrem fallacia factum est, qui se quovis mihi tempore, quo de causa pronunciandum esset, testimonium dicturum polliceretur. Cum autem arbitrium fieret, domo accersitus—non enim se stiterat—testimonium deseruit ut isti gratificaretur. Ego vero cum numerossem contra eum destituti testimonii nomine drachmam, ut lege jubetur, arbiter sententiam damnatoriam non tulit, sed abiit absoluto isto, cum jam vespera esset. Nunc in Antiphanem dati damni peculiarem actionem institui, quod mihi

nec testimonium dixit neque secundum legem ejuravit. Et postulo ut adscendat et juratus coram vobis dicat, primum, an in Calauria Timotheo mille drachmas mutuarit: deinde, an Philippus easdem hic a patre meo receperit. Atque adeo parum absuit, quin iste ipse apud arbitrum confiteretur reddidisse patrem meum Philippo mille drachmas. Sed eas tamen non sibi mutuo fuisse datas aiebat, sed Bœotio navarcho, qui pro iis æs oppignerasset. In quo eum non dixisse verum, sed cum ipse mutuatus sit fraudare, ego vos docebo, ubi et reliquum æs alienum singulatim vobis exposuero.

5. Nam cum Alcetas et Iason ad istum Septembri mense, Astio prætore, ad judicium illud ei patrocinaturi venissent et in ejus ædes in Piræo quæ sunt in Equidomitorio sub crepusculum fere divertissent, neque ipse eos excipere pro dignitate posset, misso ad patrem meum Æschrione pedissequo suo, petere jussit stragula, vestem, phalias argenteas duas, et minam argenti mutuam. Pater vero meus cum ex Æschrione, ejus famulo, audisset, et qui venissent, et quem ad usum peterentur, et qua de causa illi venissent, accommodat, et minam argenti quam petebat mutuat. Post criminis liberatus magna jam pecuniæ inopia laborabat, cum ad domesticos usus tum ad publica tributa. Quod quia pater meus videbat, non statim ab ipso repetere argentum audebat: neque enim vel istum si rem haberet fraudaturum, vel si non haberet, se ab eo redacturum, putabat. Posteaquam autem Alcetas et Iason recesserant, stragula quidem et vestes retulit Æschrion, istius pedissequus: phalias duas non retulit, quas tum peticrat, cum et stragula, et minam argenti mutuatus esset, Alceta atque Iasone apud ipsum diversantibus.

6. Profecturus porro ad regem Persarum, cum perfecisset ut abire sibi liceret, eique exercitum ducturus in bello Ægyptiaco, ut ne rationes reddere cogeretur hic neve de gesto hic imperio accusaretur, patrem meum ad paralium accersitum, cum ob prius in se eollata beneficia collaudabat et rogabat, commendato Philonda, viro genere Megarensi, inquilino Athenensi, isti autem fideli et eo tempore inservienti, si venisset e Macedonia Philondas—quem iste patri meo commendabat—advectis lignis quæ data sibi ab Amynta essent, ut naulum lignorum suppeditaret, et ea ligna ad ædes suas in Piræo vehi pateretur: sua enim esse ligna. Unaque cum petitione orationem habebat, cum qua facta ejus nunc haud consentiunt. Aiebat enim, tametsi non impetrata ferret quæ peteret, se non ægre laturum, ut alius faceret impos voti factus: sed pro iis quæ sibi petenti concessisset, si quando posset, gratiam relaturum. Ea oratione pater delectatus, c. istum laudavit, quod acceptorum benefiorum meminisset, et quicquid petiisset facturum se promisit. Post hæc solvit iste ad duces regis profecturus: Philondas autem,

quem patri iste meo commendarat ad nauum solvendum, si lignis advectis advenisset, in Macedoniam iter facit. Hæc tempora fuerunt circa mensem Aprilem Astio prætore. Anno sequente reversus Philondas e Macedonia, lignis advectis,—dum iste apud regem Persarum peregre abesset,—ad patrem meum accedit et nauum lignorum præbere, ut naviculario satisficeret, jubet, quemadmodum iste patrem abiturus rogarat, et Philondam commendarat, eo pater ad mensam adducto Phormionem nauum lignorum mille septingentas quinquaginta drachmas jubet solvere. Numerat pecuniam Phormio: debitorem Timotheum inscrit—*is enim rogarat patrem ut nauum lignorum præberet, et hujus quoque ligna erant*, notitiae loco porro adscribit et usum, in quem accepta fuerat pecunia, et nomen ejus qui accepisset. Et hoc factum est Alcisthene prætore, altero anno quam iste ad regem abierat.

7. Sub idem porro tempus et Timosthenes Ægialensis venit, privatæ negotiationis causa huc profectus: qui cum esset familiaris Phormioni et socius, solvens hinc, servandas Phormioni cum alia pecunia dederat etiam phialas Lycii operis duas. Forte fortuna autem puer eas ipsas phialas, ignarus esse alienas, Æschrioni famulo istius dederat, cum *is* ad patrem meum missus esset ab isto stracula, vestes et phialas petitum, et minam argenti quam mutatus erat, cum ad eum Alcetas et Iason venissent. Repetente autem Timosthene phialas a Phormione, cum redisset,—absente Timotheo apud regem,—agit cum eo pater meus ut pretium philarum reciparet, quantum phialæ penderent, drachmas ducentas triginta septem. Ac Timostheni pretium reddit philarum: istum vero ad reliquum æs alienum, quod iste debebat, ejus etiam pecuniæ, quam Timostheni pro phialis numerarat, debitorem inscrit. Quæ omnia vere a me dici ut constet, testimonia vobis recitabuntur, primum eorum qui pecuniam iis dederunt, quibus iste jusserat, a mensa, quique tum ad mensam sederunt: deinde ejus qui pretium philarum recepit.

TESTIMONIA.

Me igitur ea quæ ad vos dixi non dixisse falso, ex recitatione testimoniorum audivistis: istum porro ipsum apud me confessum ligna advecta a Philonda in ædes suas in Piræeo esse perlatas ut appearat, ejus rei testimonium vobis legetur.

TESTIMONIUM.

Istius igitur fuisse ligna, quæ Philondas vexit, et ipse mihi testificatus est: fatebatur enim apud arbitrum ea in suas ædes in Piræeo esse deportata, ut vobis testificati ii sunt qui audierant.

8. Etiam argumentis docere vos conabor ea quæ dico vera esse. Putatis enim, Judices, patrem meum, nisi Timothei fuissent ligna, et iste eum rogasset, commendato Philonda, cum ad duces regis solveret, soluturum fuisse naulum, aut permissurum unquam, cum ei pro naulo ligna oppignerata essent, ut ea Philondas e portu asportaret, ac non potius servum aliquem adhibitum qui custodiret, et pretium reciperet venditorum lignorum, donec sibi satisfactum esset, si Philondæ fuissent, et causa negotiationis advecta? Jam cui vestrum verisimile fit, nisi jussisset iste solvere naulum lignorum quæ ab Amynta ei data fuerant, crediturum fuisse Philondæ, et passurum ut e portu in ædes istius illa veheret? aut qui fieri potest ut Philondas negotiationis causa ligna vexerit, ut iste inquit, cum ipse reversus illis lignis ad suam ædificationem fuerit abusus? Illud etiam considerate, multos cives et bonos viros isti familiares ejus negotia curasse, absente apud regem Timotheo. Quorum nullus pro testimonio dicere ausus fuit, vel, non accepisse Philondam naulum a mensa, vel, acceptum reddidisse, vel etiam ipsorum aliquem naulum dissolvisse de lignis quæ Philondas vexit, datis isti ab Amynta. Pluris enim faciunt existimationem et fidem suam, quam ut falsis testimoniis dicendis Timotheo gratificantur. Neque tamen se verum etiam testimonium in eum dicturos esse, propter familiaritatem ejus, affirmarunt. Cum igitur nemo familiarium testificari ausus fuerit, et procuratorum ejus, dum apud regem abfuit, vel non accepisse naulum lignorum Philondam a mensa, vel ipsorum aliquem dissolvisse: an non existimare debetis me vera loqui? Ac ne illud quidem dicere audebit, alium quemquam dissolvisse naulum de lignis quæ vexit Philondas, quam patrem meum. Sin verbis abutetur, postulate ut testimonium ejus exhibeat qui naulum solverit de lignis. In confesso enim est ipsum abfuisse apud regem, Philondam autem, quem propter ligna miserat et patri meo commendarat, invenisse mortuum, cum a rege reversus esset. Necesse igitur est aliorum cognatorum aut familiarium aliquem, quibus abiturus curam rerum suarum mandarat, scire, unde comparato naulo lignorum Philondas naviculario satisficerit, si se eum patri commendasse, et accepisse Philondam a patre meo naulum lignorum negat. Nullius ergo testimonium proferre potes familiarium tuorum, de non accepto, te absente, naulo lignorum de mensa, sed alterutrum necesse est, te aut nullo uti familiarium neque fidem habere ulli tuorum, aut, cum satis scias Philondam accepisse naulum lignorum a patre meo, quemadmodum eum commendaras, cum hinc solveres, existimare nobis, si possis, fraudandis, tuis rationibus et compendio per injuriam consulendum. Ego vero, Judices, præter testimonium quod vobis exhibui, eorum qui se iis dedisse argentum, quibus iste jussit, dicunt, quique ad mensam tum

sederunt, etiam jusjurandum pollicitus sum Timotheo, quod legetur vobis.

JUSJURANDUM.

Neque vero, Judices, in scriptis solum pater mihi debita reliquit, sed decumbens etiam dixit, quid sibi deberetur singulatim, et a quo, et quem in usum accepti essent nummi, fratre præsente. Hæc a me vere dici ut appareat, lege mihi fratri testimonium.

TESTIMONIUM.

Ac Timotheum eam pecuniam, quam ab eo postulo, patri meo debuisse, eamque meæ portionis fuisse, et frater testificatus est, et Phormio qui illam numeravit, et ego jusjurandum ei dare volui.

9. Quum vero iste apud arbitrum provocasset, et afferri tabulas a mensa juberet, et exemplum postularer, missò Phrasicride ad mensam : iis prolatis, Phrasicridæ et quærenda et exscribenda dedi ea quæ iste deberet. Confessum autem fuisse se exemplum accepisse ut constet, lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

Allatis igitur a me literis ad arbitrum, Phormio et Euphræus, qui pecuniam quibus iste jusserrat curarant, præsentes, conveniebant eum, et quibus singula temporibus mutuatus esset, et quem ad usum accepisset, et quas ad res abusus esset. Iste vero mille trecentas quinquaginta unam et duos obolos, quæ primum mutuatus fuit mense Martio, oram soluturus Socratide prætore, quæque Antimacho quæstori suo dari jusserrat, privatim mutuasse dicebat patrem meum Antimacho, non se accepisse. Ac vera quidem se dicere nullo teste ostendit: sed verbis abutitur, ut ne ipse fraudare, sed Antimachus mutuatus esse videatur. Ego vero, Judices, magnum vobis argumentum dicam, unde appareat, non Antimacho mutuatum esse patrem illam pecuniam, sed Timotheo jamjam soluturo. Utrum enim facilius futurum putatis patri, publicatis Antimachi bonis, asserere sibi ab eo deberi, si Antimacho mutuasset, an exspectare dum eandem ab isto locupletato reciperet, qui ipse illo tempore spem de salute sua perexiguam habebat? Enimvero si postulasset, non defuisset unde ex sposo ageret, neque ei fides fuisset a vobis abrogata. Scitis enim omnes patrem meum publica non injuste concupisse, sed de suo vobis, quoties juberetis, alacriter erogasse: deinde familiaris ei fuit Callistratus, qui Antimachi bona publicavit, neque ei adversatus esset. Quid sibi voluisset igitur pater, ut Timotheum potius debitorem nobis inscriptum relinqueret, nisi is debuisset, quam ut e publicatis Antimachi bonis postularet atque reciperet?

10. De mille autem drachmis, quas mutuo sumpsit ab Antiphane in Calauria, ut inter Bœotios trierarchos distribueret, huc venturus ad judicium, quas etiam reddidit Philippo naviculario, hic acceptas a patre meo, Bœotium navarchum ait fuisse mutuatum, et pro ea pecunia patri meo æs oppignerasse. Eum autem non verum dicere, magno vobis argumento demonstrabo. Primum constat istum in Calauria esse mutuatum illas mille drachmas, et non Bœotium navarchum : deinde Philippum hic ab isto repetiisse mille drachmas, et non a Bœotio navarcho; et reddidisse istum, non Bœotium navarchum. Par enim erat Bœotium præfectum ab isto alimoniam in naves accipere : de communibus enim tributis exercitui stipendia solvebantur. Pecuniam vero tu omnem a sociis redegeras; et tibi ipsi rationes refereundæ erant. Jam Bœotiis navibus reversis, et militibus dilapsis, Bœotio præfecto nihil ab Atheniensibus periculi fuisset, neque is ullum in judicium vocatus fuisset : tibi vero ingens discrimen inferebatur; qui metu æstuans in Bœotiarum triremium permansiōne, donec judicium de te fieret, collocabas. Deinde quamnam ob amicitiam pater Bœotio navarcho mille drachmas mutuasset, quem non norat? At oppignerasse eum ait æs. Quantum tandem, aut cujusmodi, aut unde allatum illud æs Bœotio navarcho? Utrum ex negotiatione, an a captivis acceptum? Jam qui fuere qui æs attulerunt ad patrem meum? Utrum mercenarii, an servi? aut quis nostrorum servitorum id accepit? Oportuit enim, si servi attulissent, eos qui attulissent dedere : sin mercenarii, eum e nostro famulitio, qui accepisset æs et expendisset, exposcere. Neque enim profecto vel is qui oppignerabat absque pondere traditus, vel pater meus ipse id vel gestatus vel ponderatus fuit : sed famuli ei fuerunt, qui mutuo datae pecuniæ pignora acciperent. Demiror ego etiam, quamnam ob causam Bœotius navarchus æs illud patri meo oppigneratus fuisset, cum Philippo mille drachmas deberet. Utrum quod Philippus invitus facturus erat ut usuram acciperet, si nummos in tuto collocasset, et ad pignus? an quod pecunia Philippo non fuit? Proinde quid erat cur Bœotius ille navarchus a patre meo mutuum oraret, quod Philippo redderet potius, quam huic ipsi æs oppigneraret? Sed neque æs oppigneratum fuit, Judices, neque mutuatus est Bœotius navarchus mille drachmas a patre meo, sed Timotheus magna egestate pressus: quem vero in usum converterit argentum, dixi vobis. Tantum autem abest ut gratiam referat pro credita et accepta a patre meo pecunia, ut sorte etiam, si possit, fraudandum censeat.

11. De phialis porro, et argenti mina quam a patre meo est mutuatus, pedissequo suo Æschriō ad patrem meum noctu missō, eum apud arbitrum rogabam, an adhuc servus esset suus Æschriō, et ut ex cute illius veritas exsculperetur postulabam. Qui cum re-

spondisset, eum esse liberum, a postulatione destiti: testimonium autem petii ut proferret Æschrionis tanquam liberi. Sed iste neque testimonium exhibuit, neque Æschrionem pro servo tradidit, quo veritas ex ejus corpore exquireretur, metuebat scilicet si ejus testimonium ut liberi exhibuisset, ne ego falsi testimonii Æschrione convicto, se ob malas artes ut lege permissum est accusarem: sin eundem in quæstionem dedisset, ne veritatem eloqueretur. Atqui honestum ei fuisse, si reliquæ pecuniae acceptæ producere testes potuisset, illud saltem per Æschrionem probare, non acceptas fuisse phialas aut minam argenti, neque missum fuisse illum ad patrem meum; atque eo argumento probare vobis, me etiam reliqua de quibus accusem ementiri, quando is, quem dicam, ejus famulum, phialas et argenti minam accepisse, is quæstionibus habitis non accepisse comperiatur. Quod si firmum isti fuisse argumentum apud vos deditio Æschrionis, quem ab isto missum fuisse affirmo, et accepisse phialas a patre meo, et argenti minam esse mutuatum, idem et mihi sit argumentum apud vos, veræ accusationis meæ conscientium istum, tradere Æschrione non audere.

12. Defensionis autem loco illud afferet, in mensariis rationibus Alcisthene prætore scriptum esse se in naulum lignorum accepisse, et pretium philarum quas Timostheni pater pro isto solvit: cum eo tempore non domi, sed apud regem Persarum fuerit. De hoc igitur perspicue vos docebo, ut certo sciatis quo pacto se habeant mensariæ literæ. Nam iste mense Aprili, Astio prætore, profecturus ad regem, commendavit Philondam patri meo: sequenti anno Alcisthene prætore, Philondas, ligna vehens e Macedonia, reversus naulum lignorum accepit a patre meo, isto apud regem absente. Cum igitur a mensa pecuniā darent, istum debitorem inscriperunt, non cum præsens adhuc patri meo Philondam commendasset. Quando enim commendarat, ligna nondum aderant, sed propter ea Philondas iter suspecturus erat: qui cum advectis lignis rediret, iste peregre abfuit, Philondas autem accepit naulum lignorum, quemadmodum iste jussерat, et in istius ædes in Piræo ligna vecta sunt. Iustum autem non pecuniosum hinc profectum esse, et vos ipsi, quibus ejus opes oppigneratæ fuerunt, scitis, quos nunc defraudat: ut autem cognoscatis, eum etiam sine pignoribus debuisse quibusdam civibus, cum nihil haberet oppignerandum quod alicujus momenti esset, lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

13. De phialis autem, quas Septembri mense Æschrio pedisse-
quus istius Astio prætore petit, cum iste domi esset, et hospitio
Alacetam et Iasonem excepisset, isti ut debitori pretium inscriptum

est Alcisthene prætor ea de causa, quod interea relaturum eum quas petierat putavit pater : postquam autem iste discesserat, phialis non relatis, neque phialæ Timosthenis apud Phormionem sitæ erant, atque is adveniens eas repetebat, tum et pretium philarum Timostheni persolvit, et debitorem istum ad reliquum æs alienum inscrispsit. Quare, si hac defensione abutetur, se non fuisse domi temporibus illis, cum sibi pretium philarum expensum latum sit, sic ei respondete, Accepisti eas cum adesses : postquam vero non referebas—peregre enim aberas—, phialæ autem, quas creditor repetebat, non aderant, inscriptus es ejus pretii debitor, quod pro phialis est solutum.

14. At hercule fortasse dicat, debuisse patrem a se repetere phalias? Sed te videbat inopia premi. Et cum de cætero ære alieno fidem tibi haberet, et putaret se id a te reverso et locupl etato recepturum, de phialis tibi diffisus esset scilicet? Quum, præcantte te, cum ad regem proficereris, se naulum lignorum soluturum polliceretur : de phialis duabus fidem tibi non habuisset? quum reliquum debitum a te non reposceret, respectu inopie tuæ, phalias repoposcisset?

15. Jam vero vobis etiam de delato jurejurando dicam, quod et isti ego pollicitus sum, et iste mihi. Me enim jusjurandum in echinum conjiciente, postulabat et ipse dato jurejurando se liberari. Ego vero, nisi certo scissem eum et civitatibus et hominibus privatis ct/sæpe et magnis in rebus datam fefellisse fidem, detulisset ei sane id jusjurandum : nunc, cum testes mihi sint, accepisse argentum a mensa eos, quibus iste id dari jusserset, prætereaque illustria argumenta, non committendum videbatur, ut ei jusjurandum deferrem, qui jurisjurandi religione quid moveretur, quum nec ab aris ipsis præ avaritia manus abstinuerit? Ac multa singulatim referri possent, quibus in rebus temere pejerarit : quæ vero ejus perjuria et evidentissima et vobis etiam non ignota sunt, ea vobis in memoriam redigam. Meministis istum pro concione jurasse et imprecatum sibi interencionem, nisi Iphicratem peregrinitatis accusaret, et suas facultates consecrasse : quæ cum jurasset et pro concione promisisset, non longo tempore post, privatæ utilitatis causa, suam filiam illius filio despondit. Qui igitur neque vos veritus est pollicitando decipere, cum leges eum qui id fecerit publice capitris accusari jubeant, neque deos immortales, quorum invocato numine diris caput suum devovit quo minus pcjeraret, reformidavit, ei me noluisse deferre jusjurandum estne vitio vertendum? Neque etiam diu est, cum rursus pro concione juravit, sibi non satis esse facultatum ad sustentationem senectutis, cum tantas opes possideat. Adeo inexplebili et sordido est ingenio.

16. Ego vero e vobis querere velim, numquid irascamini men-

sariis qui conturbant. Si igitur illis jure irascamini, ut qui vos injuria afficiant, nonne æquum est ut iis qui vos nihil laedunt opitulemini? Atqui propter tales homines mensæ conturbantur, qui quum in egestate mutuentur, et propter auctoritatem fidem haberi sibi postulent: locupletati non reddit, sed fraudant.

17. Quarum igitur rerum testes vobis producere potui, ii mihi testimonium dixerunt: præterea etiam argumentis vobis ostendi, Timotheum debere patri meo. Vos igitur oro ut me juvetis ad ea redigenda, quæ pater mihi reliquit.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS POLYCLEM DE SUMPTIBUS FINITO NAVALIS PRÆFECTURÆ TEMPORE FACTIS.

APOLLODORUS Pasionis filius, cum in præfectura navalium præfinitum tempus strenue præclareque se gessisset, in eadem alio non parvo tempore perstitit, successore Polycle non statim ad navem profecto. Qui postquam venerat, cum navem non statim suscepisset, sed simulasset se collegam suum navalem exspectare, atque interim Apollodorus navi præfuisset, sumptus eo tempore a se factos a Polycle postulat.

DEMOSTHENIS ADVERSUS POLYCLEM ORATIO DE SUMPTIBUS FINITO NAVALIS PRÆFECTURÆ TEMPORE FACTIS.

1. TALIUM controversiarum, Judices, eos etiam qui controversiam cognituri sunt vel in primis rationem habere decet. Neque enim mea et Polyclis privata duntaxat hæc causa est, sed et communis civitatis. Quarum enim rerum ut privatæ sunt actiones, sic damna publica, eas nonne convenit auditas a vobis recte dijudicari? Nam si propter dissensionem de quopiam alio contractu Polyclem in vestrum judicium adduxisse, mea res et Polyclis ageretur: nunc de navalium successione verba fiunt et sumptibus spatio quinque mensium et sex dierum finito præfecturæ tempore factis, et de legibus, utrum eæ ratæ sint nec ne. Necessarium autem mihi esse videtur ab initio rem omnem apud vos exponere: quare per deos vos oro, Judices, ne me putetis nugas agere, si prolixius narravero sumptus et acta, quam et tempestive singula et reipub. utiliter administrata sint. Quod si quis mentiri me potest ostendere, surgat, atque in mea aqua coarguat, quicquid me falso apud vos dicere putarit. Sin vera erunt, et nemo mihi nisi iste contradicet, rem justam peto a vobis omnibus quicunque militantis atque illic affuistis, tum ut ipsi recordemini tum ut vestris assessoribus narretis studium meum et ea quæ reipublicæ illis temporibus acciderunt et rerum difficultates, quo inde cognoscatis, qualis ego sim in jussis vestris exsequendis: qui autem domi mansistis, tacite me ut audiatis apud

vos omnia commemorantem, atque in iis quæ dicam omnibus et senatuse consulta et plebiscita proferentem, et testimonia.

2. **xxiiii.** die Quintilis mensis, Molone prætore, concione convocata, cum multæ magnæque res nunciatæ vobis essent, decrevistis naves a trierarchis in portum trahendas: quorum e numero et ego fui. Ac quæ tum reipublicæ tempora fuerint id non mihi narrandum, sed vobis ipsis recordandum est, et Tenum ab Alexandro fuisse occupatam ac direptam; et Miltocythem a Coty defecisse, missis legatis, auxilia postulantem et Chersonesum restituentem; et Proconnesios, socios nostros, implorasse pro concione opem nostram, cum se a Cyzicenis terra marique bello premi dicerent, rogarrentque ne se perituros alioqui negligeremus; mercatores item ac navicularios e Ponto soluturos, Byzantiis, Calchedoniis et Cyzicenis propter frumenti penuriam naves exceptantibus; et vidisse vos in Piræeo frumenti pretium crescere nec magnam copiam venalem reperiri. Quæ cum vos ex eis tum pro concione audiretis et patronis eorum, trierarchos naves protrahere, ad vallum pervehere, et a senatoribus ac tribunis plebis delectus haberi municipum, nautas designari, classem quam primum ablegari, et singula in loca mitti auxilia jussistis. Atque id Aristophontis decretum vicit.

DECRETUM.

3. Decretum audivistis, Judices. Ego vero, cum mihi nautæ a municipibus delecti non nisi pauci iisque imbecilles venissent, eos quidem missos feci: et oppigneratis meis opibus, pecuniam mutatus, primus implevi navem, conductis nautis quam fieri poterat lectissimis, muneribus et congiariis datis singulis eorum magnis; præterea propriis armamentis totam navem instruxi, neque e publico quicquam accepi, et quam potui pulcherrime et splendidissime inter trierarchos exornavi. Remigium igitur quod potui præstantissimum conduxi. Neque vero, Judices, in tiremi tum instruenda solum tantos sumptus feci, sed etiam pecuniæ, quam ad educendam classem conferri jussistis, non minimam partem vobis obtuli. Cum enim visum esset vobis ad municipum utilitatem ut referrent senatores eos qui principes collaturi essent tam inter municipes quam inter eos qui in municipiis prædia haberent, relatum fuit nomen meum in tribus municipiis, propterea quod manifestæ erant meæ facultates. Neque ego in his quicquam causatus sum, vel me tiremem instruere vel bina onera simul sustinere non posse, vel legibus id interdictum esse, sed prima tributa primus pependi; neque redi-egi, nam et tum trierarchus reipublicæ causa peregre aberam, et post reversus bona nominâ jam ab aliis exacta, mala reliqua, deprehendi. Hæc ut vere a me dici constet, testimonia vobis legentur,

et eorum qui tum stipendia exegerunt et præfectorum classis : cognoscetis enim me stipendia remigibus et militibus singulis mensibus dedisse, a ducibus commeatu duntaxat accepto, excepto duorum mensium stipendio, toto anno et quinque mensibus ; et nautas a me conductos, et quantum pecuniæ singuli acceperint, unde et meum studium, et quamobrem iste a me navem finito trierarchiæ meæ tempore accipere noluerit, perspicietis.

TESTIMONIA.

4. Me igitur nihil falsi dixisse apud vos, Judices, e recitatis testimonii audistis : ea porro quæ dicam vera esse, omnes mihi assentiemini. Triremis destructionem esse constat primum, si quis stipendum non solvat: deinde, si quis interea in Piræeum redierit. Nam et maxima fit desertio, et nautæ qui remanent nolunt rursum concendere, nisi eis alia pecunia detur ad rem familiarem constitutandam : quæ cum utraque mihi usu venerint, Judices, pluris mihi trierarchia constituit. Etenim nulla mercede a duce accepta octo mensibus huc appuli, legatos vehens, propterea quod mea navis optime instructa erat. Et hinc cum rursus a populo mihi mandatum esset ut Menonem ducem in Hellespontum Autoclis cui abrogatum erat imperium loco veherem, celeriter solvi, et in eorum nautarum qui me reliquerant locum conduxi alios, donis et auctora-mentis magnis datis, veteribus autem nautis qui remanserunt ali-iquid largitus sum quod domi relinquenter ad constituendam rem familiarem, præter id quod prius acceperant, non ignorans, quid cuique in præsentia esset opus : cum autem ipse ita egerem, ut ita me amet Jupiter et Apollo nemo vestrum credit, qui non vere cognitum statum rerum mearum habet, et fundum Thrasyllocho atque Archeneo oppignerasset, triginta minis ab eis mutuo sumptis atque inter nautas distributis, solvi profectusque sum, ut ne quid eorum quæ mandaveratis, populus, quod in me quidem esset, desideraret. Quibus rebus populus auditis me et collaudavit et ad cœnam in curiam invitavit. Hæc vere a me dici, lecto testimonio et plebiscito cognoscetis.

TESTIMONIUM. PLEBISCITUM.

5. Postquam autem in Hellespontum venimus, quum trierarchiæ meæ tempus exisset, et stipendia non nisi duorum mensium militibus soluta essent, atque alias imperator Timomachius adesset, isque nullos navium successores adduceret, multi e meis abjectis animis nave relicta abierunt, alii in Asiam militatum, alii in Thasi-orum et Maronitarum naves, magnis adducti stipendiis magnaue

pecunia prius accepta, quia et meos loculos exhaustos, et rempublicam esse negligentem, et socios inopes, et duces infidos, atque multorum oratione decepti essent, et trierarchiae tempus jam exire, neque domum parari redditum, neque successorem venire ad navem, a quo aliquid opis sperari aut impetrari posset, videbant. Quo enim studiosius et melius navem bonis remigibus compleram, eo me plures quam ullum alium praefectum deseruerunt. Nam cæteris, ut nihil aliud, saltum qui e delectibus venerant ad navem remanserunt redditum in patriam sibi reservantes, si eos dux missos fecisset: mei vero nautæ freti suo robore et agendarum navium peritia, quo in loco plurimum accepturi erant, eo se contulerunt, existimantes præsentes copias plus valere impendente metu, si quando a me deprehensi essent. Quum igitur in eo loco res meæ essent, et simul dux Timomachus mihi mandasset ut ad Templum navigarem perducendi frumenti gratia nec stipendum solveret, ac insuper nunciatum esset, Byzantios et Calchedonios rursus exceptare navigia et adigere ad frumentum exonerandum, mutuatus ego a Charidemo Anaphlystio quindecim minas fœnore, septingentas drachmas ad octavas usuras a Nicippo naviculario navalii contractu accepi, qui Scsti erat, ea conditione, si navis incolumis Athenas redisset, ut ei et sortem et usuras redderem; missoque Euctemone semicenturione Lampsacum, pecunia et literis ad hospites patris mei datis, jussi mihi nautas conducere, quam posset robustissimos: ipse autem Sesti moratus, veteribus nautis qui remanserant dedi quantum potui, postquam mihi præfecturæ tempus exhibat, et alios nautas integri stipendii accepi, interea dum dux navigationem ad templum apparabat. Cum autem Euctemon Lampsaco reversus nautas quos conduxerat adduxisset, ac dux classicum canere jussisset ut solveremus, accidit ut Euctemon repente in morbum eumque gravissimum incideret. Eum igitur, reddito stipendio, et addito viatico, domum remisi; atque ipse, alio semicenturione creato, solvi ad frumentum pervehendum, ibique moratus sum quinque et quadraginta dies, donec naves e Ponto post Arcturum solverent. Cum autem Sestum pervenissem, ego me domum jam redditum putabam, cum non modo tempus mihi jam exactum esset, sed et duo menses ad præfecturam navalem accessissent, et successor ad navem non veniret: dux autem Timomachus, cum eum legati Maronitani convenissent ac rogassent ut frumentarias suas naves tueretur, nobis triremium præfectis mandat ut eas naves ad triremes alligatas Maroneam pertraheremus, cursu et longo et spatio in mari.

6. Hæc vobis omnia propterea exposui ab initio, ut sciatis, quantos ipse sumptus fecerim, et quantum propter rempublicam onus sustinuerim, quantumque postea pro isto insumpserim finito præfecturæ

tempore, cum ad navem non veniret, et quanta ipse pericula subierim tum tempestatum tum hostium. Post enim perducta Maroneam navigia cum Thasum pervenisset, eo profectus Timomachus rursus perducebat cum Thasiis Strymen frumentum et scutatos, ut ipse locum illum occupaturus. Cum vero Maronitae classe instructa nobiscum de eo loco dimicaturi essent, et milites longa navigatione fatigati naves Thaso Strymen traherent, et hyems esset, et locus portum non haberet, nec exscendere et cœnare in hostili agro liceret, ac murum undique et mercenarii milites et barbari finitimi circumsiderent, necesse fuit in anchoris in alto fluctuare noctem illam incœnatos et insomnios, et excubias habere, ne Maronitarum triremes noctu ex insidiis impetum in nos facerent præterea fiebat noctu, propter anni tempus, ut pluviae et tonitrua et ventus magnus oriretur,—hæc enim sub ipsum Pleiadum occasum facta sunt,—quas ob res in quam animi ægritudinem non incidisse milites existimatis? quam multos a me postea aufugisse rursus veterum nautarum, cum et magnas ærumnas tolerarent, et operæ pretia parva facerent, quantum scilicet ego eis ad illa quæ prius a me abstulerant mutuare poteram? Nam dux ne id quidem quod ad quotidianam alimoniam pertineret suppeditabat, et jam tres menses legitimo præfecturæ temporis adjeceram, et cum iste nondum ad navem veniret, ego in desertorum locum nautas conducebam, mutuo sumpta pecunia.

7. Soli autem isti e cæteris successoribus nulla relinquitur excusatio, cur non multo ante ad navem venerit. Euctemon enim semicenturio, ut ex Hellesponto propter morbum domum est missus, quum primum appulit et audiit istum mihi successorem datum, cum sciret jam et exisse tempus præfecturæ meæ, et me jam ultra terminum abesse, adhibito Dinia socero meo, eum in Dignite convenit, et quamprimum ad navem abire jussit, impensas enim in dies singulos magnas fieri, præter commeatum qui a duce in navem datur; ac singulatim ei commemoravit, quæ mercedes remigio et militibus in singulos menses numerarentur, quæ nautis quos ipse Lampsaci conduxisset, quæ iis qui in desertorum locum inscindissent, prætereaque quid veterum nautarum singulis rogatus addissem, postquam mihi præfecturæ navalis dies exisset, et cætera quæ in navem quotidianic impenderentur, quæ non ignorabat. Per eum enim, dum semicenturionem ageret, et emebantur et expendebantur omnia. De armamentis porro, me privatim ea habere et e publico nihil accepisse retulit. Eam igitur, inquit, inito ratione, ut aut ab eo illa impetres, aut armamenta privata hinc afferas. Arbitror autem ei facile tecum conventurum: illic enim pecuniam debet, quam dissolvere volet de pretio armamentorum. His iste ex Euctemone et Dinia socero meo auditis, ad ea quæ ei dixerant nihil

respondit; sed cum risu dixisse fertur, Modo mus picem gustat, facetus enim esse voluit. Quum autem Euctemonis et Diniæ verbis nihil moveretur, postea rursus eum convenient Pythodorus Acharnensis et Apollodorus Leuconensis; familiares mei atque amici; et ad navem abire jubent, ut successorem, et de armamentis ei narrant, me privatim habere omnia, publicum nihil. Quod si illis uti voles, relinque, inquiunt, pecuniam hic, neque periculo maris committe, illuc vehendo: idque ea de causa faciebant, ut mihi redimerent præmium, redditis Archeneo et Thrasyllocho triginta minis. De armamentorum autem attritione voluerunt ei literas dare et ipsi spondere pro me, fore ut eadem mecum conditione transigeret, qua et reliqui triremium præfecti cum successoribus. Hæc a me vere dici ut constet, testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

8. Multis autem me vobis argumentis ostensurum puto, Polyclem neque tunc in animo habuisse navem a me accipere, neque, postquam a vobis et decreto vestro coactus est ad navem abire, cum eo venisset, voluisse mihi in trierarchia succedere. Nam Thasum ubi venit, me jam quartum mensem ultra terminum præfecturam gerente, ego testibus adhibitis quam potui plurimis tum civium tum militum tum remigum eum Thasi in foro convenio; et navem a me accipere jubeo, ut successorem, et reliqui temporis mihi sumptus restituere. Rationem autem cum eo putare volui de singulis, dum mihi factorum sumptuum testes adessent, nautæ, milites et remigium, ut, si quid inficiaretur, eum statim convincerem. Tam enim accurate a me inscripta erant omnia, ut non modo sumptus essent annotati, sed etiam ubi essent facti, et quos in usus, et pretium et quanti quicque esset, et cujate nomisma, et quanti pecunia mutatur: ut certo possem convincere successorem, si quid me sibi falso imputare duceret. Præterea fide etiam data sumptus ei computare volui. Me autem id postulante, respondit, se nihil curare quicquid dicerem. Interea minister, a duce missus, mihi mandat ut solvam, non isti successor, cuius munus id erat: ejus autem rei causam in progressu orationis vos edocebo.

9. Tum igitur mihi visum fuit solvere, et navigare, quo juberet. Postquam autem rursus Thasum appuli, Strymen pertractis, quo dux mandarat, naviis, nautis et militibus et remigibus in navi manere jussis, ipse exscendi et in ædes abii, ubi Timomachus dux diversabatur, volens etiam coram illo navem tradere Polycli plenam. Deprehendo igitur et istum illic et triremium præfectos et successores et alios quosdam cives: et recta ingressus, coram duce, verba ad eum facio, et peto ut navem a me accipiat et sum-

ptus reliqui temporis mihi persolvat, deque armamentis eum interrogo, utrum ea suscepturus esset, an propriis secum allatis ad navem veniret. Quæ cum ab eo postularem, rogabat me cur ego solus e trierarchis privata armamenta haberem, et utrum civitas ignoraret posse quosdam armamenta præbere navibus, ne ipsa ea præberet, an tibi, inquit, præter cæteros ita libet profundere per ludibrium divitias, ut et armamenta privata habeas, et aurata ornamenta solus e trierarchis? Quis igitur, inquit, posset tuam insaniam tuasque profusiones tolerare? comitatum corruptum, et multum pecuniæ ante tempus capere, et immunem a receptis navium muneribus, et lavare in balneis solitum? et cum milites tum remiges ob magnum et integrum stipendum luxu diffuentes? Malorum, inquit, doctor exstitisti in exercitu, et auctor es ex aliqua parte ut et reliqui trierarchi militibus improbioribus utantur, eadem quæ tuis tu largiris requirentibus. Decuisset te cæterorum frugalitatem imitari. Hæc eo dicente, ego propterea, inquam, e navali non accipi armamenta, quod ipse ea perdidisti. Sed, si vis, hæc accipito: sin minus, armamenta ipse tibi compara. Quod autem ad nautas attinet et milites ac remiges, si eos a me corruptos esse dicis, accepta triremi ipse tibi et nautas et milites et remiges cura, qui gratis te comitentur: navem autem accipe, neque enim me triremi præesse decet amplius. Nam et præfecturæ meæ tempus præteriit, et ego jam quatuor menses ultra id' onus sustinui. Hæc me dicente, mihi collega, inquit, meus non venit ad navem: non igitur solus triremem accipiam. Hæc vere a me dici apud vos, et eum in foro prius mihi respondisse, se mea verba nihil curare; et in ædibus, ubi Timomachus diversabatur, se solum navem non esse accepturum, uti constet, harum rerum vobis testimonia legentur.

TESTIMONIA.

10. Post hæc, Judices, cum nec in nave mihi succedere vellet, neque sumptus reliqui temporis redderet, et me dux solvere juberet, aggressus eum Thasi in portu, coram duce, plena jam triremi, sic cum eo ago, non quod æquum esset (erat enim iste meliore conditione), sed quia pro re nata sic agere necesse mihi erat: postquam tu aīs, Polycles, collegam tuum non venire, impensas reliqui temporis, quatuor mensium, si potero, ab eo exigam. Tu vero accepta navi, primum tuum tempus, sex menses, obito: deinde, si interea venerit collega tuus, eam obito tuo munere illi tradito, sin minus, nihil intolerabile tibi accidet, etsi duos menses adjeceris. An, cum ego et meum tempus et collegæ obierim, et pro vobis etiam exacto tempore publicum munus sustinuerim, tu, qui nullos fecisti sumptus, gravaris, suscepta nayi; vel tuum obire tempus, aut

impensas mihi restituere? Hæc me dicente, fabulas me narrare aiebat: dux autem navim concendere me jubebat, et secum solvere. Ac ut eum hæc respondisse constet, lege mihi testimonium.

TESTIMONIUM.

11. Dicam vobis etiam signum evidens, ut sciatis insignem mihi factam esse injuriam. Nam Hagniæ et Praxici sub idem tempus dati successores sunt, Mnesilochus Perithœdes et Phasicrides Anaphlystius; Phasicride autem ad navem non profecto, Mnesilochus Thasum venit et ab Hagnia triremem suscepit, et impensas reliqui temporis solvit Hagniæ, quas pro eis rogatus fecerat, et armamenta conduxit ab Hagnia, et ipse triremi præfuit: deinde, qui a Phasicride missi erant, ii et impensarum partem reddiderunt Mnesilocho, et deinceps sumptus quo^s navis requirebat una sustinuerunt. Horum mihi lege testimonium.

TESTIMONIUM.

12. Fortassis igitur causam requiritis, Judices, cur dux tum istum suspicere navem non coegerit, qui successor ad eam venisset, cum leges id tam severe præcipiant? Hujus ergo rei causam perspicue vos edocebo. Timomachus, Judices, triremi voluit ad omnia bene instructa uti. Sciebat autem istum, triremi accepta, male suum munus obitum; neque vel impensas facturum, vel militibus ac remigibus meis usurum: neque enim quisquam apud eum manisset. Præterea si eum non data pecunia navigare jussisset, non ita, ut me, soluturum, sed molestum sibi futurum. Ad hæc mutatus ab eo erat triginta minas, ea conditione ne eum navem accipere cogeret.

13. Qua autem de causa mihi maxime iratus fuerit meque insectatus sit, nec unquam mihi vel una de re dicendi potestatem fecerit, perspicue vobis explicabo, ut sciatis me non fecisse pluris illo tempore vel otium meum, vel illius potentiam, quam populum Atheniensem et leges: sed æquo tulisse animo et factorum injuriam et contumeliam verborum, quæ mihi multo erant graviora impensis. Ut enim Thasi classis morabatur, a Methona urbe Macedoniæ nauta venit Thasum, quæ hominem vehebat et literas a Callistrato ad Timomachum, quibus petebat, ut ego postea rescivi, sibi triremem expeditissimam mitti, quo ad eum veniret. Postridie cum prima luce minister aderat qui me nautas in navem vocare juberet. Qua, cum plena esset, consensa Callippus Philonis F. Æxonensis gubernatori indicat versus Macedoniam esse navigandum. Postquam autem ad oppidum quoddam in opposita continente, Thasi-

orum mercatum, venimus, et egressi ac pransi sumus, ad me accedit nautarum unus Callicles Epitrepis F. Thriasius, mecum de re quæ mea interesset collocuturus. Cum dicere jussissem, se mihi gratiam relaturum ait quantum posset, quod sibi in egestate succurrissem. Tune, inquit, hæc navigatio scis qua de causa quove suscipiatur? Cum respondissem me nescire, ego, inquit, tibi dicam. Te vero audita re prudens inire consilium oportebit: vecturus es hominem exsulem, quem Athenienses bis capitum damnarunt, Callistratum Methona Thasum ad Timomachum generum, ut ego, inquit, e Callippi pueris audivi. Tu igitur, si sapis, neminem exsulem navem concendere sines: est enim legibus interdictum. Quibus ego e Callicle auditis accedo ad Callippum, eumque rogo, quorū sum naviget, quaque de causa. Eo vero me deridente et ea comminante quæ nec ipsi ignoratis—neque enim non experti estis Callippi ingenium—, ei dico, audio te navigare ad Callistratum adducendum. Ego vero neminem exsulem veham, neque ad eum navigabo: leges enim non sinunt suspicere ullum exsulem, aut eodem crimine teneri jubent eum qui suscepit quo ipsos exsules. Revertar igitur cum navē ad ducem: cumque concendissent nautæ, gubernatorem jubeo redire Thasum. Refragante Callippo et jubente navigare in Macedoniam, quo dux jussisset, respondet ei Posidippus gubernator, me et præfectum esse triremi et rationibus reddendis obnoxium, et se mercedem a me accipere. Navigatum igitur Thasum ad ducem, quo ego jussissem.

14. Postridie cum Thasum redissemus, accersit me Timomachus in suum diversorium, quod erat extra mœnia. Ego vero ne vincirer timens, in columniam adductus a Callippo, ipse non pareo, sed ministro dico, si quid m̄ecum agere vellet, me in foro futurum: et puerum cum eo mitto, ut si quid ille imperaret, mihi renunciaret. Propter has causas quas dixi vobis, Timomachus non coagit istum accipere navem; prætereaque ipse navi uti voluit optime instructa. Nam Thrasylocho Anagyrasio, cuius ipse triremi vehebatur, persuadet ut Callippo præfecturam locet, quo Callippus nave potitus suo arbitratu Callistratum circumvehheret: ipse vero, mea navi consensa, quovis obnavigat, donec in Hellespontum pervenisset. Cum autem ei triremis jam non esset opus, Lycino Pallenense duce in meam navem collocato, qui pecuniam quotidie nautis daret, abire domum me jubet.

15. In eo itinere Tenedi cum essemus, cum neque Lycinus, cui Timomachus id mandarat, nautis stipendium solveret—quod se nummos non habere, sed Mitylenis accepturum esse diceret—, neque militibus esset unde comeatum emerent, et jejuni remos agere non possent: rursus ego civibus testibus adhibitis, Polyclem Tenedi aggressus, et navem accipere, ut successorcm, et mihi red-

dere sumptus a me finito præfecturæ tempore factos, jubeo, ne speciem defensionis haberet apud vos, me propterea navem sibi dare noluisse, ut per ambitionem nave bene instructa domum redirem, et apud vos sumptus ostentarem. Quam cum nec ipse accipere vellet, et nautæ nummos ad emenda necessaria postularent, rursus ad eum accedo testibus adhibitis, eumque rogo, num navim abducturus esset, et num pecuniam haberet, et a me accepturus esset navem, necne? Respondente illo, se advenisse cum pecunia, mutuari mihi oppigneratis armamentis jussi, ut distribuerem pecuniam inter nautas, navemque domum reducerem, quando eam ipse quamquam successor nollet accipere. Hæc me orante, respondit, se ne teruncium quidem mutuaturum. Ego igitur ab hospitibus Tenediis patris mei, Cleanacte et Eperato, mutuatus, nautis stipendium solvi. Quia enim Pasionis eram filius, cui et hospitium cum multis esset et fides in Græcia haberetur, non deerant, qui mihi petenti mutuarent. Hæc ut a me vere dici constet, testimonia vobis exhibeo.

TESTIMONIA.

16. Quorum igitur testimonia vobis exhibere potuimus qui afuerunt, quum sæpe navem Polycli tradere volui, is vero accipere noluit, ea vobis legimus: præterea satis multis etiam argumentis vobis ostendi, eum id recusasse. Curabo etiam legem de successoribus vobis legendam, ut sciatis, quantis muletis propositis, si quis navim præfinito tempore non acceperit, iste non me solum, sed et vos et leges, despexerit, ac quantum in ipso quidem fuit et reipublicæ et sociorum conatus omnes fuisse irritos intelligatis. Neque enim ad navim venit ut lege jubeatur, neque, cum venisset, eam accipere voluit. Ego vero et meum et collegæ mei tempus vobis obii: et, cum præfecturæ meæ tempus exiisset, mandante mihi duce ut ad Templum navigarem, perduxì populo frumentum, ut copiam vænalem haberetis, et quantum in me esset nihil desideraretis: et, quascunque alias ad res dux vel me vel mea tiremi uti voluit, præsto fui, non sumptibus modo faciens, sed et corpore periculum adeundo unaque navigando, cum in eo tum statu res meæ domesticæ essent, quo vos audito fore putem ut nostri misericordia moveamini. Mater enim mea ægrotabat et moribunda erat, me absente, ut rem meam familiarem exhaustam non nisi parum adjuvare posset. Ut enim sexto die post acceptum nuncium veneram, illa, me intuita et allocuta, efflavit animam, cum bona sua jam in potestate non haberet, ut mihi quantum vellet largiretur. Nam sæpe prius etiam me accersierat, pre-

cata ut ipse venirem, si cum triremi non liceret. Uxor porro, quam ego facio maximi, longo tempore absente me decubuit, liberi parvi, res familiaris obœrata: tantum autem abfuit ut agri quicquam ferrent, ut eo anno putei etiam aqua deficerentur, quod nostis omnes, nec olera in horto crescerent; creditores autem, anno exacto, prædium invasuri erant, nisi eis creditæ pecuniæ ut syngraphæ jubebant redderentur.

17. Quæ cum et nunciis et domesticorum literis cognoscerem, quo me fuisse animo putatis, aut quantum fudisse lacrymarum, partim præsentes difficultates reputantem, partim videre desiderantem liberos, uxorem, et matrem quam viventem inventurum spem tenuem habebam? Quibus quid est homini dulcius, aut quid est cur his orbatus quisquam velit vivere? Quanquam autem ita mecum agebatur, non pluris tamen feci res meas privatas, quam vestras: sed oportere censui me nec pecuniariis sumptibus nec detrimentis rei familiaris nec morbo uxoris et matris succumbere, ne quis criminetur me vel ordines deseruisse, vel triremem meam nulli fuisse usui reipublicæ. Pro quibus omnibus hanc a vobis repeto gratiam, ut quemadmoduni ego pro meo loco atque officio me vobis obsequentem atque utilem præbui, sic vos quoque nunc mei rationem habeatis, utque omnium eorum quæ dixi vobis et testimoniorum quæ produxi et decretorum memores, tum mihi affecto injuriis succurratis, tum vos ipsos ulciscamini, tum quæ pro isto insumpsi restituatis. Nam quis alioqui suum erga vos studium declarabit, si neque bonis et dicto audientibus referre gratiam, neque improbis et vestri contemptoribus pœnas irrogare videamini? Legetur autem vobis et lex, et sumptus finito præfecturæ tempore pro isto a me facti singulatim, et navis desertores, quantum quisque nummorum cum fugam caperent abstulerit, et quo se contulerit, ut cognoscatis, me nequc nunc apud vos mentiri quicquam, neque etiam superiore tempore.

18. Ego enim sic existimo et tempus definitum legibus sine querela vestra obeundum; et contemptores tum vestri tum legum, quibus obtemperare nolunt, a me apud vos injuriarum convictos esse ulciscendos. Neque vero, mihi credite, mea causa magis quam vestra Polyclem ulcisci studeo, neque tam superiorum temporum trierarchos curæ vobis esse velim, quam prospici futuris, ut neque hi qui munera obeunt animos despondeant, neque successores leges contemnant, sed ad naves abeant, cum fuerint designati. Quæ vobis cogitanda sunt ut recte et vere de rebus omnibus judicetis. Perquam autem e vobis quærere velim, Judices, quo in me animo futuri essetis, si, finito meo tempore istoque ad navem non veniente, navi diutius, jubente imperatore, non præfuissem, sed discessissem.

Nonne irati mihi fuissestis, meque delinquere putassetis? Quod si tum irati mihi fuissestis, quod navi diutius non præfuisse, nonne convenit ut nunc ab isto sumptus mihi exigatis, quos pro eo feci, qui navem a me non accepit? Neque vero mihi solum non successisse, sed prius etiam cum Euripidis collega esset, atque inter ipsos convenisset ut sex uterque menses navigaret, cum Euripides abiisset ac tempus elapsum esset, navem eum non accepisse, hoc audito testimonio cognoscetis.

TESTIMONIUM.

ARGUMENTUM ORATIONIS DE CORONA PRÆFECTURÆ NAVALIS.

MULTIS et magnis rebus Athenienses urgentibus ad triremes complendas et marinæ imperii curam suscipiendam, decretum fit, ut qui primus e triremium prefectis navem instructam haberet, coronam acciperet: qui autem ante pridie calendarum, hoc est postremum diem mensis, navem ad vallum non perduxisset, vinciretur. Fuit autem id vallum structura portui præposita nt et naves commodius appelli possent et nautæ ibi forum haberent. Apollodorus igitur F. Pasionis, qui navem primus eo perduxerat, coronam accepit: cum autem rursus probatio proposita esset, ut is etiam qui navem pulcherrime instruxisset coronaretur, eam quoque coronam Apollodorus sibi vendicat.

DEMOSTHENIS DE CORONA PRÆFECTURÆ NAVALIS ORATIO.

1. Si ei qui plurimos defensores habet, patres conscripti, senatusconsulto corona daretur, væcors sane essem, qui eam peterem, cum unus Cephisodotus mihi sit patrocinatus, istis complures. Nunc jussit populus quæstorem ei coronam dare qui triremem primus instruxerit: id quod ego feci, propterea que me censeo coronandum. Demiror autem istos qui, triremi neglecta, oratores subornarunt, mihique illi videntur omnino a re aberrare, atque existimare, vos non iis qui officio fungantur habere gratiam, sed iis qui de eo gloriantur; in quo non ita, ut ego, de vobis existimant. Atque ob eam ipsam rem æquum fuerit vos mihi favere magis: ego enim vos meliores viros judico, quam isti. Æquum autem esset, Athenienses, et justum, ut ii qui coronam a vobis tribui sibi volunt, ea se dignos esse ostenderent, non mihi maledicerent: quod quando isti illo prætermisso faciunt, ostendam eos in utroque mentiri, tum in semetipsis commendandis, tum in nobis insectandis, proferendo res a nostrum utrisque gestas.

2. Decreto a vobis facto, quisquis ante pridie calendarum navem ad vallum non protraxisset, ut vinctus judicio traderetur, et confirmato, ego protraxi et eam ob rem corona sum a vobis donatus: isti autem non protraxerunt, proinde vinciri debuerunt. An non igitur rem absurdissimam facietis, si eos qui tali mulcta se obligarunt coronabitis? Armamenta porro, quæ publice præbenda sunt

triremium præfectis, ego privatis sumptibus comparavi, nec e publico accepi quicquam: isti autem vestris usi sunt, et de suo in ea nihil erogarunt. Ac ne illud quidem dicere possint, se ante me conatos esse: priusquam enim isti triremem vel attingerent, mea completa fuit; quam compleri vos omnes vidistis. Præterea remigium comparavi præstantissimum, pecuniæ maxima vi erogata. Isti autem si nostrò deterius habuissent, non esset mirandum: nunc prorsus nullum conduxerunt qui de impensarum magnitudine contendunt. *Enimvero* qui æquum est, eos, quum illa posterius resarserint, nunc quasi primi instruxissent, corona ornari? Equidem existimo in ea sententia esse vos, ut me vel tacentem ju stissime coronandum censeatis: solis autem istis ne verba quidem esse de corona facienda, id jam ostendam. Unde id maxime perspicitur? Ex ipsis istorum factis. Initia enim ratione qua præfectura navalis minimo constaret, eam locarunt. Quid est autem iniquius, quam fugisse sumptus, eos vero honores qui propter illos decernuntur haberi sibi postulare? et quo minus navis protracta sit conductorem culpare, eorum vero quæ probe administrata sunt a vobis gratiam flagitare?

3. Neque vero ex his duntaxat vobis jus spectandum est, sed ex iis etiam quæ ipsi prius fecistis, cum quidam eodem se quo isti modo gessissent. Cum enim navali ab Alexandro prælio victi estis, tunc iis trierarchis qui trierarchias locarant eam cladem potissimum acceptam referentes, eos in judicium curastis adducendos, cum hoc præjudicio, prodidisse eos naves et ordinem deseruisse; cum Aristophon accusaret, vos judicaretis: quod ni minor vestra fuisset iracundia illorum delicto, nihil obstitisset quo minus occiderentur. Cum autem isti sciant se in eodem esse cum illis delicto et criminis, supplicium apud vos ineritum non exhorrescunt, sed concionantur in alios seque coronari jubent. Atqui considerate, quæ vobis constitisse vestri consilii ratio videri possit, si, ob eandem causam, alios pœne damnasse capit, alios coronis donasse, videamini? Neque vero eo duntaxat facto peccabitis, sed tum etiam si, protestate data, talia facinora non plectetis. Non enim, cum vestras opes operire sivistis, tum graviter est ferendum: sed dum res vestræ salvæ sunt, dum eos qui præsunt propter sordes non eam illarum suscipere curam perspicitis quam oportebat. Neque quisquam vestrum hanc orationem ut acerbam graviter ferat, sed iis irascatur qui culpam in se admiserunt: propter illos enim hoc fit. Miror autem ego, cum nautas desertores, quorum tricenas quisque drachmas duntaxat accipit, isti et vinciant et puniant, cur trierarchos qui classei deserunt, quorum tricenæ cuique minæ pro primo ingressu maris numerantur, vos non eodem modo tractetis? itane si pauper aliquis inopia coactus peccarit, extremis suppliciis afficie-

tur; sin dives propter sordes eadem commiserit, veniam consequetur? Ubi autem æqualitas illa, et populare imperium apparebit, si vos ad hunc modum ista gubernabitis?

4. Jam illud etiam absurdum mihi videtur, cum is qui contra leges aliquid dixerit, si convincitur, tertia capitinis parte mulctetur: illos qui contra leges non dixerunt, sed fecerunt, nullas dare pœnas. Atqui, Athenienses, omnes vos fateamini lenitate ista cæteros ad injuriam faciendam incitari. Sed, quandoquidem prodii, ea vos etiam quæ hinc oriuntur edocebo.

5. Si quis conducta trierarchia hinc solvit, omnes homines spoliat et deprædatur: et, cum emolumenta privatim percipiat, pœnas illorum facinorum quilibet vestrum dat, solisque vobis nusquam sine caduceo ire licet, propter institutas illorum culpa et corporum et bonorum vestrorum comprehensiones. Quare si quis rem vere consideret, eas triremes non pro vobis, sed contra vos, esse missas inveniet. Qui enim pro republica militat, eum non sperare oportet se de publico locupletatum iri, sed de privata re subventurum esse reipublicæ, si modo res vestræ erigendæ sunt: isti vero omnes in contraria sententia hinc solvunt. Proinde ea delicta quæ ab illorum moribus proficiscuntur vestrīs damnis corriguntur. Neque vero horum quicquam fit temere. Dedistis enim hominibus improbis eam licentiam, ut si rapinas texerint, iis fruantur; sin deprehensi fuerint, veniam impetrant: proinde iis qui honestate non ducentur faciendi quidvis est concessa impunitas. Ac privatos quidem homines qui damno accepto sapiunt inconsideratos nominamus: vos autem qui ne acceptis quidem malis sapitis, quo nomine quis appellat?

6. Reliquum est, ut de advocatis etiam dicamus. Sic enim quidam sibi omnem quidvis et dicendi et agendi licentiam sumunt, ut, qui aliquando cum Aristophonte accusarunt et invecti sunt in eos qui trierarchias locarant, eorum nonnulli nunc istos coronari jubent; atque omnino ipsi nunc sese coarguant, ut qui aut tunc illos per injuriam calumniati fuerint, aut nunc hisce mercedis causa patrocinentur: ac gratificari vos jubent, quasi donationes nunc agantur, non victoriæ præmia, aut etiam quasi gratiam inire debeat hujusmodi rebus apud eos qui vos negligunt, non iis, qui officio funguntur, a bonis viris gratia sit referenda.

7. Deinde usque adeo existimationis suæ nullam rationem habent, et præ accipiendo studio cætera omnia contemnunt, ut non modo priora sua verba refellere nunc hisce concionibus audeant, sed ne nunc quidem ipsi sibi constent, qui cum nautas triremis esse oportere dicant proprios coronam accepturæ, eos triremium præfectos qui se ab eo munere alienarunt nunc coronari jubeant: neque vero ullum istorum priorem instructum fuisse dicunt, sed

jubent nos communiter omnes coronari, cum non sit ea decreti sententia. Tantum autem abest ut ista ego concedam, quantum abfui ut trierarchiam locarim: neque enim illud feram, neque hōc feci. Simulant sane se justitiae et æquitati patrocinari: sed vehementius contendunt, quam vestrum aliquis gratuito faceret, perinde ac si mercedem mereri, non sententias dicere, eis conveniat. Deinde, non tanquam in communi civitate versentur, propterea que cuivis dicere liceat, sed tanquam id ipsi veluti privatum sacerdotium obtineant, si quis causam suam apud vos agit, quiritantur eumque audacem esse clamitant: atque in eum stuporem veniunt, ut putent, si quem qui semel apud vos verba fecerit impudentem vocarint, fore ut ipsi in omni vita boni viri existimentur. Enimvero, et propter istorum conciones multa deteriora sunt; et per eos qui justitiam oppugnare non dubitant cuncta perierunt. Iстis igitur patronis adscitis, cum scient tantam in promptu esse maledicendi eis materiam si quos convicium facere juvet, tamen in contentionem descendere et alicui maledicere non dubitant ii, quos impunitate contentos esse oportebat. Atqui ut isti audaces sint et injurii nemo magis in causa est quam vosmetipsi: ab oratoribus enim, quos scitis esse mercede conductos, sciscitamini quales quique existimandi sint, non ipsi judicium facitis. Quid est autem absurdius, quam cum eos ipsos improbissimos civium existimetis, illos qui ab istis laudantur bonos viros habere? Proinde illi omnia suo arbitratu agunt et rempublicam tantum non sub præconem subjiciunt, et coronare, quem ipsis visum fuerit, et non coronare, jubent, et suam auctoritatem plus valere volunt quam decreta vestra. Ego vero vos moneo, Judices, ne studium et liberalitatem eorum qui sumptus facere volunt oratorum avaritiæ condonetis. Alioqui docebitis omnes a vobis mandata munera quam vilissime administrare, et quam maximi conducere qui pro ipsis apud vos impudenter mentiantur.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS CALLIPPUM.

LYCON quidam Heracleota genere, Pasionis utebatur mensa. Is, in Africam navigaturus, uummox reliquit, eosque, ut et Pasio vivens dicebat, et Apollodorus aunc dicit, Cephisiadæ reddijussit: Callippns autem eos sibidonatos esse asserit, ut et amico et omnium Heracleotarum procuratori. Mortuo Lycone, pecunia Cephisiadæ reddita est: Callippus autem, ut inqnit Apollodorus, cum Pasioni secum facieuti simul hospitem invadere persuadere nou posset, ipsum Pasionem petit, et res dati damni actione instituta Lysithidæ arbitro permissa est, qui, Pasiōne vivente, nihil prouunciat. Eo mortuo, rursus Apollodorum in jus vocat eadem de re Callippus, rursusque petit ut Lysithidem arbitrum sumat. Apollodorus arbitrum admittit: sed ad magistratum de Lysithide refert, ut is juratus pronunciet, quo minus arbitriam Callippo condonet. Lysithides autem injuratus pronunciat, damnato reo. Quare Apollodorus ab arbitro ad judicium appellat.

DEMOSTHENIS ADVERSUS CALLIPPUM ORATIO.

1. Non est res ulla molestior, Judices, quam cum vir auctoritate praeditus et eloquens mentiri audet ac testibus abundat. Tum enim rei necessere est, non de re tantum dicere, sed de ipso etiam adversario, propter existimationem ei fidem non esse habendam. Nam si hunc morem receperitis, ut eloquentibus et auctoritate praeditis plus credatis quam imbecillioribus, is mos in vestram ipsorum perniciem cedet. Oro igitur vos, ut si quod unquam negotium ipsum per se dijudicastis, animis in neutram partem propensi, nec reorum nec accusatorum, sed ipsam justitiam intuentes, ut nunc etiam ita pronuncietis. Rem autem ab initio vobis narrabo.

2. Lycon Heracleota, Judices, is de quo etiam iste loquitur, mensa patris mei utebatur, ut et alii mercatores, hospes Aristonoi Decelensis et Archebiadæ Lamprensis, homo prudens. Is, navigaturus in Libyam, rationibus cum patre meo subductis coram Archebiade et Phrasio, pecuniam quam relinquebat ei mandat,—fuit autem ea sedecim minæ et quadraginta drachmæ, ut ego vobis quam accuratissime ostendam,—, Cephisiadæ reddendam, qui socius suus esset, ac Scyri habitaret, sed in præsentia propter aliam negotiationem abesset; mandat etiam Archebiadæ et Phrasio ut

eum patri meo monstrarent et commendarent, cum peregre rediisset. Solent autem omnes mensarii, si quis homo privatus pecuniam deponit quam alicui reddi jubet, scribere primum nomen depositoris et pecuniæ summam: deinde adscribere, cui reddenda sit. Quod si faciem norunt hominis cui ea reddenda est, id tantum faciunt, ut scribant cui sit reddenda: sin ignorant, insuper ejus etiam nomen adjiciunt, qui commendaturus est et ostensurus hominem, cui pecunia est numeranda.

3. Cum vero Lycon ea fortuna usus esset, ut statim post abitum circa sinum Argolicum et merces ejus a piraticis navibus exceptæ Argos veherentur et ipse sagitta ictus occideret, Callippus statim ad mensam venit rogitans Lyconem Heracleotam an nossent. Respondente Phormione, se nosse: nunquid vobis etiam usus est? ita inquit Phormio; sed cur interrogas? cur? ego, inquit, tibi dicam. Ille obiit; ego vero procurator sum Heracleotarum omnium. Peto autem ut mihi ostendas tabulas, ut sciam, nunquid nummorum reliquerit: necesse enim mihi est omnium Heracleotarum curam habere. Quo auditio, Judices, Phormio statim e vestigio ostendit. Ostensa tabula, solus ipse eam legit et nemo alias, cumque vidisset in ea scriptum Lycon Heracleota -- M.D.C.XL. Cephisiadæ reddendas -- Archebiades Lamprensis ostendet Cephisiadem tacitus abiit, et amplius quinque mensibus nullum verbum fecit. Cum autem Cephisiades advenisset atque ad mensam accederet et pecuniam postularet, et Archebiades ac Phrasius adessent, quos Lycon patri commendarat et Cephisiadem cum venisset patri ostendere jusserat, quinam esset, præsentibus etiam aliis, annumeratas ei sedecim minas et quadraginta drachmas reddidit Phormio. Hæc vere a me dici ut apparet, harum rerum omnium testimonia vobis legentur.

TESTIMONIA.

4. Me vere omnia dixisse apud vos, Judices, e testimo niis audistis. Congressus autem longo tempore post cum patre meo Callippus in urbe, rogar, num jam advenisset Cephisiades cui inscripta esset pecunia reddenda a Lycone Heracleota re licta? Respondente patre, opinari se, sed si in Piræum descendere vellet, certum sciturum. Nost igitur, inquit, Pasio, quid te rogem?—atque ita me dli deæque omnes ament, non mentiar quicquam apud vos, Judices, sed, quæ a patre audivi, narrabo vobis.—Licet tibi esse in me beneficio, sine ullo tuo detimento: sum procurator Heracleotarum: malis autem, ut opinor ego, me accipere pecuniam, quam inquilinum hominem Scyri habitantem et nihil. Tale autem quidam accedit. Lycon et orbus est et nullum hæredem domi reliquit, ut ego audio: præterea, ut Argos perductus est vulneratus, procu-

ratori Heracleotarum Argivo pecuniam secum allatam dedit. In ea sum igitur et ego sententia ut quæ hic reliquit mihi reddi oportere censeam ; idque æquum esse arbitror. Tu igitur, si forte illam nondum recepit, dic, me eam mihi vendicare, ubi venerit Cephisiades : sin recepit, testibus adductis petuisse, ut in medium proferretur vel pecunia vel is qui eam redigisset, et, si quid velit auferre, id procuratori mihi esse erupturum. Quod cum dixisset, ego, inquit pater, Callippe, gratificari tibi cupio—insanirem enim, nisi cuperem—, sic tamen, ne vel existimatio mea minuatur vel ex ista re mihi quicquam periculi sit. Ac dicere ista ad Archebiadem et Aristonoum, atque adeo ad ipsum Cephisiadem, mea nihil interest : verum si oratione mea non movebuntur ut ista faciant, tute jam cum eis agito. Securus, inquit iste, esto Pasio ; si volueris tu, coges eos hæc facere. Quæ igitur iste cum patre meo, Judices, pater autem cum Archebiade et Cephisiade, istius rogatu, et in istius gratiam disseruit, hæc sunt, e quibus hæc actio paulatim conflata est : quæ me de patre audivisse, isti sanctissimum dare jusjurandum volui. Iste autem, qui sibi fidem a vobis haberi postulat, ut vera dicenti, triennio interjecto, ex quo pater primum cum Archebiade et aliis Cephisiadæ familiaribus egerat, iisque responderant, se Callippi verbis nihil moveri : quum animadvertisit jam infirmum esse patrem et ægre in urbem adscendere et ab oculo destitui, actionem contra eum instituit, non ita me dii ament de pecunia, sed de damno sibi ab eo dato, qui pecuniam Cephisiadæ reddidisset ab Heracleota Lycone relictam, cum se absque ipso non redditum promisisset. Judicium adeptus, apud arbitrum actionem sustulit ; et ab eo postulavit, ut rem deferret ad Lysithidem, Isocratis et Apharei sodalem, patris mei familiarem. Quod cum pater fecisset, quamdui is vixerit, quanquam isti familiaris esset, Lysithides non quicquam erga nos delinquere ausus fuit. Et tamen quidam istius familiares ita sunt impudentes, ut testificari ausi fuerint, Callippum patri meo jusjurandum detulisse, sed patrem apud Lysithidem jurare noluisse ; seque vobis persuasuros autument, Lysithidem Callippi familiarem, non commissurum fuisse, ut patrem meum statim condemnaret, si is ipse sibi fieri judex noluisset. Me autem vera loqui, istos mentiri, primum vobis hoc ipsum argumento sit, quod futurum fuisset, ut eum Lysithides condemnaret, et ego nunc judicio unde vi, non pecuniario, reus essem : quod ut constet, ego vobis eos qui subinde in congressibus cum isto patri affuerunt, apud Lysithidem factis, testes producam.

TESTES.

5. Eum igitur, quum tum patri meo jusjurandum non detulerit, nunc in eum defunctum facile mentiri, et familiares suos falsum in

me testimonium facile dicturos producere, tum ex argumentis tum ex hoc testimonio facile a vobis intelligetur. Me autem pro patre jurandum ei dare voluisse, quemadmodum lex jubet, si quis defunctum accusans cum haerede agat, non videri mihi vel promisso patrem se isti redditurum pecuniam a Lycone relictam, vel commendatum istum patri a Lycone: Phormionem item affirmasse rationem semetipsum cum Lycone subduxisse et in mandatis accepisse ut Cephisiadæ pecuniam redderet sibi ab Archebiade demonstrato; et cum Callippus primum ad mensam Lyconem obiisse dixisset, et ipse literas videre vellet, nunquid nummorum hospes reliquisset, eas ostendisse se, quibus iste inspectis, cum vidisset scriptum esse ut Cephisiadæ redderetur, tacitum abiisse, nullam neque controversiam moventem, neque quicquam interdicentem de pecunia, uti constet, harum rerum testimonia utraque et lex recitabuntur.

TESTIMONIUM. LEX.

6. Vobis porro ostendam, Judices, Lyconem Callippo non esse usum. Arbitror enim id quoque contra istius insolentiam mihi aliquid commodaturum, pecuniam illam a Lycone sibi dono datam esse asserentis. Is enim quadraginta minis nauticæ pecuniæ in Thraciam Megalidi Eleusinio et Thrasyllo fratri ejus mutuo datis, cum eo navigandi consilium illi mutassent, et periculum adire nolent, conquestus de Megalide nescio quid propter usuras, ut deceptus, discordabat cum eo et litigabat, mutuum recepturus. Cum autem de tanta pecunia multum et saepè laboraretur, Callippum sibi Lycon nunquam usquam advocavit, sed Archebiadem et Archebiadæ amicos: et qui eos in concordiam redegit Archebiades fuit. Ac me vera dicere ut constet, vobis ipsum Megalidem testem producam.

TESTIMONIUM.

Adeo familiariter, Judices, Lycon Callippo est usus, ut eum neque ad res suas accenseret, neque, apud eum unquam diverteret: atque istud solum familiares istius testificari ausi non fuerunt, diversatum apud istum esse illum, satis gnari se statim per servorum quæstiones convictum iri, si quid tale mentirentur.

7. Dicam autem vobis etiam argumentum tantum, ut ex eo mea quidem opinione perspecturi sitis, istum mentitum esse omnia. Lyconi, Judices, etiamsi istum quoque complecteretur et familiaris ejus esset, ut iste asserit, eique, siquid sibi accidisset, nummos dono dare vellet, nunquid eos commodius fuisset recta apud Callippum relinquere, quos incolumis reversus recte et juste recepturus esset ab eo, ut et amico et procuratore suo, sin quid ipsi accidisset, sta-

tim ei datos maluisset, quam in mensa relinquere? Ego quidem illud et justius et magnificentius existimo. Jam eum nihil horum fecisse constat, proinde et hæc vobis argumenta sint; sed Cephisiadæ et inscripsisse et reddi jussisse.

8. Illud etiam considerate, Judices, Callippum fuisse civem nostrum, iis pollentem opibus, ut utrumque et male et bene facere posset, Cephisiadem autem et inquilinum et inopem: quare pater minime contra jus et æquum illi favere quam isti præstare quod æquum esset maluisset.

9. At hercule dicet fortasse, patrem meum privatum aliquid de argento emolumenti perceperisse; propterea que animo in illum quam in se fuisse propensiore. Itane vero primum a quo duplo majore quam id lucellum esset affici damno posset, ei faciebat injuriam? deinde in eo sordidus et turpis lucri cupidus erat, in tributis et muneribus publicis et largitionibus non item? Cum hospiti nemini faceret injuriam, Callippo faceret? Cum ei, ut ait, jusjurandum detulerit tanquam bono viro et nullum dicturo mendacium, nunc tanquam de improbo et deposita intervertente verba facit? . nonne vero cum nec jurare vellet, ut iste dicit, neque pecuniam redderet, statim damnatus esset? Cui verisimilia fiant ista, Judices? Ego quidem nemini opinor. Itane Archebiades eo venit improbitatis, ut in Callippum, et popularem suum et in republica versantem et non privatum hominem, testimonium dicat, et nos verum loqui asserat, istum autem mentiri: præsertim cum sciat, si iste falsi testimonii reum facere et nihil aliud nisi sacramento adigere voluerit, necesse sibi fore id dare jusjurandum, quod iste jussaserit. Deinde, ut Cephisiades nummos habeat, homo inquilinus, aut Phormio, quem iste aliquid de summa delevisse dicit, vobis persuadebitur, pejeraturum Archebiadem? Minime id quidem consentaneum est, Judices. Neque enim ullius improbitatis condemnandus est vel Archebiades, vel parens noster; multis enim experimentis edocti estis, eum laudis et gloriæ fuisse appetentiorem, quam ut aliquid improbum et flagitosum studio sibi haberet, neque erga Callippum ita affectum, ut eum ulla per contemptum injuria affecisset: neque enim tam tenues ejus opes mihi esse videntur, ut facile contemni possit, qui tantum valet, ut anno superiore hac actione contra me instituta, cum a me postulasset ut arbitrium Lysithidæ deferrem, ego quamquam contemptus ab eo in ea re mihi recte consuluerim, ex legum enim præscripto arbitrium detuli et retuli ad magistratum; iste vero arbitrio legum auctoritate designato persuasit ut injuratus arbitratur, me testificante ut ex præscripto legum juratus pronunciaret, id autem Callippus in eo spectavit ut apud vos dicere posset, etiam Lysithidem virum bonum et honestum de causa pronunciasse. Lysithides enim, Judices, dum pater vivebat, et sine

jurejurando et cum jurejurando illum fortasse non offendisset, quem magnificiebat. Me vero sine jurejurando parvi faciebat, cum jurejurando autem fortasse non offendisset suapte causa: quapropter injuratus pronunciavit. Hæc etiam vere a me dici, e testibus qui interfuerunt cognoscetis.

TESTES.

10. Quid igitur contra et leges et æquitatem perficere Callippus possit, Judices, e testimonio audistis. Oro autem vos, et mea et patris causa, uti memineritis, me vobis omnium eorum quæ dixi et testes et argumenta et leges et probationes exhibuisse; et ostendisse istum, cum ei liceret, si quid juris in eam pecuniam haberet, a Cephisiade petere qui se et recepisse illam et habere fatetur (præsertim satisfactione a nobis nihilominus accepta), non tamen petere, quamvis sciat non penes nos esse nummos: meque absolvatis. Quod si feceritis, primum juste ex legum auctoritate pronunciabitis, deinde ut et vestra et patris mei dignitas postulat: nam ego vobis omnes meas fortunas cedere mallem, quam per injuriam et calumniam quicquam dependere.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS NICOSTRATUM DE ARETHUSII MANCIPIIS.

APOLLODORUS Arethusium falsæ renunciationis reum fecit et peregit. Qui cum talentum aerario deberet idque solvere non posset, propterea que bona ejus publicata essent, describit Apollodorus servos, ut qui Arethusii essent, hos Nicostratus ut suos et ad illum nihil attinuentes sibi vendicat. Quia vero causa odiosa est, commemorat orator, quanta perpessus ab Arethusio sit Apollodorus, ut non malignitate naturæ, sed propter ultionem injuriarum hæc agere videatur.

D E M O S T H E N I S ADVERSUS NICOSTRATUM DE DESCRIPTIONE MANCIPIORUM ARETHUSII ORATIO.

1. ME nullo calumniandi studio, sed per istos injuriis et contumeliis affectum et ulciscendos eos esse existimantem, descriptionem hanc instituisse, illud maximo vobis argumento sit, Judices, quod et parva est, et per meipsum facta descriptio. Neque enim, si calumniari voluissem, mancipia quatuor minarum cum dimidia descripsisse, quanti ea æstimavit ipse adversarius: quum ipse et de mille drachmis, et de eo ne quis unquam mihi subscribat, pericliter. Neque etiam usque adeo vel inops, vel amicorum præsidiis destitutus sum, ut qui ea describeret neminem invenire potuisse, sed quia nihil in rebus humanis omnibus intolerabilius esse existimabam, quam, cum mihi fieret injuria, alium injuriis affecto mihi nomen suum commodare, et istos ex eo causæ aliquid habere, si ego nostras inimicitias vobis narrarem, mendacii me arguendi,— neque enim unquam alium fuisse ea descripturum, si facta mihi esset injuria,—, propter hæc descripsi: cum vero descripserim, si ostendero mancipia esse Arethusii, cui inscripta sunt, dodrantem, qui homini privato a quo descripta ea sunt tribuitur, reipub. condono, ipsa ultione contentus. Quod si mihi satis aquæ esset ad narrandum vobis ab initio, quibus a me affecti beneficiis, quomodo mecum egerint, satis scio, vos iracundiæ meæ magis veniam datus, et istos omnium hominum improbissimos esse judicaturos: nunc nec duplum aquæ mihi sufficeret. Maxima igitur et illustria facinora, et causam hujus descriptionis vobis explicabo, vulgaribus omissis.

2. Nicostratus, Judices, vicinus in agro et æqualis meus, mihi vel olim notus fuit: defuncto autem patre, cum ego in agrum concessisset, ubi etiam nunc habito, aucta est nostra familiaritas, ut inter vicinos et æquales. Temporis autem progressu, mutuo nos arctissime complexi sumus: nam et ego istum feci tanti, ut nullius unquam voti impotem a me dimiserim, et iste mihi ad curam et administrationem rerum mearum non inutilis fuit; et cum ego peregre abibam, sive publice triremi præfectus sive privatim alia de causa, istius fidei quæ in agro habebam omnia mandavi. Accidit autem ut cum triremi ad Peloponnesum accedendum; atque inde in Siciliam legati vehendi essent, quos populus creaverat. Proinde cum subito solvissem, isti me discessisse scripsi, neque posse reverti domum, ut ne legatis in mora essem; mandavique ut rem familiarem curaret et administraret, ut et superiori tempore fecisset.

3. In mea vero peregrinatione aufugiunt illi mancipia tria ex agro: duo quæ ego ei dederam, unum quod ipse compararat. Quæ dum persequitur capitur a triremi, et in Æginam abductus venditur. Ut autem ego e præfectura navalı redieram, convenit me Dino frater istius, et casum ejus commemorans, se ab eo per literas accersitum, eo non profectum esse ait propter viatici penuriam, simul etiam referens, audire se quam male iste tractaretur. Quibus ego auditis, vicem ejus misertus, Dinonem fratrem statim ad eum mitto, in viaticum datis trecentis drachmis. Reversus iste me convenit, ac primum et amplectitur et laudat, qui suo fratri viaticum præbuissem, simul etiam suam fortunam miseratur, cognatos suos incusans meque cum lacrymis rogans ut se juvarem, quemadmodum superiori quoque tempore me verum esset amicum expertus; et quia se viginti sex minis esse redemptum indicabat, plorans atque ejulans, ad eam summam me conferre sibi jubebat aliquid. Quæ cum ego audirem, misertus ejus sum, et quia male affectum videbam—nam ulcera in tibiis sub compeditibus orta, quorum cicatrices adhuc habet, et si vobis ostendere jusseritis nolet, mihi demonstrarat—, respondi, me et superiori tempore ejus amicum ex animo fuisse, et nunc in calamitate opitulaturum; et trecentas drachmas, quas fratri ad eum proficiscenti mutuasse, condonare, et mille drachmas ei redimendo gratuito collaturum. Neque vero hoc ei verbis promittebam, re vero ipsa non præstabam: sed, quoniam præsentem pecuniam non habebam, propterea quod male mihi cum Phormione conveniebat, per quem relictis mihi a patre facultatibus spoliabar, delatis ad Theoclem, qui tum argentariam factitabat, poculis et aurea corona, quæ ex patrimonio habebam, jussi isti dare mille drachmas; atque hoc gratis argentum ei dedi, et dedisse fateor.

4. Diebus non multis post me convenit ac plorans dicit, hospites qui sibi pecuniam qua redimeretur mutuassent, reliquum argentum

repetere: in syngraphis autem contineri, ut aut intra diem trigesimum redderet, aut duplum deberet: neque prædium illud mihi vicinum velle quemquam vel emere vel pignori accipere, quod frater Arethusius, mancipiorum, quæ nunc descripta sunt, dominus, non pateretur quemquam id vel emere vel pignori accipere, tanquam in eo sibi pecunia debeatur. Tu igitur, inquit, id mihi suppedita quod deest antequam triginta dies prætereant, ne et id quod dedi, mille drachmæ, pereat, et ipse in servitutem abducatur. Collectas autem, inquit, ubi collegero, et hospitibus satisfecero, tibi reddam quicquid mutuaris: scis autem, inquit, leges etiam jubere, ut captus ei per quem ab hostibus redemptus est, nisi pretium restituerit, addicatur. Hæc ex eo cum audirem et non mentiri putarem, respondi, ut homo adolescens et familiaris, qui nullam injuriam metueret, et antehac sincerus tibi amicus fui, Nicostrate, et in adversis rebus, quantum potui, te juvi: quoniam autem totam summam in præsentia nancisci non potes, neque ipse præsentem pecuniam habeo, de possessionibus meis tibi concedo, ut quamcunque voles, pro eo quod tibi deest oppigneris, ut hospitibus satisfacias, et nummis meis in annum sine foenore utaris; verum ubi pecuniam de collectis redigeris, fac, id quod polliceris, meam mihi possessionem ut redimas. His iste auditis meque collaudato, ita me quamprimum agere jubebat, priusquam præterirent dies, intra quos se pretium numerare oportere dixerat. Ædes igitur Arcesanti Pambotadæ sedecim minis oppignerò, quem iste ipse mihi conciliarat, octonis obolis in minas in menses singulos mutuanti.

5. Accepta autem pecunia tantum aberat ut mihi pro collatis in se beneficiis gratiæ aliquid referret, ut statim per insidias ea fraudare me institueret, et inimicitias mecum exerceret: quo ego inops consilii, ut adolescens et rerum imperitus, nummos a se non repetarem, quibus ædes oppigneratæ erant, sed condonarem. Ac primum quidem cum adversariis mihi insidiatur, et fidem eis dat. Deinde cum mihi negotia facesserentur, et meas rationes, quarum gnarus erat, prodit, et exscribit publico exsortem mulctam ex evidentium constitutione sexcentas et decem drachmas, Lycida Mylothri F. causam agente. Viatorem autem contra me fratrem suum Arethusium inscritbit, cuius hæc mancipia sunt, et alium quendam. Ita enim se parabant, ut si causas, quarum judicia eram adeptus, agere instituissem contra domesticos, a quibus injuriis afficiebar, me deferrent et in carcerem conjicerent. Præterea me in jus non vocatum decem drachmis multavit Arethusius, ut ærarium, viatoribus inscriptis, et ingressus in ædes meas vasa omnia vi exportavit, quæ viginti minarum pretium superabant, neque quicquam reliquit. Cum autem, cognitis insidiis, mulctam solvissem, ac pœnas sumendas ducerem, viatorem qui se mihi renunciasse dicebat Arethusium falsæ

renunciationis ex lege postulabam: is autem noctu ingressus in agrum meum, quotquot erant surculi arboribus generosi inserti, et arbusculas exsecuit, et plantaria olearum obiens ita misere confregit, ut nec ab hostibus vastarentur. Ad hæc etiam, interdiu puerulo civi intromisso cum et vicini essent et prædium contiguum haberent, rosetum germinans eum evellere jusserunt, nt, si eum deprehensum ego vel vincirem vel verberarem ut servum, injuriarum actionem contra me instituerent. Quo consilio cum frustrarentur, et ego facinorum illorum testes facerem, ipse autem nihil erga eos delinquerem, tum vero maximas insidias mihi comparant. Quum enim falsæ renunciationis in eum actionem jam instituisse et in judicium ingressurus essem, observato me ex Piræo digrediente sero circa lapicidinas, et pugnis petit et medium arripit, meque in lapicidinas dejecisset, nisi quidam viatores, auditio clamore meo, suppetias venissent. Diebus non multis post, ingressus in judicium ad diem præfinitam, et eo falsæ citationis convicto, hominem cum aliorum scelerum quæ exposui reum peregi: tum in irroganda mulcta, cum eum judices capitis damnaturi essent, precatus eos ego sum, ne tale quid mea causa facerent, sed ut talentum quanti ipsi litem æstimabant admitterent, non ut ne Arethusius occidetur—mortem enim suis in me sceleribus commeruerat—, sed ne ego Pasionis filius, et ex decreto civis, quemquam Atheniensem occiderem. Hæc omnia vere a me dici, ex testibus audietis.

TESTES.

6. Quibus igitur injuriis ab eis affectus, Judices, descriptionem fecerim exposui vobis: esse autem Arethusii mancipia ista, et in ejus facultatibus esse quæ ego descripsi, vobis demonstrabo. Cerdonem enim ab incunabulis educavit; atque eum fuisse Arethusii ut constet, eos qui norunt testes vobis producam.

TESTES.

Apud quoscunque porro fecit opus, mercedes accepisse Arethusium, et jus tum dedisse tum accepisse, si quid delinquisset, ut herum, earum rerum gnaros vobis testes exhibebo.

TESTES.

Manem autem, mutua pecunia Archepolidi Piræensi data, cum Archeolis neque usuram neque sortem omnem reddere posset, in æstimationem accepit. Et, ut vera me dicere appareat, horum vobis testes producam:

TESTES.

Præterea ex his quoque cognoscetis, Arethusii esse homines istos. Quoties vel pomaria redemerunt, vel messem demetendam conduxerunt, vel aliquod aliud rusticum opus conficiendum suscepserunt, Arethusius pro eis et emit et conduxit. Quæ vera esse, et ipsa cæstibus audietis.

TESTES.

7. Quantum igitur testimoniis ostendere potui, Arethusii esse mancipia ista, ea vobis explicavi: dicam autem etiani de provocatione, qua et isti me, et ego istos provocavi. Isti, cum prima inquisitio fieret, profitebantur se paratos esse ipsi mihi mancipia in quæstionem dare, eo consilio ut id sibi quoddam testimonium esset. Ego vero eis coram testibus respondi, me paratum esse ire cum eis ad senatum, et accipere cum eo vel cum xi-viris: nam si privato judicio cum eis agerem, aut ipsi ea mihi traderent, me accepturum fuisse; nunc reipub. esse et mancipia et descriptionem, quæstiones igitur publice habendas esse. Neque enim decere putabam a me, homine privato, publicos servos torqueri; neque enim quæstiones in mea potestate erant, neque committendum ut de iis quæ isti dixerant ego statuerem arbitrabar: sed vel a magistratu vel a delectis a senatu scribi oportere, et obsignatas quæstiones, quicquid homines dixissent, judicibus offerri; ut illis auditis, quod vobis videretur, decerneretis. Nam si homines privatim a me torti essent, illi omnibus contradixissent: sin publice, nos tacuissemus, sed vel magistratus vel delecti a senatu quoad eis visum esset quæstiones habuissent. Quæ cum ego vellem, isti se magistratui servos tradituros negabant, neque in senatum sequi me volebant. Ut igitur hæc a me vere dici constet, voca mihi horum testes.

TESTES.

8. Etsi autem multis modis impudentes mihi videntur, qui ea quæ vestra sunt sibi vendicent, tamen qui sint e legibus vestris vel in primis apparebit. Isti, cum judices capitatis damnaturi essent Arethusium, precabantur eos ut pecuniariam mulctam infligerent et me ut permitterem, seque una soluturos pollicebantur. Tantum autem abest ut præstant quæ spoponderunt, ut vestra etiam sibi vendicent. Atqui leges jubent ejus opes publicari, qui sponzionem pro re aliqua publica fecerit, nec solverit. Proinde, tametsi istorum essent mancipia, tamen ea publicari oportebat, si qua modo est legum auctoritas. Ac priusquam fieret ærarius Arethusius, in confessu erat

eum fratrum esse locupletissimum : postquam autem leges jubent illius fortunas vobis tradi, tum pauper exsistit Arethusius, atque alia sibi mater vendicat, alia soror. Decuit autem eos, si juste vobiscum agere vellent, declaratis omnibus illius facultatibus, si quis ea quæ sua essent descripsisset, ea sibi vendicare. Si igitur cogitabitis, nunquam defore qui vestra sibi vendicent,—aut enim pupillos aut pupillas subornabunt, et vestram misericordiam implorabunt, aut senectutem et inopiam et matris alimoniam commemorantes et deplorantes, per quæ vos facillime posse decipi putant, mulcta etiam rempublicam fraudare studebunt—, his igitur inquam neglectis omnibus, si eos condemnabitis, vestro eritis functi officio.

ARGUMENTUM ACTIONIS INJURIARUM CONTRA CONONEM OB VERBERA.

ARISTO Atheniensis Cononem verberationis accusat, se ab eo et ejus filio verberibus affectum esse conquerens, et ejus facti testes producens. Conon factum negat, et vicissim testes producit, quibus Demosthenes fidem habendam esse negat; quod et improbe vixerint, et expedite mentiri soleant.

DEMOSTHENIS CONTRA CONONEM

ACTIO INJURIARUM OB VERBERA.

1. QUUM essem contumeliis affectus et sic tractatus a Conone, Judices, ut longo tempore neque domestici mei neque medicorum quisquam me evasurum putarent, recuperata valetudine et præter opinionem conservatus, eum hoc crimine pulsationis postulavi. Cum enim omnes cognati et amici, quos consului, eum illis facinoribus et ut furem in carcerem abripi et publice contumeliam posse accusari dicerent, mihi autem suaderent et monerent ne graviora, quam ferre possem, susciperem, neve supra æstatem qua essem affectus injuriis actionem instituerem, sic feci; deque illorum sententia privatum judicium sum adeptus, quanquam cupidissime, Athenienses, istum rei capitalis reum fecisse. Atque huic acerbitate meæ vos omnes, auditis injuriis quæ mihi factæ sunt, veniam esse datus, satis scio: quanquam enim magna esset quam tum perpessus eram contumelia, non minor tamen post fuit istius improbitas. Peto autem et rogo vos pariter omnes, primum ut me de injuriis conquerentem benigne audiatis: deinde, si contra jura et leges tractatus esse videbor, ut me in meo jure adjuvetis. Exponam autem vobis ab initio rem omnem ordine, uti gesta est, quam potero paucissimis.

2. Abhinc triennium, custodia nobis denunciata, Panactum sum egressus. Habuerunt autem Cononis filii tabernacula prope nos, quod utinam factum non esset: primæ enim inimicitæ et offensæ inde nobis ortæ sunt, sicut audietis. Potabant isti quotidie, cum primum pransi essent, totos dies; idque, dum in præsidio fuimus, facere non destiterunt. Nos vero, ut hic soliti eramus, ita foris quoque degebamus. Qua igitur hora cœnam alii parare solent, ea

isti jam bacchabantur, plerumque in pueros nostros pedissequos, tandem etiam in nosmetipsos. Illos enim dum cibum coquerent fumo aut conviciis, quicquid eis in buccam veniebat, molestos sibi esse cum dicerent, et matulis petebant, et permingebant, neque ullum petulantiae genus aut contumeliæ prætermittebant. Quæ nos cum videremus et ægre ferremus, primum dissimulavimus: ut autem nos subsannabant neque desinebant, duci rem indicavimus, eumque communiter omnes contubernales convenimus, non ego seorsim ab aliis. Qui cum eos objurgasset et eorum væcordiam accusasset non ob ea solum de quibus nos questi eramus, sed propter omnia eorum in exercitu edita facinora, tantum absfuit ut desinerent aut erubescerent, ut, cum primum tenebrae factæ essent, statim in nos eodem die vesperi impetum fecerint. Ac primum maledixerunt, tandem verberibus etiam me affecerunt: et tantum clamorem et tumultum circa tentorium excitarunt, ut et dux et centuriones venirent et aliorum militum quidam, qui obstiterunt ne quid in nos gravius consulerent, aut a nobis paterentur, ea debacchatione irritatis. Re hactenus progressa, ut huc redivimus, iræ, ut fieri solet, inter nos et inimicitiae sane fuerunt. Non tamen ego vel in jus eos propterea vocando, vel ullam rationem habendam eorum quæ acciderant, putabam: sed illud omnino decreveram, cavere ac dare operam ne posthac in similes homines inciderem.

3. Exhibito igitur in primis de his, quæ dixi, testimonio, postea, quæ ab isto sim perpessus, ostendam, ut sciatis, eum, cui prima delicta castiganda fuissent, ipsum priorem multo atrociora commissee.

TESTIMONIA.

Quæ igitur prorsus negligenda esse duxi, hæc sunt. Non multo autem post deambulante me, pro more meo, vesperi in foro cum Phanostrato Cephisiense quodam æqualium, præterit Ctesias filius istius, ebrius, circa Leocorium, prope Pythodori ædes. Conspicatus autem nos, clamore sublato, secumque murmurans more hominis ebrii, ut non intelligeremus quid loqueretur, præterit Meliten versus adscendens: potarant autem ibi—sic enim postea accepimus—apud Pamphilum fullonem, Conon, Theotimus quidam, Archebiades, Spintharus Eubuli filius, Theogenes Andromenis filius, multi alii; quibus Ctesias concitatis in forum venit. Sic autem accidit, nobis a Proserpinæ fano revertentibus et deambulantibus, ut rursum prope ipsum Leocorium essemus, et in istos incideremus. Ut autem congressi sumus, unus eorum, quidam homo ignotus, in Phanostratum irruit eumque detinet: Conon autem et filius ejus et Andromenis filius, in me facto impetu, primum me exsuunt, deinde supplantatum et prostratum in cœnum sic tractarunt insul-

tando et contumeliose vexando, ut labrum discinderent, et oculos occluderent, et tam male affectum relinquerent, ut neque surgere neque loqui possem. Jacens autem multa ex eis et acerba audiebam. Ac cætera quidem convicia sunt, quorum quædam apud vos nominare erubescerem: quod vero insolentiæ Cononis signum et argumento est, ductu ejus et auspiciis facta esse omnia, id vobis dicam. Cantabat enim, gallos victores imitans: alii autem jubebant eum alarum vice latera cubitis plangere. Post hæc ego a prætereuntibus ablatus sum nudus: isti abierunt, veste mea raptæ. Ut autem ad fores veni, clamor et strepitus matris et ancillarum ortus est: unde me in balneum ægre perlatum et ablutum medicis ostenderunt. Hæc uti vera esse constet, testes vobis producam.

TESTES.

Accidit autem, Judices, ut et Euxitheus hic Chollides, nobis cognatus, et Midias alicunde a cœna cum illo rœdiens, mihi obviam facti, cum jam prope ædes essemus et in balneum ferrer, sequerentur, et medicum adducentibus adessent: eram autem adeo infirmus, ut, ne procul a balneo domum auferrer, iis qui aderant videretur me ad Midiam illa nocte esse ferendum; itaque fecerunt. Cape igitur et horum testimonia, ut videatis multos esse conscos, quibus injuriis ab istis sim affectus.

TESTIMONIA.

Cape et medici testimonium.

TESTIMONIUM.

4. Tunc igitur statim plagæ, quas acceperam, et contumelia eo me redegerunt, quemadmodum auditis et omnes ii qui me statim viderant testificati sunt. Post autem de tuberibus et ulceribus in facie se non adeo sollicitum esse dicebat medicus: febres autem me continuæ sequebantur, et cruciatus totius corporis perquam et vehementes et atroces, in primis vero laterum atque imi ventris, neque cibum capere poteram. Et ut medicus quidem affirmabat, nisi mihi, doloribus afflito et jam desperato, purgatio sanguinis ultiro copiosa supervenisset, me saniosum factum fuisse peritulum: nunc is sanguis recessu mihi suo saluti fuit. Hæc igitur vere a me dici, et talem morbum mihi subortum, qui me in extreum periculum conjecit, ex iis quas ab isto acceperam plagis, uti constet, medici testimonium et eorum qui me viserunt recita.

TESTIMONIA.

5. Mc igitur non mediocribus et levibus plagis acceptis, sed in extreum discimen adductum per istorum contumeliam et protervitatem, actionem multo quam conveniebat instituisse leviorem, perspicuum vobis arbitror esse factum : vestrum autem mirari quosdam existimo, quid tandem illud sit quod Conon ad hæc dicere sit ausurus. In primis igitur dicam vobis ea, per quæ cum audio, re a contumelia et iis quæ facta sunt abducta, operam daturum ut eam in jocum ludumque convertat, et multos esse in urbe honestorum virorum filios, qui ludibrii causa, ut homines adolescentes, varia sibi mutuo cognomina fecerint, quique alios priapos alios hellunes vocent, quorum nonnulli meretriculas adament ; ex eorum numero suum quoque filium esse, et sæpe ob scortum et dedisse et accepisse plagas ; et hæc esse adolescentum : nos vero fratres omnes tum ebriosos et protervos, tum morosos et acerbos esse dicturum.

6. Ego vero, Judices, cum acepta mala graviter feram, nihilo æquiore animo paterer neque, si diccre liceat, minore me affectum esse contumelia putarem, si Conon ista veræ in nos dicere videretur, eaque vestra ignorantia esset, ut unumquemque talem, qualis aut ipse prædicatione sua aut aliorum criminazione perhiberetur, existimaretis : neque ulla modestis hominibus quotidianæ vitæ et studiorum esset utilitas. Neque cnius nostra vel ebrietas vel protervitas ab ullo mortalium est conspecta : neque nos morose facere putamus, si factas nobis injurias jure ulcisci studeamus. Priaporum autem et helluorum cognomina istius filiis non invidemus : atque ego deos precor, ut in Cononis filios et hæc et hujus generis omnia vertantur. Isti enim sunt qui se Priapo initient, et ea agant, quæ ne dici quidem sine magno pudore queunt, tantum ab homine modesto fieri debeant.

7. Sed quid ista ad me ? Ego vero mirabor, si ulla causa aut excusatio talis invenietur, ut aliquis et factæ contumeliæ et pulsationis convictus non det poenas. Leges enim longe contra, ne vel necessariæ causæ plures inciderent, providerunt, veluti—necesse enim habeo et hæc quærere et sciscitari—sunt convicci aetiones : eas igitur dari propterea dicunt, ut ne convicciis incensus aliis alium verberare instituat. Rursus pulsationis actiones sunt : eas etiam audio propterea dari, ne quisquam, si sit imbecillior, lapide aut simili aliquo telo se defendat, sed vindictam legum exspectet. Sunt et vulneris actiones, ne quibus vulneratis cædes fiant. Convicium, quod minimum est, ante postremum et atrocissimum ea de causa provisum est opinor, ne cædes fieret, neve paullatim a convicciis ad verbera, a verberibus ad vulnera, a vulneribus ad cædes pro-

cederetur: et horum cujusque legibus definita sunt supplicia, ne ea cuiusvis iracundia aut arbitratu judicarentur. Et hæc quidem constituta sunt legibus: at si Conon dixerit, priapi sumus nos quidam congregati, et amatores, et quos nobis visum est verberamus et jugulamus, vos eos cum risu absolvetis? Non sane opinor. Neque enim vestrum cuiquam ridere libuisset, si præsens affuisset, cum traherer et exsuerer et contumeliis afficerer, et sanus egressus domum reportarer; et mater mea post exsiliret, et tantus esset apud nos clamor et luctus mulierum, perinde ac si quis obiisset, adeo ut et vicinorum quidam ad nos mitterent, qui percontarentur quid nobis accidisset.

8. Nullo certe modo, Judices, decet cuiquam ulla de causa facultatem et licentiam dari a vobis impune pro libidine sua grassandi: sin ulli venia danda est, iis, qui propter ætatem aut adolescentiam tale quid agunt, ea confugia reservanda sunt, atque his ipsis non ad impunitatem, sed ad legitimæ pœnæ mitigationem. Qui autem quinquagenario major hominibus junioribus adest, iisque filiis, eos autem adeo non deterret aut prohibet, ut ipse dux et auctor et omnium væcordissimus sit, quo iste digno factis suis suppicio afficietur? Evidem si interficiatur, nondum justas dedisse pœnas existimo. Etenim si nihil ipse commisisset, sed si, eo adstante, Ctesias filius ejus ea, quæ nunc fecit, designasset, eum justo odio prosequeremini. Si enim sic educasset filios suos, ut in conspectu ejus committere ea præsertim, quorum nonnulla capite sancita sunt, neque timerent neque erubescerent, quam pœnam non meruisse existimatis? Ego enim inde colligo ne istum quidem suum coluisse patrem. Nam si eum ipse coluisset ac metuisset, idem et ab istis sibi tribui postularet.

9. Cape legem de contumelia, et alteram de grassatoribus: istos enim in harum utramque commisisse videbitis.

LEX.

His legibus utrisque Cononi suis istis factis tenetur: nam et contumeliam fecit, et vestibus spoliavit. Quas si in ulciscendis istis usurpare noluimus, et nos homines quieti modestique videri debeamus, et iste æque improbus. Quod si quid mihi accidisset, cædis et gravissimarum pœnarum esset reus. Brauronie certe sacerdotis patrem, qui ut in confessu fuit ipse imperfectum non attigerat, sed imperfectorem cohortatus fuerat ut cædcret, ejicit in exsilium senatus ex Areopago. Merito. Si enim ii qui adsunt adeo non prohibent eos, qui vel per ebrietatem vel ex iracundia vel alia quapiam de causa peccare instituunt, ut ipsi etiam incitent, nulla spes salutis superest ei qui in homines petulantes inciderit, sed tamdiu eorum screnda protervitas erit, dum ipsi defatigentur: id quod mihi accidit.

10. Jam quid, cum arbitrium fieret, egerint, vobis explicabo : nam vel inde istorum petulantiam perspicitctis. Noctis enim pene intempestæ captato tempore, neque testimonia legere nequæ exempla dare voluerunt, atque eorum qui nobis aderant singulos ad aram adduxerunt, et jurarunt et testimonia scripserunt nihil ad rem attinentia, sed hujus generis, ex meretrice sibi natum eum puerum et per pessum esse haec et haec, quæ mediussfidius, Judices, nemo qui aderat non et vituperabat et ægre ferebat : denique isti etiam ipsi invisi fiebant. Tandem jam defatigati et satiati istis ineptiis, profitentur, eludendi causa et eo ne echini signarentur, dedere velle se de plagis servos, scriptis eorum nominibus : et nunc opinor hac de re plurima verba facturi sunt. Ego vero vobis omnibus illud considerandum censeo, istos, si propterea provocassent ut quæstiones haberentur et eo jure fricti fuisserent, non, cum jam arbiter ferret sententiam, noctu, cum nulla causa reliqua esset, fuisse provocaturos : sed primum, ante actionem institutam, dum ego ægrotus decumbebam et ignarus an evasurus essem apud omnes qui me visebant profitebar istum pri mun verberasse, et plurimarum contumeliarum quas percessus fueram auctorem esse, tum statim multis testibus adhibitis ad ædes venire debuit, tum servos tradere, tum aliquos ex Areopago accersere. Si enim obiissem, apud illos causa agenda fuisse. Quod si illud ignoravit, et hoc jure fretus, ut nunc dicet, se ad tantum periculum non paravit: saltem postquam surrexeram eumque jam accusabam, in primo congressu apud arbitrum tradidisset. Quorum iste nihil fecit. Ut autem me vera dicere, atque eludendi gratia comparatam fuisse provocationem, constet, recita hoc testimonium, ex quo id erit perspicuum.

TESTIMONIUM.

Ac quod ad quæstiones attinet, memineritis et horæ qua provocavit, et quibus de causis id fecerit, ut prima tempora eluderet, quibus illud jus eum nusquam voluisse procedere constat, neque vel provocasse, vel postulasse.

11. Quæcum omnia coarguerentur apud arbitrum, quemadmodum et apud vos, aperteque ostenderetur eum teneri criminibus omnibus, interponit falsum testimonium, et testes inscribit, quos nec vobis ignotos fore censeo, postquam audieritis :

Diotimus Diotimi F. Icariensis, Archebiades Demotelis F. Alæensis, Chæretimus Charimenis F. Pitthensis, testificantur se abiisse a cœna cum Conone, et accessisse in foro ad Aristonem et filium Cononis pugnantes, et non conseruisse manus Cononem et Aristonem :

quasi vero continuo credituri essetis, et veritatem haud consideraturi, primum neque Lysistratum, neque Paseam, neque Niceratum, neque Diodorum, qui palam testificati sunt se vidisse me a Conone verberari, et vestibus exsui, et cæteris quas perpessus sum contumeliis affici, homines ignotos quique fortuito rei intervenirent, unquam fuisse commissuros ut falsa testificantur, nisi me ita mulctatum vidissent: deinde cui fit verisimile me, nisi ab isto fuisse hoc modo læsus, omissis iis a quibus ipsi me verberatum esse confitentur, contra eum qui nec attigisset venire primum instituisse? Cur enim? quave de causa? Non ita est, sed eum, a quo primum verberatus sum maximisque contumeliis affectus, et accuso, et odi, et persequor. Ac quæ ego dico, uti re ipsa vera sunt omnia, ita etiam esse vera videntur: iste autem, nisi testes istos produxisset, quod diceret non haberet, sed e vestigio tacitus damnari potuisset. Cum autem ejus combibones sint et multorum talium facinorum socii, haud ab re falsum in ejus gratiam testimonium dixerunt. Quod si res eo redierit, ut, si qui semel frontem perfriuerint et aperte falsa testificari ausi fuerint, nulla futura sit veritatis utilitas, indigna res erit.

12. At hercule non sunt tales? Imo norunt vestrum, ut opinor, multi et Diotimum et Archebiadum et Chæretimum incanum illum, qui cum interdiu frontem corrugent, et Laconum imitatores videri velint, et lacernas induant, et simplis soleis utantur, postquam congregati sunt et inter sese coiere, nullum sceleris et flagitiæ genus prætermittunt. Quorum hæc splendida et magnifica verba sunt: An non aliis alii mutua testimonia dicemus? An non hæc sodalium et amicorum officia sunt? Quid vero grave contra te afferet? Vapulare quidam eum se vidisse dicent? nos vero te prorsus non attigisse eum testificabimus. Spoliatum esse vestibus? id illos fecisse priores nos affirmabimus. Consutum esse labrum? nos caput nobis aut aliud quippiam esse comminutum dicemus.—Ego vero medicos. testes exhibeo. Id quod illi, Judices, non habent. Exceptis enim iis quæ ipsi inter se conferunt, nullius testis contra nos copiam sunt habituri: quanta vero eorum sit et qualis ad omne facinus audacia, equidem ita me dii ament, dicere nequeo. Ut autem sciatis, qualia facinora passim designent, recita hæc testimonia, tu vero siste aquam.

TESTIMONIA.

Cum igitur parietes perfodiant et in obvios grassentur, num dubitatur vobis videntur mutuum in tabellula prescribere testimonium? num a tanto et tali odio et improbitate et impudentia et contu-

melia alieni? Hæc ego certe in eorum factis inesse puto omnia. Etsi autem his alia graviora designarunt; nos tamen exquirere non possumus omnes eos qui affecti sunt injuriis.

13. Quam autem impudentissimam ejus orationem fore audio, de ea vos præmoneri præstat. Aiunt eum liberis suis adductis in eorum capita juraturum, et imprecationibus diris et atrocibus eos devoturum, et talibus ut eas quidam qui audierat portenti loco nobis retulerit. Insuperabilia sunt, Judices, talis audaciæ commenta: nam optimus quisque, opinor, et minime ipse mendax, talibus præstigiis facillime decipitur. Sed tamen tantisper sustinendus est assensus, dum vita et mores considerentur. Istius autem in hujusmodi rebus levitatem ego vobis exponam, qui necessario perquisivi.

14. Audio, Judices, Bacchium quendam a vobis imperfectum, et Aristocratem cui oculi sunt eruti, et alios similes, et Cononem, in adolescentia socios fuisse, et Triballos cognominatos: eos et Hecatæ comesse cœnas, et testiculos porcellorum, quibus cœtum purgant antequam in theatrum ingrediantur, undique collegisse et convivia celebrasse; et facilius cum jurasse tum pejerasse, quam quidvis aliud fecisse. Non igitur Cononi juranti his moribus est habenda fides—neque multis verbis est opus—, nam qui vel secundum leges sancti juraret nihil, is certe per liberos, quod interdictum est, jurare non cunctabitur: at bonus quidem vir etiam legitimum jusjurandum dat invitus; potius autem quam isto descenderet quidvis mallet perpeti: si autem jurare omnino necesse est, is qui ita jurat ut receptum est, plus fidei meretur eo qui liberos devovet et per ignem jurat. Ego vero, Conon, cui propter omnia plus est habendum fidei quam tibi, jusjurandum hoc dare volui, non, ut impune ferrem delicta, cum nihil tale factitem, qualia tu, sed propter veritatem et ne contumeliis afficerer, non ut perjurio causam vincarem. Recita provocationem.

PROVOCATIO.

Hæc ego et tum jurare volui, et nunc juro per deos deasque omnes vestra causa, Judices, et coronæ circumstantis, me omnino a Conone perpessum ea quæ conqueror, et accepisse plagas, et discissum mihi labrum ita ut consuendum fuerit, et contumeliis affectum, hoc judicio illum accusare. Quod si sancte juro, multa mihi bona eveniant, neque in posterum quicquam tale accidat: sin pejero, funditus peream et ipse, et si quid mihi aut est aut futurum est. Sed non pejero, etsi Cononi ilia rumperentur.

15. A vobis igitur peto, Judices, quoniam vobis quæ æqua sunt omnia exposui, et jurejurando firmavi, ut quemadmodum unusquisque vestrum in simili causa eum a quo Iæsus esset odisset, ita et propter me Cononi irascamini; neque quicquam horum privatum putetis, quod cuivis accidere potest, sed, cuicunque acciderit, eum juvatote et quod justum est tribuitote; et infensi estote hominibus ante facinora confidentibus et temerariis, in defensione facinorum impudentibus et improbis, qui neque existimationis neque morum neque ullius rei rationem habent, modo impune abeant.

16. At supplicabit et lamentabitur Conon. Spectate vero, uter sit miserabilior, is ne qui ita est mulctatus ut ego mulctatus ab isto sum, si insuper cum infamia et inultus recessero, an Conon, si pœnas dederit? Utrum vero vestrum cuique prodest, ut verberare et insultare liceat, an contrarium? Evidem contrarium arbitror. At si absolveritis, multi homines protervi erunt: si punieritis, pauciores.

17. Multa commemorare possem, Judices, quam utilem operam et nos naveamus, et pater dum vixit navarit, tum triremibus instruendis tum militando tum imperatis faciendis: quam et iste et sui nihil. Sed nec aquæ satis est, neque nunc hoc agitur. Quod si nos istis et inutiliores et improbiores essemus, non tamen propterea vel verberandi vel afficiendi contumeliis essemus. Non video plura dicere quorsum attineat: puto enim vos nihil eorum ignorare quæ diximus.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS CALLICLEM DE PRÆDIO.

CALLICLES, adversus quem inscribitur oratio, et is qui ab eo fuerat accusatus, prædia vicina habuerunt, quæ via interjecta dirimebantur. Imbre autem ingenti orto, aqua de via in prædium Calliclis illapsa damnum ei dedil. Quapropter is cum vicino damni dati agit. Ait enim in Tisiæ prædio fossam ad aquam de via illabentem excipiendam fuisse factam: quæ nunc obstructa sibi damni causa fuerit. Tisiæ vero filius primum ostendit vetus id esse opus, et non a se factum: eam enim fossam, etiam vivente patre Calliclis, a Tisia fuisse obstructam. Deinde asserit, non esse fossam eum locum. Extenuat etiam damnum Callicli datum, ut parvum et non tanta lite dignum: alque omnino ullam ei factam esse negat injuriam, sed prædium suum appeti a Callicle dicit, eaque de causa omnes calumnias adhiberi.

DEMOSTHENIS ADVERSUS CALLICLEM DE FUNDO ORATIO.

1. NIHIL profecto molestius est, Athenienses, quam in vicinum improbum et avarum incidere, id quod mihi nunc usuvenit. Callicles enim prædia mea desiderans, ita obstinate me calumniari pergit, ut primum consobrinum suum subornarit qui ea sibi vendicaret: palam autem convictus, refutato per me eorum commento, rursus in duabus me causis arbitri sententia condemnavit absentem, altera ipse mille drachmis, altera fratre Callistrate impulso. Precor autem vos omnes ut me audiatis et diligenter attendatis, non quod ipse dicendi sim peritus, sed ut vos ex ipsis rebus cognoscatis, mihi palam injuriam fieri.

2. Una autem mihi, Athenienses, contra omnia istorum verba defensio est. Quod prædium illud pater meus maceria sepsit prius ferme quam ego natus sum, et vivente adhuc Callippide patre istorum et vicino, qui rem certius norat quam isti, et Callicle jam adulto atque Athenis versante: annis autem illis omnibus nemo venit, qui vel accusaret vel quereretur—quanquam haud dubie tum etiam sæpe imbræ fuerunt—, vel prohiberet omnino, si quem pater sepiendo nostro prædio lædebat, imo nec vetuit, nec testificatus est quisquam, quum pater meus annos amplius quidecum superstes fuerit, neque his pauciores pater istorum Callippides. Atqui, Callicles, licuit vobis tum profecto, cum fossam obstrui videretis, venire

statimque indignari et dicere ad patrem, Tis ia cur istud facis? obstruis fossam? jam aqua in nostrum prædiū irruit. Ut, si desistere voluisset, nihil molestum inter vosmet ipsos intercessisset; sin noluisset, ac tale aliquid accidisset, testibus iis qui tum affuissent uti licuisset. Ac medius fidius te ostendere oportuit omnibus hominibus esse fossam, ut non verbis tantum, ut nunc, sed reipsa, patrem injuriæ convinceres. Horum autem nihil quisquam vestrum unquam præstare voluit. Neque enim absentem, ut me nunc, damnassetis, neque columnis vestris quicquam profecissetis: sed si tum testem adduxissetis eoque præsente reclamassetis, ille ut qui rem compertam haberet, horum singulis ita uti sunt declaratis, facile mercenarios testes refutasset. Vos autem me, nimirum hominem hac ætate et rerum imperitum, omnes contempsistis. Verum ego contra istos omnes, Athenienses, ipsorum facta quæ firmissima testimonia sunt exhibebo. Cur enim nemo eorum vel testificatus vel conquestus est, imo cur nullum unquam verbum fecerunt, cur satis habuerint eas injurias quibus afficerentur negligere?

3. Ad istorum igitur accusationem refutandam vel hæc satis esse multa arbitrор: nt autem sciatis, Athenienses, de aliis etiam, patrem nec sepiendo fundo quicquam peccasse, et istos omnia falso in nos dixisse, dilucidius vos edocere conabor. Fundum nostrum esse proprium isti etiam confitentur: quod cum ita sit, Athenienses, inspecto fundo potissimum cerneretis columniam mihi fieri. Quamobrem etiam ego arbitris æquis rem permittere volui; non isti, ut nunc dicere audent: perspicuum autem et hoc statim vobis erit omnibus. Attendite modo, Athenienses, per deos vos oro animum. Via inter meum et istorum fundum interest: cum autem mons undequaque prædia cingat, fit ut aqua defluens partim in viam, partim in prædia, feratur. Eaque, si quando in viam irruerit, qua exitum habet, deorsum per viam fertur, qua autem aliquid obsistit, ibi eam exaggeratam in fundos redundare necesse est. Atque adeo in hunc fundum, Judices, facta inundatione, contigit aquam irruere: sed neglectum, patre meo nondum tenente, sed homine cui loca hæc omnino displicebant et magis urbano, atque inundatio bis aut ter fundos vastavit ac potius eos ut viam complanavit. Quod pater cum videbat, ut ego ex iis qui norunt audio, ac vicini et depascerent et iter per fundum facerent, hac maceria circumdedit.

4. Hæc ut vera esse vobis constet, cum testes eos producam qui rem norunt, tum argumenta, Athenienses, testibus multo firmiora. Callicles ait me, obstructo alveo, damnum sibi dedisse: ego vero fundum eum esse, non alveum, ostendam. Quod ni concederetur nostrum esse proprium, in eo fortasse peccaremus, quod locum publicum exstrueremus: nunc neque de eo litigant, et fundus consitus

est arboribus, vitibus, et ficsis. Quis vero eas in alveo inserere velit? Nemo profecto. Quis autem in eo loco majores suos sepeliret? Ne id quidem quisquam faceret opinor. Atqui, Judices, utraque hæc contigerunt: nam et arbore plantatæ fuerunt priusquam pater meus sepem circumdaret, et monumenta vetera prius etiam quam nos agrum emissemus facta. Quæ firmior, Athenienses, afferri probatio queat? Res enim ipsæ omnem controversiam tollunt. Cape jam testimonia, et recita.

TESTIMONIA.

Auditis, Athenienses, testimonia? Nonne vobis aperte affirmare videntur, et fundum arboribus esse refertum, et habere monumenta quædam, et cætera, quæ in aliis fundis esse solent? atque iterum septum fuisse fundum, vivente adhuc patre istorum, non adversantibus vel istis, vel ullo vicinorum?

5. Operæ pretium autem est, Judices, etiam cætera, quæ Callicles dixit, audire. Atque considerate primum an vestrum quisquam vel viderit vel audierit unquam iuxta viam esse alveum? Evidem arbitror in hac tota regione esse nullum. Quamobrem enim quisquam aquæ per publicam viam impetu abituræ alveum per suum fundum fecisset? Deinde quis quæso vestrum sive in agro, sive in urbe, per viam fluentem aquam in fundum suum aut ædes recipere? Non contra potius omnes, si quando violenter ingruerit, excludere atque obstruere solemus? Iste vero postulat ut aquam de via in meum fundum recipiam, et, cum ea ad istius fundum accesserit, ut rursus in viam derivem. Proinde quisquis post istum fundum habet rursus me accusabit: eandem enim profecto quam iste et ille causam omnes afferre poterunt. Atqui si in viam educere aquam dubitabo, confidenter scilicet eam in vicinum fundum emitam. Quum enim nunc mulctæ constitutæ legibus a me petantur, quod aqua de via in istius fundum irruit, quid quæso mibi facient illi quibus aqua e fundo meo ejecta nocitura est? Quando autem aquam exceptam nec in viam nec in agros emittere licebit, quid reliquum erit, Judices? Nec enim utique me coget etiam Callicles eam ebibere.

6. Hæc ego cum feram, et multa alia peracerba, tantum abest ut pœnas de eis sumam, ut bene mecum agi putarem si non insuper mulctarer. Nam si, Judices, alveus esset qui olim aquam accepisset, eamque ego non exciperem, fortasse peccarem, quemadmodum in aliis quibusdam vicinis prædiis sunt alvei, de quibus constat, quibus aquam primus quisque excipit, quemadmodum torrentes qui ex ædibus educuntur, ab illis porro eandem alii similiter excipiunt: hanc vero neque mihi dat nec a me accipit quisquam.

Qui igitur alveus esse potest? Aqua autem quæ irrupit sœpe nimis nocuit multis incantis, nocuit nunc isti etiam. Quod autem omnium iniquissimum est, Calicles, cum aqua in suum fundum irrupit, ingentibus saxis eum obstruxit: quod autem pater, cum idem suo fundo accidisset, septum fecit, quasi in eo peccasset, mihi dati damni actionem impegit. Quod si omnes quibus aqua istac defluens nocet me accusabunt, etiamsi fortunæ meæ multiplacentur non omnibus potero satisfacere. Tanto autem isti sunt aliis iniquiores, ut nullo damno affecti, ut ego vobis statim ostendam, cum aliis multa et magna damna data sint, soli ipsi mihi negotium facessere ausint: etsi quibusvis id potius facessere licuisset. Nam isti, ut maxime aliquid eis acciderit, ipsi sua culpa læsi me calumniantur: illi autem, ut nihil aliud, at nullum tale crimen habent. Sed, ne rerum ordine perturbato simul dicam omnia, cape mihi vicinorum testimonia.

TESTIMONIA.

Nonne indignum est, Judices, cum hi, tantis damnis factis, neque ullus aliis ex iis quibus adversa acciderunt, quicquam querantur, sed æquo animo fortunam ferant, istum calumniari? quem ipsum delinquisse primum, quod foras educta maceria viam angustiorem fecit, ut arbores quæ in via fuerant amplecteretur, deinde quod eluvie in viam projecta viam exaggeravit et coarctavit, e testimoniis statim evidentius cognoscetis: jam eum nihil perdidisse nullumque fecisse damnum quod alicujus momenti sit, et tamen tantam contra me actionem instituisse, mox ostendere conabor.

7. Cum mea mater istorum matre familiariter uteretur, priusquam isti me calumniari cœpissent, et altera ad alteram accederet, ut fieri solet, cum ambæ et ruri habitarent et inter se vicinæ essent, et inter viros etiam dum vivebant familiaritas intercederet: cum igitur mea mater ad istorum matrem venisset, atque illa calamitatem deploraret,—nos ita audivimus omnia, Judices: quod si dico quæ de matre audivi, sic mihi multa bona eveniant, sin mentor, contraria horum,—ea se omnino vidisse et ex istorum matre audiisse dicebat, hordei commaduisse, quos ipsa siccari vidisset, tres medimnos, farinæ circiter semimedimnum, olei avectam esse amphoram eam dixisse, neque tamen ei quicquam accidisse. Tantas isti clades acceperunt, Judices, pro quibus mille drachmarum mulctam legum auctoritate a me petunt. Neque enim, si parietinæ veteri domicilium imposuit, id mihi quoque imputandum est, quod neque corruit, neque quicquam gravius passum est. Quare si faterer me eis omnium malorum auctorem esse, tamen quæ commaduerint hæc fuerunt.

8. Cum autem pater nec ab initio, cum fundum muniret, eis injuriam fecerit, nec isti unquam questi sint, tanto tempore interjecto, et alii, multis et magnis affecti damnis, nihil plus me accusent, vosque omnes aquam ex ædibus et fundis in vias educere soleatis, non ita me amet Jupiter eam quæ in via est intro admittere, quorsum plura dicenda sunt? Neque enim ex his obscurum est, mihi manifeste calumniam fieri, quum neque injuriam illis faciam, neque cum eis tam male actum sit ut dicunt.

9. Ut autem sciatis, eos et eluviem in viam projecisse; et, sepe circumductam, viam angustiorem effecisse; et me istorum matri jusjurandum detulisse, et a mea postulasse ut idem jusjurandum daret, cape mihi hæc testimonia et provocationem.

TESTIMONIA. PROVOCATIO.

Quid istis hominibus fieri possit impudentius? quæ calumnia manifestior? qui, quum ipsi sepem produixerint et viam exagge rarint, alios dati damni accusant, et mille drachmas dari sibi ex legibus omnino postulant, quorum universa jactura non est quinquaginta drachmarum? Atqui considerate, Judices, quam multorum agris ab aqua damnum datum sit, partim Eleusine partim aliis in locis: neque tamen, o dii immortales, eorum quisque damnum a vicinis pensari sibi postulat. Ac ego quidem, quem indignari oportebat, propter viam et angustiorem et altiorem factam, quiesco: istis autem ea licentia datur, si ita fit, ut affectos injuriis etiam calumnientur. Atqui, Callicles, si vobis munire licet vestrum fundum, nobis utique nostrum quoque licuit: sin pater meus muniendo vobis injuriam fecit, et vos nunc mihi facitis injuriam sic muniendo. Cum enim vester fundus magnis saxis munitus sit, satis appareat, aquam rursus in meum fundum venturam: post, si ita ceciderit, inopinato murum prostraturam. Sed ego propter hoc eos nihil magis accuso, sed fortunam boni consulo, et ut mea tuear operam dabo. Nam et istum, qui sua sepiat, sapere; quod autem mihi litem movet, et improbissimum et mentis errore affectum esse, existimo.

10. Ne vero miremini, Judices, istius improbitatem, neque in impingendo falso crimine audaciam: Nam prius etiam, cum consobrino suo persuasisset ut mihi litem moveret de fundo, pactiones commentitias protulit, et nunc ipse me alio judicio absentem condemnavit arbitri sententia, Callari nomine qui unus est e servis meis. Nam præter alia scelera etiam hoc commentum excogitau runt: Callarum ejusdem criminis reum agunt. Quis autem servus injussu domini agrum septo circundaret? Cum autem quod Callaro objiciant nihil aliud habeant, propter id septum, quo facto pater

annos amplius quindecim vixit, eum in jus vocant. Quod si ego prædiis his cessero aut venditis aut cum aliis prædiis permutatis, nihil injusti facit Callarus: sin istis condonare mea nolo, summis a Callaro injuriis afficiuntur, atque etiam arbitrum quæritant, qui eis fundum adjudicet; et tales transactiones, per quas fundos obtineant. Et quidem, Judices, si insidiatores et calumniatores meliore conditione sunt, nihil proderunt ea quæ diximus: sin vos et tales oderitis, et justa decernetis, cum Callicles nec perdiderit quicquam nec ulla sit affectus injuria vel a Callaro vel a patre, non video quorsum attineat plura dicere.

11. Ut autem sciatis, eum prius etiam meis fundis insidiantem, consobrinum suum subornasse, et nunc altero hoc judicio Callarum arbitri sententia condemnasse, ut mihi insultet, quod eum hominem magnificatio, et Callaro etiam dixisse diem, harum omnium rerum testimonia vobis recitabuntur.

TESTIMONIA.

12. Ne igitur per deos oro, Judices, me istis hominibus condonetis insontem. Neque enim mulcta me tantopere solicitat, quamquam ea gravis est omnibus qui re sunt tenuiore, quantum illud, quod me ita exagitant et calumniantur ut exterminaturi esse municipio videantur. Ut autem appareret nos nullam facere injuriam, parati fuimus et arbitros sumere rei gnaros, æquos homines ac neutrīs addictos, et legitimū dare jusjurandum: nec enim alia firmiora nos exhibituros vobis argumenta putavimus, qui ipsi jurati essetis. Cape et provocationem et quæ adhuc reliqua sunt testimonia.

PROVOCATIO. TESTIMONIA.

ARGUMENTUM ACTIONIS CONTRA DIONYSODORUM DATI DAMNI.

DARIUS et Pamphilus Dionysodoro mutuant ter mille drachmas, ut in *Ægyptum* navigel, atque inde rursus Athenas, pignori accepta nave: perscribunt etiam in pactione usuras quas deberet, Athenas reverso Dionysodoro, recipiendas. Dionysodorus rediens ex *Ægypto*, Rhodum appulsa nave, illic merces exposuit, propterea, ut ipse quidem ait, quod navis rupta et putris esset: ut autem Darius, quod audisset laxatam Athenis annonam. Naven enim esse integrum, et adhuc etiam navigare ait. Creditores igitur accensant Dionysodorum violatae pactionis, quod pignus, hoc est navem, non palam exhibuerit: et ab eo repetunt promissas usuras integras. Is vero recusat omnes reddere.

DEMOSTHENIS CONTRA DIONYSODORUM DATI DAMNI ACTIO.

1. **SOCIUS** ego sum, Judices, et particeps mutuo datae pecuniae: usuvenit autem nobis, qui per mare negotiari decrevimus et nostram pecuniam aliis credimus, ut illud certo sciamus, debitorem in rebus omnibus esse meliore quam nos conditione. Is enim, accepta pecunia manifesta et certa, in tabellula duobus terunciiis empta et libellulo admodum exiguo confessionem relinquit qua se quæ æqua sint facturum testatur: nos autem non pollicemur daturos, sed mutuanti statim damus pecuniam. Qua igitur eam refrei, quo confisi pignore, amittimus? Vobis, Judices, et legibus vestris, quæ jubent, quæ alter alteri ultro promiserit, ea rata esse. Cæterum mihi neque legum, neque syngraphæ ullius ulla videtur esse utilitas, nisi is qui pecuniam accipit vir omnino sit bonus, quique aut vos metuat, aut eum quicum contraxit vereatur. Quorum neutrum est in Dionysodoro: qui eo venit audacie, ut, cum a nobis ad navem ter mille drachmas ea conditione sit mutuatus, ut navem Athenas reduceret, cumque superioris anni æstate nostrum nobis reddendum fuisse, navem Rhodum appulerit atque illic exoneratas merces contra et tabulas vendiderit et leges vestras, Rhodoque rursus in *Ægyptum* miserit navem atque inde Rhodum, nobis vero qui Athenis ei pecuniam credidimus ne nunc quidem vel pecuniam reddat vel pignus exhibeat, sed quamvis annum jam alterum nostro fruens, tum mutuum tum quæstum tum navem nobis

oppigneratam habeat, nihilominus in conspectum vestrum prodi-
erit, nobis pœnam temere litigantium nimirum irrogaturus et in
domicilium plebis conjecturus, fraudasse non contentus. Oramus
igitur, Athenienses, et obtestamur vos pariter omnes ut nos juvetis,
si affici videmur injuriis. Principium autem contractus primum
vobis explicabo: sic enim vos quoque causam rectissime intelligetis.

2. Dionysodorus, Athenienses, et socius ejus Parmeniscus con-
venere nos anno superiore mense Quintili, seque mutuari velle ad
navem dixerunt, iis conditionibus ut in *Ægyptum* navigarent et ex
Ægypto Rhodum aut Athenas, stipulati se usuras in alterutro ho-
rum mercatum soluturos. Nobis autem respondentibus, Judices,
nos haudquaquam in alium mercatum quam Athenas mutuatueros,
sic pollicentur se hoc navigatueros, atque his pactis mutuantur a
nobis ad navem ter mille drachmas ultro citroque, et ea de re syn-
grapham conscripserunt. In pacto igitur creditor inscriptus est
Pamphilus, ego vero extra syngrapham particeps cum eo creditæ
pecuniæ fui. In primis autem vobis syngrapha ipsa recitatibus.

SYNGRAPHÆ.

Ex hac syngrapha, Judices, acceptis a nobis pecuniis, Dionyso-
dorus et socius ejus Parmeniscus navem hinc in *Ægyptum* mise-
runt: ac Parmeniscus in nave est vectus, iste hic remansit: Fue-
runt enim, Judices, ne hoc ignoretis, ministri et adjutores Cleo-
menis illius qui in *Ægypto* imperavit, qui, ex quo principatum
suscepit, non paucis malis affectit rempublicam vestram, ac potius
reliquos etiam Græcos emendo et revendendo et pretio frumenti
statuendo, cum ipse per se tum isti cum eo. Nam eorum alii merces
ex *Ægypto* mittebant, alii ad negotiationem adnavigabant, alii hic
manebant allatas merces distracturi. Deinde pro constituto pretio
literas mittebant ii qui hic erant iis qui aberant, ut, si apud nos
carum esset frumentum, huc veherent: sin vilius esset factum, ad
alium mercatum appellerent. Unde annonæ pretium, Judices, non
parum auctum est per tales literas et mutuas operas.

3. Cum igitur hinc mitterent navem, satis carum frumentum re-
liquebant: quamobrem etiam in syngrapham inscribere non recusa-
runt se Athenas navigatueros, et in nullum alium mercatum. Post,
Judices, cum Sicilienses naves appulissent, et frumenti pretia pau-
latim minuerentur, et navis istorum in *Ægyptum* pervenisset,
statim iste quemdam Rhodum mittit ad Parmeniscum socium qui ei
nostratis annonæ rationem explicaret, satis enim sciebat navem
necessario Rhodi appulsuram. Ut finiam, acceptis ab isto Par-
meniscus literis, et statu hic frumenti pretio cognito, frumentum
Rhodi exonerat, ibique distrahit, neglecta et scriptura, Judices,

et mulctis quas ipsi in se statuerant, si quid violassent, neglectis item legibus vestris, quæ jubent navicularios et vectores in eum appellere mercatum de quo inter ipsos convenerit, sin aliter fecerint, maximis teneri poenis.

4. Nos, cum primum id factum audivimus, ea re perculsi, istum totarum insidiarum architectum convenimus, indignantes, ut par est, et conquerentes nos, cum in pactione verbis apertis pepigissimus, ne navis usquam alio quam Athenas appelleret, eaque conditione pecuniam credidissemus, ab eo in suspicionem adductos apud eos qui nos criminari vellent et dicere, nos quoque fuisse socios frumenti Rhodum vecti, graviter ferentes, quod navem in nostrum mercatum, ut pacti essent, non perduxissent. Cum autem de syngrapha et de jure disputando nihil proficeremus, saltem mutuum et usuras ab initio promissas reddi nobis postulavimus. Iste autem ita insolenter nobiscum egit, ut usuras in syngrapha scriptas se daturum negaret: si autem vultis, inquit, accipere partem emensæ navigationis, dabo vobis usuras Rhodum usque, plures non dabo; sic ipse sibi leges sanciebat, non in syngrapha perscriptis conditionibus parebat. Ut vero nos nihil istorum concessuros diximus, reputantes, si id faceremus, visum iri et nos Rhodum vexisse frumentum, magis etiam instabat iste multisque testibus adhibitis accedebat, se paratum esse dicens ad reddendam et sortem et usuras Rhodum usque, non quod in animo haberet, Judices, quicquam reddere, sed quod existimabat nos pecuniam non accepturos ad vitandam suspicionem. Idque res ipsa declaravit.

5. Postquam enim, Athenienses, vestrorum civium quidam, qui forte fortuna intervenerant, nobis suadebant ut quod daretur acciperemus, de controversiis in judicium veniremus, usuras autem Rhodias non admitteremus donec judicium fieret, nos illa concedebamus, non ignari, Judices, quid ex syngrapha nobis deberetur, sed existimantes damni aliquid faciendum et concedendum esse, ne lites sequi videremur: sed iste, ut nos ad rem accedere vidit, tollite igitur, inquit, syngrapham. Nos tollamus? nos nihil minus facturos respondemus: sed quod ad nummos attineret, quod redderet, antiquaturos coram mensario syngrapham, universam autem non antiquaturos, antequam de controversiis disceptatum esset. Quo enim jure, quo controversiae firmamento niteremur, sive ad arbitrum, sive ad judicem ventum esset, syngrapha sublata, in qua fundamenta nostri juris sita essent? Hæc nobis dicentibus, Athenienses, et a Dionysodoro potentibus ne syngrapham commoveret, nec irritam faceret quam et ipsi ratam habuissent et confirmassent, sed tantum pecuniæ quantum ipse obtulisset redderet, de controversiis autem paratos esse nos, sive uni sive pluribus ipse vellet in mercatu judicium permettere, recusavit Dionysodorus omnia, et, cum syngra-

pham totam non aboleremus ut ipse mandabat, secundum jam annum nostra habet et pecuniis utitur, et quod est omnium gravissimum, Judices, ipse ab aliis navales usuras exigit de nostra pecunia, quam non Athenis mutuavit nec Athenas, sed Rhodum et in Ægyptum, nobis vero qui in vestrum mercatum mutuavimus nihil æqui præstandum censem. Hæc ut a me vere dici constet, recitabimus vobis provocationem, qua hæc ab eo postulavimus.

PROVOCATIO.

Ad hunc modum, Judices, cum Dionysodorum sæpe provocassimus, et per complures dies provocationem proposuissemus, simplices nos penitus ait esse homines, si putaremus usque adeo se inconsideratum esse, ut ad arbitrum iret, cum in aperto esset se condemnatum iri ad solvendam pecuniam, cum sibi nummos ferenti venire in judicium liceret: deinde, si vos deludere posset, abitum cum aliena pecunia, sin minus, tum demum soluturum ut homo non jure fretus, sed vestri periculum facturus.

6. Quæ igitur a Dionysodoro facta sunt, audistis, Judices: quæ dum auditis, jamdudum vos mirari arbitror hominis audaciam, quave re fretus huc sit ingressus, cogitare. Non enim audacia est, si quis, ex mercatu Atheniensium pecuniam mutuatus, in syngrapham apertis verbis inscripsit, se navem in vestrum mercatum reducturum, quod nisi fecerit, duplum soluturum, eum, cum navem nec in Piræo appulerit, neque pecuniam creditoribus restitucrit, et frumentum Rhodi exoneratum vendiderit, his tamen facinoribus audere vestros vultus atque ora intueri? Quid autem ad hæc respondeat, quæso audite. Navem ex Ægypto redeuntem ruptam esse dicit, eaque se de causa coactum Rhodum appellere atque ibi frumentum exonerare. Ejus rei argumentum illud esse dicit, quod Rhodi navigia conduxerit et mercium partem huc miserit. Hæc defensionis illius una pars est. Altera illa. Ait cæteros creditores concessisse sibi usuras Rhodum usque: iniquum igitur fore, si nos eadem quæ illi concedere nolimus. Tertia, jubere syngrapham, conservata nave, redi pecuniam: navem autem in Piræum perduci non potuisse.

7. Vos igitur, Judices, nostras contra horum singula rationes audite. Primum quod ruptam esse navem dicit, liquere omnibus arbitror, eum mentiri. Nam si id navi accidisset, ne Rhodum quidem incolumis pervenisset, neque postea navigationi fuisset idonea: nunc eam Rhodum pervenisse constat, et rursus inde missam in Ægyptum, et nunc etiam quovis navigare, præterquam Athenas. Nonne vero absurdum est, cum in Atheniensium mercatum perducenda est navis, dicere fractam esse: quum autem Rhodi frumen-

tum exonerandum, eandem navem navigationi exsistere opportunam? Cur igitur, inquit, alia navigia conduxi, et merces translatas huc misi? Quod, Athenienses, nec ipse nec ejus socius merces omnes in sua potestate habebat, sed vectores suas res in aliis navi-giis necessario nimirum huc mittebant, quum isti navigationem interrumperent: quarum autem rerum isti erant domini, eas vero non omnes hoc miserunt, sed eas demum elegerunt quarum pretia creverant. Alioqui cum alias, ut dicitis, naves conduceretis, cur non omnes merces in eas transtulistis, sed frumentum Rhodi reliquistis? Quoniam, Judices, eis expediebat illud ibi distrahere; pretia enim hic laxata esse audierant: cæteras vero sarcinas huc miserunt, unde lucrum sperabant. Cum igitur de conductione navium loqueris, nullum ruptæ navis, sed vestri compendii nounnullum, argumentum affers.

8. Ac de his quidem hæc dixisse sufficiat: quod autem creditores assensisse dicit se usuras Rhodias accepturos, id nihil ad nos. Si quis enim de suo vobis condonavit aliquid, nulla fit injuria vel condonanti vel accipienti: sed nos neque tibi quicquam condonavimus, neque consensimus in Rhodiam navigationem, neque quicquam plus apud nos valet quam syngrapha. Ea vero quid ait, aut quo navigationem suscipi jubet? Athenis in Ægyptum, et ex Ægypto Athenas: quod nisi fiat, duplum solvi jubet. Hæc si fecisti, nullam injuriam facis: si non fecisti, neque navem Athenas reduxisti, ea te pœna multari decet quæ in syngrapha continetur. Id enim jus non quisquam alias, sed tute tibi descriptsisti. Alterutrum igitur ostende judicibus, aut vos syngrapham ratam non habere, aut non esse æquum ut ex ejus præscripto geras omnia. Quod si qui tibi aliquid remiserunt et Rhodias usuras concesserunt, quocunque tandem pacto adducti, proptereane tu nullam nobis injuriam facis, violata syngrapha qui navem Rhodum perduxeris? Non equidem opinor. Neque enim hi nunc de aliorum condonationibus, sed de pactionibus tuis nobiscum factis jus dicunt.

9. Nam usurarum remissionem, si qua modo, ut isti dicunt, facta est, cum utilitate creditorum esse factam, vobis omnibus perspicuum est. Nam qui ex Ægypto istis pecuniam Athenas usque duntaxat mutuarant, ut Rhodum venerunt, et isti navem eo appulerunt, eorum nihil opinor interfuit solutis usuris et Rhodi recepto mutuo, rursus id negotiandi causa conferre in Ægyptum: imo id multo magis profuit, quam huc appellere. Illuc enim brevis est et expedita navigatio, et bis aut ter eis negotiari licuit eodem argento: quod si hoc redissent, hybernandum fuisse hic, et navigatio verna exspectanda. Proinde illi creditores non modo nihil remiserunt, sed lucrum etiam fecerunt. Nos autem, ut de usuris taceamus, ne sortem quidem recuperare possumus. Ne igitur auscultetis isti vos

decipienti, et transactiones cum reliquis creditoribus huc conferenti: sed ad syngrapham eum revocate, et ad ea jura quæ in syngrapha continentur.

10. Nam illud mihi amplius edocendi estis, quo iste potissimum nititur, asserens, conservata nave, reddendum esse mutuum. Nos quoque contendere sic esse faciendum. Lubet autem ex teipso quærere, utrum de nave ut perdita, an vero ut de incolumi disseras? Nam si navis corrupta est atque interiit, quid de usuris contendis, et petis ut usuras Rhodienses accipiamus? Quum nec usuras nec sortem nos recipere conveniat. Sin incolumis est navis et non interiit, cur nobis pecuniam non reddit, quam in syngrapha promisisti?

11. Unde igitur certissime cognoscetis, Athenienses, navem esse conservatam? Maxime ex eo ipso quod ea in navigatione est, neque minus tamen ex ipsis istorum verbis. Postulant enim a nobis ut sortem recipiamus et partem quandam usurarum, ut quæ, cum evaserit, non tamē omnem cursum absolverit. Spectate autem, Athenienses, nosne, an isti syngraphæ jure utantur, qui neque in constitutum mercatum navigarunt, sed Rhodum et in Ægyptum? Et conservata nave, non perdita, se remissionem usurarum inventuros sperant syngrapha violata, cum ipsi ex navigatione frumentaria Rhodiensi magnos quæstus fecerint, nostramque pecuniam alterum jam annum teneant et exerceant. Novum autem et inusitatum quiddam isti moliuntur. Nam quum sortem pecuniæ mutuæ nobis, ut servata nave, restituant: usuris fraudandos censem, tanquam perdita. Syngrapha vero non aliud dicit de usuris, aliud de sorte mutua: sed communia jura de his utrisque sunt, et eadem reposcendi potestas. Recita mihi denuo syngrapham.

SYNGRAPHA.

Athenis in Ægyptum, et ex Ægypto Athenas.

Auditis, Athenienses, Athenis, inquit, in Ægyptum, et ex Ægypto Athenas. Dic reliqua.

SYNGRAPHA.

Incolumi reversa nave in Piræum.

Judices, facilis omnino ratio vobis est hujus causæ dijudicandæ; neque multis verbis est opus. Navem enim fuisse conservatam et esse incolumem, etiam isti ipsi confitentur: alioqui neque sortem redderent nec usurarum partem ullam. Ac non perducta est in Piræum. Eo ipso nos creditores injuriam dicimus fieri nobis, et vos accusamus, quod in constitutum mercatum non appulerit. Dionysodorus autem se peccare negat propter hoc ipsum: neque enim

reddendas esse usuras omnes, quum navis in Piræum non appulerit. Quid autem syngrapha dicit? Non, ita me amet Jupiter, eadem quæ tu, Dionysodore: sed, nisi reddideris sortem et usuras, aut mihi exhibueris pignora manifesta et libera, aut si quid aliud contra syngrapham commiseris, duplam solvere pecuniam te jubet. Age hoc ipsum mihi syngraphæ caput recita.

SYNGRAPHÆ.

Nisi autem manifesta exhibuerint pignora et libera, aut si quid contra syngrapham commiserint, pecuniam duplam reddunto.

Estne ubi navem nobis manifestam exhibueris, ex quo pecuniam a nobis accepisti, cum ipse confitearis eam esse incolumem? an ex eo tempore in Atheniensium mercatum appulisti, cum syngrapha perspicuis verbis dicat, navem esse in Piræum perducendam, et manifesto exhibendam creditoribus?

12. Nam et hoc, Athenienses. Futilitatem spectate. Rupta est navis, ut iste ait, proptereaque Rhodum eam deduxit: proinde post resarta est et ad navigationem reparata. Cur igitur eam, o vir optime, in Ægyptum cæterosque mercatus mittebas, Athenas autem nondum misisti ne nunc quidem ad nos creditores, quibus eam syngrapha te jubet manifestam et liberam exhibere, præsertim nobis id potentibus et a te sæpe postulantibus? Sed tu ita fortis es, vel potius impudens, ut, cum e syngrapha pecuniam nobis duplam debeas, nec legitimas usuras reddendas existimes; et Rhodias nos recipere jubeas, perinde ac si mandati tui major quam syngraphæ sit auctoritas; ac dicere audeas, navem in Piræum non perductam esse incolumem, quod ob factum jure perimeris a judicibus. Per quem enim stetit, Judices, quo minus navis in Piræum incolumis perduceretur? Num per nos qui aperte mutuavimus in Ægyptum et Athenas, an vero per istum ejusque socium, qui, his conditionibus mutuati ut Athenas redirent, Rhodum navem appulerunt?

13. Idque fecisse eos de industria, nulla necessitate compulsos, multis signis colligitur. Nam si casus ille revera fuit fortuitus, et navis rupta fuit, post, cum eam instaurassent, non utique in alios mercatus elocassent, sed ad nos misissent ad corrigendum eventum non voluntarium: nunc tantum abest ut casum illum correxerint, ut ad primas injurias delicta longe graviora adjecerint, et, tanquam per derisum, contra nos in judicium venerint, quasi in ipsorum potestate futurum sit, si eos damnaveritis, sortem duntaxat reddere et usuras. Vos igitur, Athenienses, ne istam eis licentiam detis, neque permittatis ut duabus velut ancoris nitantur, ut, si vicerint, pecuniam alienam detineant, sin vos decipere non possint, ea duntaxat reddant quæ debent: sed mulctas eis irrogate quæ syngra-

pha continentur. Nam cum ipsi duplam sibi mulctam dixerint, si quid in syngrapha perscriptum violarint, iniquum fuerit vos in eos esse leniores, præsertim vobis non leviore quam nobis facta injuria.

14. Jura igitur causæ brevia sunt et facile memoria queunt comprehendendi. Mutuavimus Dionysodoro et socio ejus ter mille drachmas, A the n i s in Ægyptum et ex Ægypto A the n a s. Non recepimus neque sortem neque usuras, sed illi nostra tencnt iisque utuntur alterum jam annum. Non perduxerunt navem in vestrum mercatum, nondum ne nunc quidem, neque nobis eam manifesto exhibuerunt: cum syngrapha jubeat, nisi manifesto navem exhibuerint, duplam solvere pecuniam, eamque vel singulis nobis vel utriusque redigere licere. His firmamcntis freti, ad vos ingressi sumus, ac nostra per vos recuperare studemus, quoniam ab istis id impetrare non possumus. Et hæc nostra est oratio. Isti autem se quidem esse mutuatos confitentur et non reddidisse: de eo autem litigant, non oportere se pendere usuras in syngrapha perscriptas, sed Rhodienses, quæ nec in syngrapha insunt nec a nobis sunt concessæ. Quod si, Athenienses, in Rhodiorum foro litigaremus, melior esset istorum fortasse conditio, quod ad eos frumentum vexissent et in eorum mercatum appulissent: nunc, cum ad Athenienses ingressi simus et syngrapha mercatum vestrum designarit, postulamus ne nobis minus tribuatur quam iis qui et vos et nos injuriis affecerunt.

15. Præterea nec illud vos lateat, Athenienses, in hoc uno iudicio de toto mercatu legem sancire vos; multosque assistere qui in mari negotiari decrevere, vosque intueri quid de hac causa pronunciatur sitis. Nam si vos syngraphas et pactiones mutuas firmas esse oportere statuetis, neque earum violatoribus quicquam veniæ dabitis, alacrius qui in mercatu mutuant officio suo fungentur; atque ex dā re augebitur mercatus vester. Sin naviculariis licebit, conscripta syngrapha de navigando Athenas, deinde navem in alios mercatus appellere, quod ruptam esse dicent, et tales causas comminiscetur qualibus Dionysodorus utitur, et usuras dividere pro eo cursu quem se navigasse dicent, non pro syngrapha, nihil obstabit quo minus omnes contractus dissipentur. Quis enim suum abjicere volet, si viderit syngraphas essc irritas, tales autem orationes et causas injuriorum hominum æquitati prævalere? Absit hoc, Judices. Id enim neque multitudini vestræ conducit, neque iis qui quæstum facere instituerunt, quique utilissimi sunt tum universe vobis omnibus, tum seorsim cuilibet qui eorum operam requirit: quapropter eorum vobis habenda ratio est.

16. Ac ego quidem quæ potui, dixi: peto autem ut et amicorum aliquis mihi patrocinetur. Adscende, Demosthenes.

ARGUMENTUM ORATIONIS ADVERSUS EUBULIDEM.

SCRIBITUR lex apud Athenienses, ut inquisitio fiat in eos omnes qui sint in album civitatis inscripti cives, ne germani sint, an non: et ut ii, qui non et patre et matre cive nati sint, deleantur: utque municipes de omnibus sententiam ferant: et qui improbati fuerint et sententiam municipum ratam habuerint, deleti inter inquilinos censeantur, iis vero qui velint licet appellare judicium; qui si etiam in judicio convincantur, vendendos, sin absolvantur, cives esse. Ex hac lege, Halimusio populo judicante, improbatum Euxitheus quidam: is, cum se Eubulidis inimici factione oppressum esse diceret, appellavit Judices, et ostendit, se et patre et matre cive esse natum. Quod si mater mea, inquit, mercenarias operas fecit, ex inopia id fecit. Pater autem peregrinus locutus est, quod et captus et venditus fuit. Neque vero calamitates exprobrandæ, sed genera exquirenda sunt.

DEMOSTHENIS APPELLATIO ADVERSUS EUBULIDEM.

1. QUUM Eubulides multa falso nobis objecerit, et convicia neque vera, neque justa fecerit, operam dabo, ut vera et justa dicendo, Judices, ostendam, et jus esse nobis civitatis, et indigne ab isto me tractatum esse. Oro autem vos omnes, Judices, obsecro et obtestor, ut et magnitudine causae hujus considerata, et ignorinia, cum qua, qui condemnantur, etiam pereunt, me quoque tacite audiatis, maxime, si fieri potest, majore cum benevolentia quam istum (par enim est ut in periculo constitutis melius cupiatis): sin minus, certe cum pari.

2. Fit autem, Judices, cum vos intueor, et jus civitatis habere me considero, ut securo animo sim, et magnam spem victoriæ concipiam: sed tempora et civitatis in condemnando iracundiam formidem. Nam cum ex omnibus municipiis jure multi sint expulsi, eadem est de nobis etiam, quos factiones oppressere, opinio, et propter illorum condemnationem, in majore, quam pro se quisque, periculo versamur; quare fieri nequit aliter, quin magno in metu simus. Quæ quanquam ita sunt, ea tamen quæ in his ipsis æqua sunt, primum vobis dicam. Ego iis qui peregrinitatis convincuntur, succensendum esse existimo, qui vobis neque persuasis, neque ex-

oratis, clam et vi, sacris et republica vestra sunt usi, sed calamitosis hominibus, seque cives esse ostendentibus opem salutemque ferendam; et cogitandum, cum insolentibus nobis miserrime actum iri, si, cum vestra quibusdam auctoritate pœnæ merito infligantur, nos una inter eos censemur, et propter invidiam ipsius rei, injuriam patiamur.

3. Evidem putabam, Judices, decere Eubulidem, et omnes eos, qui nunc in abrogando jure civitatis accusationes factitant, ea quæ comperta haberent dicere, neque ullum rumorem in tale judicium afferre. Id enim usque adeo injustum esse olim etiam leges statuerunt, ut audita testificari leges sinant ne in levibus quidem causis. Merito. Cum enim aliqui jam, qui se rem vidisse affirmarent, mendaces sint deprehensi, num illi habenda fides est, qui ea dicit quæ nec ipse novit? Enimvero, cum nemini liceat, etiamsi obnoxium sese constituerit, per ea nocere cuiquam, quæ se audisse dicit, qui convenit, ci vos habere fidem, qui nullo suo periculo nos criminatur?

4. Postquam igitur iste legum gnarus, idque magis quam conveniebat, injuste, multisque rebus superior accusavit, necesse mihi est de iis primum dicere injuriis et contumeliis, quibus apud municipes sum affectus. Peto autem a vobis, Athenienses, ne illorum sententiam pro argumento putetis, me ab hac republica esse alienum. Nam si municipes omnem æquitatem perspicere posse putassetis, appellationem vestri non dedissetis: nunc ex æmulatione, ex inimicitiis, aliis item de causis, tale quid eventurum existimantes affectis injuria vestrum velut asylum aperuistis. Quo laudabili instituto, Athenienses, homines innocentes omnes conservasti.

5. Primum igitur vobis exponam, quo pacto apud populares sententia lata sit. Nam quæ ad rem faciant omnia dicere, id ego esse puto, si quis ostendat, quæ factionibus oppressus, contra decretum sit perpessus. Eubulides, ut vestrum multi norunt, impietatis accusata sorore Lacedæmonii, quintam suffragiorum partem non tulit. Quod igitur in ea causa et verum, et isti adversum dixi testimonium, eo mecum exercet inimicitias, meque oppugnat. Qui cum et senator esset, et jusjurandum, atque album, ex quo populares intro vocabat, in sua potestate haberet, quid facit? Primum cum municipes convenissent, concionibus habendis, et decretis scribendis diem contrivit. Id vero non forte fortuna factum est, sed circumscribendi mei causa, ut quam tardissime de me pronunciaretur. Idque perfecit. Et municipes, qui juraveramus, tres et septuaginta fuimus. Cœpimus autem ferre suffragia admodum sero; proinde accidit, cum nomen meum citaret, ut jam tencbræ essent: etenim per ventum jam erat circiter ad sexagesimum, et vocatus sum postremus omnium inter eos, qui illo die sunt vocati, natu grandioribus inter municipes jam in agros digressis. Cum enim municipium

nosírum quinque et triginta stadia distet ab urbe, et ibi plurimi habitent, plerique abierant, et reliqui erant non plures triginta; in quibus erant omnes ii, quos iste subornarat. Ut autem nomen meum citatum fuit, exsiliens iste, statim in me multa maledicta congregabat, et magna voce, ut nunc etiam, teste suarum criminationum nullo, neque ex municipibus, neque ex reliquis civibus producto, hortabatur populares, ut me improbarent. Postulante autem me, ut in posterum diem differret, propter et tempus, et solitudinem meam, et casum ex improviso oblatum, ut et ipsi crimina, quam multa vellet, adjicere liceret, et testes, si quos haberet, producere, et mihi potestas daretur causæ dicendæ apud omnes municipes, et cognatos meos testes producendi, pollicente item, quicquid illi decrevissent, id me ratum habiturum; iste, quæ ego offerebam, negligebat omnia, statimque calculum iis dabat qui aderant ex municipibus, neque mihi defendendi potestate facta, neque ulla certa inquisitione habita. Istius autem gregales et conjurati exslientes suffragia ferebant. Et cum tenebræ essent, illorum singuli ab isto binos et ternos calculos acceptos in vasculum concrebunt. Argumento est, quod qui suffragia tulere, plures triginta non fuerunt: calculi autem numerati sunt amplius sexaginta, ut nos omnes obstupesceremus. Et haec vere a me dici, et suffragia neque lata esse præsentibus omnibus, et plures fuisse calculos quam suffragatores, testes vobis producam. Et quoniam sic accidit, ut mihi in his amicorum aliorumve Atheniensium testis nemo affuerit, tum propter diei tempus, tum quod neminem advocaram, iis ipsis, qui me læserunt, utar testibus: quibus ea scripsi quæ inficias ire non poterunt. Recita.

TESTIMONIUM.

Quod si, Judices, Halimusii illo die suffragia de omnibus municipibus tulissent, consentaneum fuisse, eos usque in noctem suffragia ferre, ut re confecta, vestrumque decretum exsecuti abirent: cum autem amplius viginti reliqui essent e municipibus, de quibus postridie suffragia ferenda erant, et nihilominus necesse esset municipes convenire, quid fuisse incommodi Eubulidæ, differre in diem posterum, et de me primo popularibus dare suffragium? Propterea, Judices, quod Eubulides non ignorabat, si mihi causæ dicendæ potestas fieret, et populares omnes præsto essent, et calculus juste daretur, suos gregales nihil esse valituros.

6. Unde autem ista conspiratio sit orta, cum de genere meo dixero, tum si voletis exponam: nunc autem quid justum esse existimo, et quid facere sum paratus, Judices? Ostendam vobis, me esse Atheniensem et a patre et a matre, et hujus rei testes, quos

veraces esse dicetis, vobis exhibebo, et convicia criminaque refutabo: et a vobis, his auditis petam, si vobis civis et factionibus oppressus videbor, ut me servetis, sin minus, ut id agatis, quod vobis pium esse videatur. Hinc autem auspicabor. Perstrinxerunt patrem meum peregrinitatis: captum autem eum sub Deceilic peace ab hostibus, et Leucadem venditum, cum in Leandrum histrionem incidisset, ad suos longe post esse reversum in columem, præterierunt. Sed quasi nobis propter illa infornia pereundum sit, peregrinitatis eum accusarunt. Ego vero per hæc ipsa potissimum ostendam, eum Atheniensem fuisse. Ac primum de ejus et captivitate, et redemptione testes vobis producam: deinde eum reversum, a patruis facultatum partem accepisse: postea, nec in municipibus, nec in curialibus, nec alibi usquam ob sermonis peregrinitatem, ut peregrinum ab ullo esse accusatum, age cape testimonia.

TESTIMONIA.

De captivitate quidem, et incolumi patris mei reditu in urbem, audi distis. Eum autem vestrum fuisse civem—rei enim veritas ita se habet—, testes voce ex cognatis patris mei qui sunt superstites. Primum autem Thueritudem mihi voca, et Charisiadem. Horum enim pater Charisius, frater fuit avi mei Thueritudæ, et Lysaretæ aviæ meæ, et patruus patris mei: sororem enim duxerat avus meus non uterinam. Deinde Niciadem. Nam ejus quoque pater Lysanias frater fuit Thueritudæ et Lysaretæ, et patris mei patruus. Post Nicostratum. Nam ejus quoque pater Niciades, nepos ex fratre fuit avi mei et aviæ, et patri meo consobrinus. Voca mihi hos omnes. Tu vero siste aquam.

TESTES.

Qui igitur a viris patri meo cognati fuerunt, eos audivistis, et testificantes et dejerantes, patrem meum necessarium eis et cognatum fuisse, quorum utique nemo in conspectu eorum, qui falsi testimonii ei consciæ essent, exitium sibi imprecatus pejerabit. Cape et illorum qui patri a mulieribus cognati sunt, testimonia.

TESTIMONIA.

Qui igitur e cognatis mei patris, tam a viris quam a mulieribus, superstites sunt, eos testificantes audivistis, eum utrinque fuisse Atheniensem, et sine controversia jus habuisse civitatis. Voca mihi et curiales et deinde gentiles.

TESTES.

Cape et municipum testimonia, et cognatorum illa de curialibus, ut constet eos elegisse me curiae principem.

TESTIMONIA.

7. Quæ igitur et cognati et curiales et municipes, et gentiles, quorum id officium est, testificati sunt, audistis; unde vobis scire licet, civisne an peregrinus fuerit is, eujus ea conditio fuerit. Si enim ad unum hominem atque alterum confugeremus, suspicio esse posset, eos a nobis esse subornatos: sed cum apud omnes eos, apud quos et vestrum unusquisque probatus fuit, et pater dum vixit, et ego qui nunc verba facio, probati sumus, apud curiales, cognatos, municipes, gentiles, fierine ullo modo potest, ut ii omnes mendaces et subornati sint? Quod si locuples fuisset pater, atque his pecunia data persuasisset, ut se cognatos ejus esse dicenter, non absurdâ suspicio fuisset, eum non esse civem: sin simul et pauper fuit, et eos exhibuit simul et cognatos, et de suo impertinentes, an non evidens est, eum revera cognatum eis fuisse? Neque enim profecto, si nemini conjunctus fuisset, isti adjecta pecunia eum in familiam recepissent; sed fuit, ut et ipsa res probavit, et testes vobis affirmarunt.

8. Præterea magistratus etiam sortitus est, et approbatus, eos gessit. Cape testimonium.

TESTIMONIUM.

Quis vero vestrum existimet permissuros fuisse municipes, ut ille peregrinus et non civis, apud ipsos magistratu fungeretur, ac non fuisse accusaturos? Neque vero quisquam eum vel accusavit, vel criminatus est. Quin necessario etiam suffragia tulerunt municipes *sacris juratis*, cum eis album municipii periisset, Antiphilo patre Eubulidæ tribuno plebis; et quosdam e municipio repulerunt. De illo autem neque dixit, neque conquestus ullus est tale quicquam. Atqui omnibus hominibus vitæ finis mors est. Et qui viventes de genere accusantur, eorum filios æquum est ad reddendam rationem perpetuo esse paratos: quibus autem in rebus nemo viventem ipsum criminatus fuit, de iis an non iniquum est liberos exagitari a quovis? Quod si de his inquisitio nulla facta fuisset, latuisse rem concedi posset: sed cum et facta sit, et lata suffragia, et nemo unquam quicquam sit conquestus, nonne æquum est me propter illum Atheniensem esse, qui diem suum obiit, antequam ei de genere facta fuit controversia? Hæc vere a me dici ut constet, horum etiam voca testes.

TESTES.

9. Præterea cum ei liberi quaterni essent nati, uterini mei fratres, et mortui, sepeliit eos in patriis monimentis, quæ quotquot e familia sunt, participant: neque istorum quisquam unquam vetuit, aut prohibuit, neque eum in jus vocavit. Quis vero est, qui a familia alienos in patriis sepeliri monimentis patiatur? Ut autem et hæc vere a me dici constet, cape testimonium.

TESTIMONIUM.

10. De patre igitur, fuisse eum Atheniensem, hæc habeo quæ dicam, et testes produxi eos, quos isti ipsi cives esse pronunciarunt, qui testificantur, eum suum fuisse consobrinum. Constat autem eum tot et tot annos hic vixisse, et nunquam usquam ut hospitem esse deprehensum, sed ad hos cognatos suos confugisse, qui eum et receperunt, et facultates ei impertierunt, ut suorum uni. Iis porro temporibus natus fuit, ut etiamsi ex altera duntaxat parte civis fuisset, civem eum haberi conveniret, cum natus ante Euclidem fuerit. De matre autem mea—nam et hanc exagitarunt—jam dicam, et orationis meæ citabo testes. Quamvis non modo contra decreta forensem quæstum nobis objecerit Eubulides, sed etiam contra leges, quæ convicii crimine teneri jubent eum, qui quæstum in foro ulli civium, seu viro, seu mulieri exprobrarit. Nos vero fatemur et fascias vendere nos, et victitare non uti volumus. Quod si tibi argumento est, nos non esse cives, ego tibi hujus omnino contrarium probabo, non licere peregrino in foro quæstum facere. Cape primum, ac lege mihi Solonis legem.

LEX.

Cape etiam Aristophontis legem. Is enim eam adeo recte et populariter esse latam censuit, ut senatusconsulto renovandam esse decreverit.

LEX.

Tuendæ sunt igitur vobis leges, neque ii qui quæstum faciunt peregrini, sed qui calumniantur, improbi sunt habendi. Est enim, Eubulide, alia quoque lex de ignavia, cui cum ipse obnoxius sis, nos qui opus facimus, exagitas. Verum nunc usque adeo infelices sumus, ut isti liceat extra causam conviciari, atque omnia facere, ne meum mihi jus tribuatur: me autem fortasse objurgabis, si dixero quemadmodum iste in urbe circumiens rem faciat. Idque

merito. Quorsum enim attinet, vobis ea narrare quæ ipsi nostis? Considerate igitur. Quod nos in foro quæstum facimus, id in primis argumento esse puto, istum falsa nobis impingere crimina. Quam enim fasciarum venditricem fuisse dicit, et manifestam omnibus, de ea par fuit utique testificari multos, qui ipsi eam novissent, non qui nihil præter auditum referrent. Nam si peregrina fuisset, excutienda fuerunt vectigalia in foro, et num peregrinorum tributum pependerit inquirendum, et cujas fuerit ostendendum: sin ancilla, in primis emptor, sin minus, vendor producendus fuit, qui testimonium in eam diceret, aut saltem aliis quispiam, qui probaret, eam vel servitutem servisse, vel esse manumissam. Nunc horum nihil ostendit, sed crimen objicit, ut mili videtur, nullius momenti. Id enim est calumniatoris ingenium: criminari omnia, probare nihil. Deinde illud etiam in matrem dixit, cam nutricem fuisse. Nos vero, cum nostra urbs cladem accepisset, et omnes rebus adversis conflictarentur, non inficiamur hoc esse factum; quo pacto autem, et quibus de causis mammam præbuerit, ego perspicue vobis ostendam. Neque vero quisquam vestrum, Athenienses, iniquo animo accipiat. Etiam nunc cives mulieres multas invenietis, quæ nutrictum fungantur officiis: quas vobis vel nominatim, si vestra voluntas feret, dicemus. Quod si divites essemus, neque tænias venderemus, neque denique inopes essemus. Sed quid ista cum genere consortii habent? Evidem nihil opinor. Ne vero, Judices, pauperes aspernemini—satis enim eis est in ipsa paupertate mali—, neque eos etiam, qui quæritare victum, et vivere sine cuiuspiam injuria instituunt. Sed audita re, ubi vobis matris cognatos ostendero tales, quales ingenuorum hominum esse decet, qui, si iste in eam talia crimina conjecerit, ejurent et testificantur se scire eam esse civem, quos vos putatis esse fide dignos, eam nobis fert sententiam, quam postulat æquitas.

11. Mili avus fuit, Athenienses, matris pater Damostratus Melitensis. Ei nascuntur quatuor liberi e priore quam habuit uxore, filia et filius, cui nomen fuit Amytheo: e posteriore Chærestrata, mater mea, et Timocrates. His porro liberi nascuntur, Amytheoni Damostratus, avi nomen referens, et Callistratus, et Dexitheus. Ac Amytheo quidem ex eorum numero est qui in Sicilia et militarunt, et obierunt; et sepultus est in publicis monumentis. Et hæc testes confirmabunt. Soror autem ejus, quæ Alæensi Diodoro nupta fuit, filium peperit Ctesibium. Is Abydi obiit, cum Thrasybulo militans. Ex his vivit Damostratus Amytheonis filius, matris meæ fratris filius. Chærestratæ aviæ meæ sororem ducit Apollodorus Plotensis. Ex his nascitur Olympichus, ex Olympicho Apollodorus. Is vivit. Proinde voca mihi eos.

TESTES.

Hos igitur audivistis testificantes, et dejerantes. Vocabo etiam uterinum fratrem, et utrinque nobis cognatum, et filios ejus. Nam Timocrati matris meæ fratri germano et uterino nascitur Euxitheus, Euxitheo tres filii qui omnes vivunt. Voca mihi ex eis qui domi sunt.

TESTES.

Cape etiam testimonia curialium et cognatorum matris, et municipum, et quorum eadem monumenta sunt.

TESTIMONIA.

Genus igitur maternum tale demonstro vobis, et eam ostendo a viris et mulieribus esse civem. Matri autem meæ nascitur, Judices, primum e Protomacho, cui eam Timocrates frater uterinus et germanus desponderat, filia; deinde e patre meo, ego. Quo autem pacto patri meo nupserit, vobis est cognoscendum. Nam et quæ de Clinia criminatur, et de nutricio matris ministerio, illa etiam ego vobis omnia perspicue narrabo.

12. Protomachus pauper fuit: ad quem cum pupilla locuples hereditate venisset, elocaturus matrem meam, Thucrito patri meo familiari suo persuadet, ut eam ducat. Sic despondetur patri meo mater mea, per Timocratem Melitensem, præsentibus utrisque patruis ejus, et aliis testibus. Et horum qui superstites sunt, nobis testimonium dicent. His factis, aliquanto post, cum duos jam liberos peperisset, patre militante peregre, ductu et auspiciis Thrasybuli, ipsa inopia conflictans, coacta est Cliniam Clidici filium lactare. Quo facto, quod ad id periculum attinet, in quo nunc ego versor, male mihi consuluit, fateor equidem—nam ab ea lactatione omnia quæ in nos congeruntur maledicta oriuntur—, sed tamen illius temporis inopiæ, et necessaria sane fecit, et congruentia. Constat igitur patrem meum non primum duxisse matrem meam, sed Protomachum et liberos procreasse, et filiam elocasse: qui etsi mortuus est, ipsis tamen factis testatur, eam et urbanam, et civem fuisse. Hæc me vere dicere ut appareat, primum mihi voca Protomachi filios: deinde eos qui sponsalibus patris interfuerunt: et e curialibus cognatos, quibus nuptiale munus contulit pro matre pater: post, Eunicum Cholargensem, qui sororem meam accepit a Protomacho: deinde filium sororis. Voca hos.

TESTES.

An non igitur indignissime omnium hominum agitur mecum, Athenienses, quod cum tot cognati mihi sint, hique et testificantur, et dejerent, se mihi cognatos esse, et horum nemo in jus vocetur, quasi cives non sint, isti tamen pronunciarunt, me esse peregrinum? Cape mihi et Cliniæ, et cognatorum ejus testimonium, qui norunt haud dubie, quænam mater mea fuerit, quæ mammam illi præbuit. Neque enim id ab eis jurisjurandi religio postulat, ut quæ nos hodie dicimus, ea testificantur: sed ut ea quæ omni tempore comperta habuerunt, eam et suam nutricem, et nostram fuisse matrem existimatam. Tametsi enim humile quiddam est nutricis vocabulum, veritatem tamen non detrecto. Non enim, si pauperes fuimus, cuiquam injuriam fecimus, sed si cives non fuimus: neque in hoc judicio vel vita, vel pecunia nostra agitur, sed genus. Multas humiles et serviles operas ingenuos homines paupertas facere cogit: ob quas commiserationem potius, quam internectionem merentur. Ut enim ego audio, multæ mulieres cives, et nutrices, et mercenariæ, et vindemitrices factæ sunt, propter reipublicæ illorum temporum calamitates, multæ item ex pauperibus nunc locupletatæ sunt. Sed de his statim. Nunc testes voca.

TESTES.

13. Me igitur et a matre esse civem, et a patre, partim ex dictis testium modo cognovistis, partim ex iis quæ prius de patre dicta sunt; restat igitur, ut de me ipso apud vos dicam. Quod igitur simplicissimum est, et justissimum, cum ex utrisque parentibus sim civis, cum et hereditatem et genus sim consecutus, me esse civem affirmo. Sed tamen omnia quæ conveniunt, a me esse præstata, probabo testibus productis, ut introductus sim ad curiales, ut in municipium sim adscriptus, ut ab ipsis delectus sim ut inter nobilissimos de sacerdotio Herculis sortirer, ut magistratus gessem approbatus. Voca mihi eos.

TESTES.

Quam autem absurdum fuerit, Judices, si ita mihi obvenisset sacerdotium, ut delectus fueram, oportuisse me pro istis sacrificare, et istos una sacrificare mecum: nunc autem eosdem istos non permittere, ut ego una cum eis sacra faciam? Constat igitur, Athenienses, me per omne reliquum tempus, apud omnes eos, qui me nunc accusant, civem esse habitum. Neque enim peregrinum et inqui-

num, ut nunc ait Eubulides, vel magistratus gerere, vel sacerdotium sortiri, secum delectum sivisset—nam et ipse fuit e sortientibus et delectis—, neque etiam, cum vetus ei tecum simultas intercederet, in hoc usque tempus distulisset, quod an unquam futurum esset, nemo præscivit, si quid de me tale compertum habuissest. Sed non compertum habuit. Quapropter per tempus omne reliquum, cum et municipium et sortitionem tecum communem haberet, nihil horum perspexit: postquam autem civitas universa in eos qui se petulanter in municipia ingesserant, iracunde concitata fuit, tum insidias mihi comparavit. Fuisset autem illud quidem tempus hominis veritate freti: hoc autem, quod nunc adest, inimici est, qui de industria calumniatur. Ego autem, Judices,—neque per deos oro quisquam mihi obturbet, neque id quod dicturus sum ægre ferat,—, me Athenensem esse duco, ut vestrum quilibet sese, et eam esse mihi matrem ab initio puto, quam apud vos ostendo, neque alterius sum, hanc autem mihi vendico. Patrem rursus eodem modo. At si qui eorum, in quos inquiritur, cum eos quorum sunt occultant, eorum vero esse sese quorum non sunt simulant, eo ipso arguento non injuria peregrini apud vos judicantur: de me contrarium utique sentiendum erit, civem esse me. Neque enim peregrinum et peregrinam parentes esse meos profittendo, frui civitate instituisse: sed si quid tale mihi conscient essem, quæritassem, quorum me filium esse dicerem. Sed nihil eram conscientius. Quapropter eos parentes, qui sunt, ut æquum est, retinens, civis esse studeo.

14. Jam etsi pupillus relictus sum, tamen me dicunt esse locupletem, et testium quosdam propter emolumenta se mihi cognatos esse dicere. Ita simul et probra paupertatis et generis obscuritatem objiciunt: simul propter divitias omnia mercari me dicunt. Proinde utra horum eis credenda sunt? Licuisset nimirum eis, si peregrinus aut nothus ego essem, omnium mearum opum capere hereditatem. Itane hi paucula accipere, et falsi testimonii actionem et periculum exspectare, et pejerare, malunt, quam tenere omnia, eaque secure, neque ullis se diris et devotionibus obstringere? Non ita res habet nimirum. Sed cognati cum sint, uni suorum, ut rectum est, opitulantur. Neque haec nunc tantum impulsu meo faciunt, sed dum puerulus etiamnum fui, me statim ad curiales duxerunt, in ædem Apollinis patrii duxerunt, in reliqua item tempa. Neque vero ego dum puer fui, eis persuasi, ut illa facerent scilicet, argento dato. Sed et pater dum vixit, legitimo jurejurando dato curialibus, me civem introduxit, cum ex cive desponsa sibi natum sciret. Et haec testes affirmarunt. Postea ego sum peregrinus? Ubi tributum inquinilorum pependi, aut ullus meorum unquam? Quando ad alios municipes accessi, et quum eis, ut me re-

ciperent, persuadere non potuissem, huc me inscripsi? Ubi? Quibus rationibus, quibus illos qui germani cives non sunt uti constat? Nusquam. Quomodo tandem? In eo municipio, in quo avus patris mei pater, in quo pater meus versatus est, in quo me versatum esse constat.

15. Et quo pacto nunc vobis evidentius quisquam probet, jus sibi esse civitatis? Cogitet enim unusquisque vestrum, Athenienses, quonam alio modo, quam ego feci, cognatos suos demonstrare posset, cum pro testimonio dicant, cum jurent, cum olim jam inde a primordio iidem sint? Quas ob res ego bonitate causæ fretus, ad vos confugi; quod videam, Athenienses, judiciorum majorem esse auctoritatem, non modo quam Halimusiorum, qui me ejecerunt, sed etiam quam senatus, et populi. Nec injuria. Quicquid enim spectetur, sententiae vestræ justissimæ sunt. Cogitate illud etiam, vos, qui e magnis municipiis estis, nulla re privare quemquam, nec accusatione, nec defensione. Ac multa bona vobis eveniant, qui ea re recte usi estis, qui iis etiam qui moram petierunt, parandi se facultatem non ademistis. Qua re et calumniatores, et eos qui propter simultatem aliis insidianter, convincitis. Ac vos quidem laudandi estis, Athenienses, qui autem re bona et justa male sunt abusi, vituperandi. In nullo autem municipio, quam in nostro, crudelius esse actum reperietis. In eo enim fratum uterinorum et germanorum alias ejecerunt, alias non: et homines natu grandes incipes, quorum filios retinuerunt. Harum etiam rerum, si vultis, testimonia vobis exhibeo. Quodque omnium gravissimum est, factiosi id fecerunt; neque per deos oro vos, in malam partem quisquam vestrum accipiat, si eos qui me læserunt, improbos esse ostendero. Eorum enim vobis improbitate demonstranda, ipsam calamitatem quam accepi narraturus mihi videor. Isti, cum quidam homines peregrini, cives fieri vellent, Anaximenes et Nicostatus, communiter quinas quisque drachmas inter se distribuerunt. Hoc cum scire se neque Eubulides, neque gregales ejus ejurare audeant, nunc tamē eos non ejecerunt. Quid autem eos privatim non facturos putatis, qui publice hæc facere non dubitarent? Multos, Athenienses, Eubulidea factio et perdidit et conservavit, argenti gratia. Nam prius etiam—ad rem faciet quod dicam, Athenienses—cum tribunus plebis esset Eubulidæ pater, ut dixi, Antiphilus, commentum excogitat, ut a quibusdam nummos auferret, et ait, se commune album perdisse. Quare persuasit Halimusis ut inter sese suffragia ferrent. Et accusatos decem municipes ejecit, quos omnes præter unum judices receperunt. Et hoc seniores omnes norunt. Multum certe absuit, ut aliquos relinquerent, qui Athenienses non essent, cum germanos etiam cives per factionem ejicerent, quos judicium recepit. Cumque patri meo

tunc inimicus esset, non modo eum non accusavit, sed ne suffragium quidem de eo tulit, quasi non esset Atheniensis. Unde id constat? Quod omnibus suffragiis civis est habitus. Et quid opus est de patribus dicere? Cum ipse Eubulides, cum ego inscriberer, et municipes, ita ut æquum est, jurati omnes suffragia de me ferrent, neque accusarit, neque contrarium suffragium tulerit. Nam hic iterum omnes me municipem esse judicarunt. Quod si mentiri me dicunt, in mea aqua, quisquis voluerit, testificetur horum contraria. Si igitur, Athenienses, istorum id argumentum firmissimum esse videbitur, quod municipes me jam ejecerunt, ego quater prius sancte, et sine conspiratione decrevisse eos ostendam, cum decreverunt et me et patrem esse municipes suos; primum, cum pater probatus fuit, deinde, cum ego, post, in prima disquisitione, cum isti album occultassent, postremo, cum inter nobilissimos me delegerunt ad sortitionem Herculani sacerdotii. Atque hæc omnia testimoniis comprobata sunt.

16. Quod si tribunatus mihi referendus est, propter quem mihi quidam irascebantur (nam in eo inimicitias suscepit, exigendo a multis conductiones lucorum, et alia quæ reipublicæ substraxerant) quidem vos audire velim, sed fortasse nihil ad rem facere existimabis. Illud quidem argumentum conspirationis eorum proferre possum, quod e jurejurando deleverunt hæc verba, sententiā *feram animo & quissimo nec gratiæ nec odiī causa*, nam id quoque deprehensum est. Et quod arma per sacrilegium abstulerunt—dicetur enim—quæ ego Minervæ consecraram, et decretum exsculpserunt quo municipes me ornarant. Conjurauit isti contra me, a quibus ea quæ publice debebantur redigi; eoque venerunt impudentiæ, ut passim dicerent, ea me facere causa defensionis. Quis vero me vestrum tantæ condemnet insaniae, Judices, ut propter tantilla rei probandæ argumenta, facinus morte vindicandum auderem, et quæ mihi honorifica essent, ea abolerem? Illud autem, quod omnium est gravissimum, non utique dicent me auctore esse factum. Cum primum enim mihi calamitas accidisset, statim istorum quidam, tanquam exsul jam essem, et periissem, domunculam in agro noctu aggressi, instrumentum et suppellectilem auferre sunt conati. Usque adeo et vos et leges contempserunt. Ac si vultis, hujus rei consciós citabimus.

17. Etsi autem multa haberem, quæ isti perpetrarunt et ementiti sunt, commemoranda, libenterque vobis exponerem, ea tamen cum præter rem esse putetis, omittam. Illa autem recordamini, et spectate, quantis argumentis frctus ad vos accesserim. Ut enim vos in sexviros inquiritis, ad eundem ego modum apud vos in me inquiram. Heus homo, quis tibi pater fuit? Mihi? Thueritus. Nun-

quid aliqui se cognatos ejus esse testificantur? Omnino. Primum consobrini quatuor: deinde sobrinus: post, qui consobrinas ejus duxerunt: curiales item: nec non Apollinis patrii, Jovis Hercei gentiles: deinde ii quibus monumenta sunt eadem: deinde municipes, eum s^æpe et probatum esse, et magistratus gessisse, suis suffragiis ostenderunt. De patre igitur, quid vobis æquius aut sincerius afferre potuisse? Vocabo autem vobis cognatos, si vultis: de matre porro audite. Mater mihi est Nicareta, filia Demostrati Melitensis. Ejus cognati, qui testimonium dicunt? Primum patruelis filii duo: deinde consobrini matris: post Protomachi filii, ejus qui matrem meam prior habuit: deinde qui sororem meam ex Protomacho duxit, Eunicus Cholargensis: post filius sororis: quin et curiones cognati matris et municipes idem sunt testificati. Quid igitur requiritis amplius? Nam et ex præscripto legum contraxisse matrimonium patrem, et nuptiale munus obtulisse curialibus, testes confirmarunt: ad hæc autem me ipsum quoque ostendi, participasse res omnes quæ decent ingenuos. Quapropter ab omnibus partibus jure et convenienter lato pro nobis suffragio, religiose pronunciabitis. Jam etiam, Judices, sexviro interrogaatis, an parentibus benefaciant: ego vero a patre pupillus sum relictus, matrem autem, obsecro vos et obtestor, ut in patriis sepelire monimentis hoc vestro suffragio liceat, ne me prohibete, ne extorrem agite, ne cognatis spoliare, quorum tanta multitudo est, ne denique me perdite. Potius enim quam eos deseram, si ab eis conservari non potuero, me ipse interficiam, ut saltem ab eis in patria sepeliar.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA THEOCRINEM.

HANC orationem nescio qua ratione in privatas plerique referunt, cum manifeste sit publica, quod ex ipso argumento perspicietur. Mercatores aut navicularios Athenienses qui alio quopiam quam Athenas frumentum vixerant, licebat deferre. Lex autem erat, si quis aliquem detulisset nec actionem persequeretur, aut persecutus quintam suffragiorum partem non tulisset, ut mille drachmas ærario solveret: quas qui non solvisserent, iis conciones habere non liceret. Tertia item lex erat, si quis aliquem per injuriam asserere in libertatem videteret, ut semissimæ aestimationis ærario debiceret. Epichares igitur Theocrinem detulit, ut qui verba in publico faceret, quod ei per tres hasce leges non liceret. Miconem enim detulisse, ut alio frumentum vehementem, et prævaricatum esse: et curatorem a tribulibus designatum, in rationibus referendis, peculatus damnatum esse, ob eam pecuniam quæ decem heroum sacra esset: tertio Theocrinis patrem in libertatem asseruisse per injuriam Cephisodori ancillam, et quingentis drachmis eam ob rem mulctatum. Harum igitur rerum delatio hic agitur, et causa manifeste publica est. Ipsam autem orationem Dinarchi esse plerique putant, quamquam Demosthenicis haud absimilem.

DEMOSTHENIS DELATIO CONTRA THEOCRINEM.

1. PATRE nostro, Judices, per Theocrinem calamitate publica affecto, et decem talentis mulctato, eaque mulcta conduplicata, ut nullam salutis spem reliquam habeamus: existimavi, ejus vestro præsidio ulciscendi gratia, nec ætatis, nec cuiuspam alterius rei ratione habita, istum apud vos esse deferendum. Pater enim, Judices, cuius auctoritate omnina facio, apud omnes familiares quiratabatur, si ego, prætermissa occasione hac, qua, dum ipse adhuc in vivis est, inimicum ulcisci possem, excusatione imperitiæ atque ætatis, neque se fortunis omnibus spoliatum curarem, neque Theocrinem contra leges accusantem, et multos civium, quod ei facere non liceret, calumniantem reprimere. Vos igitur omnes, Athenienses, oro et obtestor, ut me benigne audiatis, primum, quod et patrem defendens, et patris auctoritati parens, in hoc judicium venio, deinde quod et adolescens sum et rerum imperitus: quamobrem actum præclare mecum putabo, si benevolentia vestra ju-

vante, facinora istius potero demonstrare. Præter hæc ob illud etiam, Judices, quod proditus sum—vera enim apud vos dicentur—ab hominibus, qui, cum ob inimicitias, quas cum isto exercebant, fidem apud nos invenissent, auditaque re, subscriptionem et strenuam operam promisissent, me nunc destituto, cum isto in meo discriminé in gratiam redierunt. Quare nemo est qui mihi patrocinetur, nisi me forte necessariorum aliquis adjuverit.

2. Ac multis quidem iste delationibus obnoxius fuit, omnesque leges, quæ ea de re cavent, violavit; recentissimum autem ejus facinorum, navigii indicationem esse reperimus. Quapropter hæc in delatione perscripta mihi pater dedit. Ac primum lex vobis recitabitur illa de indicantibus et prævaricantibus, et contra leges cum adversariis transigentibus; hinc enim auspicandam esse mihi orationem censeo: deinde indicatio ipsa, qua iste Miconi negotium facessit. Recita.

LEX. INDICATIO.

Lex hæc, Judices, instituentibus aut publice accusare, aut indicare, aut quippiam aliud eorum facere quæ in lege scripta sunt, perspicue denunciat, quibus conditionibus horum quælibet facienda sint. Hæc autem sunt, ut ex ipsa lege audivistis, si quis actionem persecutus quintam suffragiorum partem non tulerit, ut mille drachmas solvat, quod si non persequatur, Theocrine, alias mille: ut neque calumniatorem agat quisquam, neque impunitate proposita prævaricetur, aut condonet publica negotia. Affirmo igitur hac delatione teneri Theocrinem, quod Miconem Chollidem indicavit, nec sit persecutus, sed accepta pecunia negotium vendiderit. Et hoc aperte demonstrabo, ut ego arbitror. Quanquam enim Theocrines, o Judices, suique gregales, nihil non fecerunt appellandis testibus, eis partim minitantes, partim pollicentes, ne testimonium dicant; tamen si vos pro officio me adjuveritis, eosquæ iusseritis, ac potius adigente me, vos una adegeritis eos aut testari, aut ejurare, neque cavillari eos siveritis, verum invenietur. Recita igitur primum indicationem, deinde testimonia.

INDICATIO.

Hæc indicationem exhibuit iste, Judices, Micone accusato, eamque scriba mercatus curatorum Euthyphemus accepit, diuque ante concilium indicatio proposita jacuit, quoad iste accepta pecunia missam eam fecit, recensentibus prætoribus, et eum ad quæstionem vocantibus. Hæc ut a me vere dici constet, primum voca, qui magistratum scriba tum fuit, Euthyphemum.

TESTIMONIUM.

Recita etiam eorum, qui propositam eam viderunt, testimonium.
Recita.

TESTIMONIUM.

Voca etiam mercatus curatores, ipsumque Miconem, cuius indicavit
navigium, et testimonia. Lege.

TESTIMONIA.

3. Theocrinem igitur indicasse Miconis navigium, Judices, et indicationem diu fuisse propositam, et accessitum ad quæstionem non paruisse, neque accessisse, eos testari audivistis, quos id in primis habere compertum convenit. Eum vero non modo mille drachmas debere, sed et in carcerem abducendum, et reliquis pœnis afficiendum esse, quas hæc lex iis minatur, qui mercatores et navicularios calumniantur, ex ipsa lege facile cognoscetis. Cum enim vellet legislator, neque delinquentes mercatores indemnes esse, neque insolentes vexari, omnino vetuit hoc hominum genus indicari, ni quis ipse sibi confidat, se ostensurum apud vos, facta esse ea quæ indicat, quod si quis calumniatorum secus fecerit, licet eos deferri et in carcerem abduci. Sed ipsam potius legem recita, quæ id multo evidenter quam ego, docebit.

LEX.

Auditis, Judices, leges quid calumniatorem luere jubeant? Quare si quid eorum quæ in indicatione Miconem fecisse scripsit Theocrines, fecit, prævaricatus est, remque cum eo transegit, vobis omnibus facit injuriam ineritoque mille drachmis mulctatur. Sin eo, quo decebat, navigante—utrum enim iste volet, largiar—indicat et arcessit, et calumniatur navicularios, legem non eam solum quæ prius, sed hanc etiam quæ modo recitata est, violavit, et suo ipse testimonio confirmavit, se sani quicquam nec agere, nec dicere. Quis enim causæ bonitate fretus pecuniæ partem ex lege accipere nolit, aut, re transacta parvum lucellum malit, præsertim legibus eam ob rem pœnas daturus, cum liceret, quod modo dicebam, semissem indicatarum rerum accipere? Nemo, nemo, inquam, Judices, qui se calumniatorem agere non compertum haberet.

4. Duæ igitur hæ leges sunt, quæ iste, violatarum legum alios regos agere solitus, violavit. Restat et tertia, quæ æque jubet, et ærarios a quovis civium deferri, et si quis Minervæ debeat, aut ceterorum deorum aut herorum alicui. Debere autem iste compe-

rietur, et non solvisse, septingentas drachmas, quas in referendis rationibus ex mulcta debuit suæ tribus heroi. Age hanc ipsam legis partem recita.

LEX.

Desine. Audis hæc quid dicat? si heroum alicui. Recita etiam tribulum testimonium.

TESTIMONIUM.

Curabit iste scilicet, Judices, paucos homines, aut eos qui maximam ætatis partem navigando, ut Mico, consumunt, cum tribules suos præsentes nec metuerit, nec reveritus sit? Nam et rempublicam eorum ita tractavit, ut peculatus eum condemnarint: et post condemnationem, quamvis satis sciat, legum interdicto se ab accusando removeri, donec mulctam solverit, vim tamen facit, atque existimat, ceteros quidem ærarios omni munere publico depelli oportere, se vero superiorem esse legibus. Dicit, avum, non se, esse in tabulam relatum: et de hoc multa verba faciet, illum esse æarium. Ego vero uter sit, certo confirmare non possum; sed ut ita sit, ut iste dicit, multo justius a vobis condemnabitur, si res ita se habet. Nam si ærarius ejus avus fuit olim, et lex illius istum hereditatem capere jubet, atque ipse cum ei nec olim accusare liceret, accusavit, proptereaque se absolvendum putat, quod a tertio inde generis gradu sit improbus, nihil æqui dicet, o Judices. Ipsum autem Theocrinem confiteri, eam durare mulctam, qui tum pro se, tum pro fratre sposonderit tribulibus, nec servata jurisjurandi religione, ac sine infamia delationem hanc posse absolvi, uti constet, decretum profer quod in Scironidæ sententiam factum est apud tribules.

DECRETUM.

Accessit autem Theocrines, et se debere fassus est, et soluturum coram tribulibus recepit, postquam nos adesse animadvertisit, exempla eorum, quæ in tabulam relata erant, petituros.

DECRETUM.

Multo magis igitur, Athenienses, Leontidas laudaveritis, qui Theocrinem illas septem minas reddere coegerunt, quam istum.

5. Jam quarta etiam lex est,—fateor enim me pleraque istius facinora pervestigasse,—, quæ Theocrines quingentas drachmas debet, a patre suo non redditas, quibus damnatus est, Cephisodori famula in libertatem asserta, sed intercessione et tractatione cum Ctesicle orationum scriptore, qui ab adversa parte stabat, curatum

est, ut ea mulcta neque solveretur, neque in arcem referretur, quam Theocrines nunc opinor nihilominus ex lege debet. Non enim, si Ctesicles inquilinus iste concederit, improbus improbo, ne tradatur exactoribus is, qui lege sit damnatus, propterea civitas fraudanda est muletis, a legibus irrogatis: sed decet adversarios, in privatis contractibus inter se transigere arbitratu suo, in publicis vero negotiis parere legibus. Ac legem mihi recita, quæ jubet semmissem æstimationis debere publico, eum qui per injuriam asserere in libertatem videatur, et Cephisodori testimonium.

LEX. TESTIMONIUM.

Illam etiam legem recita, quæ ab ea die debere jubet, qua sit damnatus, sive inscripta mulcta, sive non inscripta sit.

LEX.

6. Quo igitur alio pacto, Judices, æquo accusatori ostendendum est, Theocrinem recte esse delatum, nec propter mille drachmas duntaxat, ob quas delatus est, teneri delatione, sed multis etiam aliis obstrictum esse mulctis? Evidem alio nullo puto. Neque enim exspectandum profecto est, dum ipse Theocrines ærario vestro se debere fateatur, et jure delatum esse dicat: imo contrarium fiet, quidvis dicet potius, quasvis criminationes proferet, se factonibus opprimi, se propter legum defensionem exagitari quirabitur. Nam qui causam ipsam tueri nqueunt, hoc reliquum habent, ut effugia, ut causas querent, quæ, ercta ipsius causæ recordatione, in iis vos detineant quæ ad ipsam causam nihil attinent. Ego vero, Judices, si in legibus quæ lectæ sunt, scriptum viderem, illa quæ de calumniatoribus sancita sunt, ita demum rata habenda, si Theocrines delatus, neque Thucydidem, neque Demosthenem, neque alium quempiam versantem in republica virum incusaret, quievissim: nunc excusationum illarum nullam vel in legibus momenti habere video quicquam, vel esse novam, ut tanquam inaudita auscultationem mereatur, sed singulas a reis sexcenties inculcatas. Atque etiam e senioribus audio, Judices, violatori legum nihil omnino cuiquam esse veniæ tribuendum: sin quippiam forte sit, non continenter improbis, propter sordidum quæstum leges aspernantibus,—neque enim fas est:—sed iis qui ex imperitia rerum scriptas alicubi leges inviti neglexerint; quorum istum esse Theocrinem, nemo dixerit, contraque in legum omnium cognitione versatissimum. Quare cavendus est, neque vel ad mea, vel ejus verba respiciendum. Neque enim æquum est, ut qui pro legum defensione adsunt, prolixis fabulis et criminati-

onibus p̄ebeant aures, sed iis quæ facile omnes assequamini. Quare perspicuis verbis sic cum interrogate, ut omnibus civibus, hanc delationem, ita uti leges postulant, judicasse videamini: quid ais, Thcocrine, vosque omnes qui iisdein constricti estis criminibus? Num postulatis, ut qui sacramento adacti sumus, nos secundum leges pronunciatiros, propter vestram eloquentiam contra easdem decernamus? Nobis, Judices, et Mico testimonium dixit, quem Theocrines indicatum non est persecutus, istumque coarguit: et scriba fatetur se ab isto indicationem accepisse: et recitatum paulo ante testimonium istum convicit: et fori etiam curatores, ægre illi quidem, sed tamen eadem quæ hi testificati sunt: et qui indicationem propositam viderunt, quique ad prætores accesserunt, tale testimonium dicunt, quale paulo ante audivistis.

7. Quid igitur fieri queat iniquius, Judices, quam si istum absolveritis? Nec enim profecto propter mores rei, vitamque anteaactam, falsa esse jam lecta testimonia putabitis. Nam tales esse Theocrinem, e moribus multo magis, quam ex his quæ dicta sunt, elucet. Quid enim præternisit iste, quod homo improbus et calumniator facere possit? An non propter istius improbitatem, frater ejus, dum sexvir esset, cumque istius consiliis uteretur, talis apud vos homo visus est, ut non ipse solum repulsam tulerit die suffragationis, sed et universum magistratum in eandem calamitatem conjecerit? Qui nisi orassent, et supplicassent, ac Theocrinem accedere ad magistratum desisse dixissent, vosque placati coronas eis restituissetis, collegæ ejus summa ignominia essent affecti. Neque vero ullis mihi testiōniis est opus apud vos. Scitis enim omnes, sexviros, qui Lycisco prætore fuerunt, propter istum a populo fuisse improbatos. Quibus in memoriam revocatis, eundem istum esse nunc qui tum fuit, existimare debetis. Deinde non diu post repulsam, fratre ejus violenta morte perempto, iste ita se erga illum gessit, ut et eos qui cædem fecerant quæsierit, et compertos accepta pecunia dimiserit. Ac magistratum quidem quo ille fungens (sacrificus autem fuerat) occubuit, contra leges iste gessit, neque sortitione facta, neque subsortitione: illius vero casum hactenus indigne tulit, ut passim quiraretur, seque Democharem apud Areopagum delaturum profiteretur, donee cum iis, quibus ea cædes criminis dabatur, transegisset, bonusne vir est, et alienus ab avaritia? Nec ipse dicere queat. Nec enim ei tam multis esse opus oportere dicunt, qui juste et moderate rempublicam sit gesturus: sed ea omnia posse contemnere propter quæ largitiones in semetipsos insumanter.

8. Ac quæ de fratre suo egit, hæc sunt: quæ vero, postquam ad rempublicam accessit, administrarit—proxime enim et secundum

domesticos vos a se diligi dicet—audire est operæ pretium. Auspicabor autem ab iis, quæ in nos admisit. Patrem cum accusaret, Judices, ac violatarum legum reum faceret, insidias puerο, de quo decretum scriptum erat, fieri dicebat, in quo pater victimum Charidemo Isomachi filio decreverat, asserens, si in paternas ædes redisset puer, omnes opes, quas Æschylus, a quo erat adoptatus, ei dederat, amissurum: idque falso. Nemini enim unquam adoptato, Judices, id accidit. Et horum omnium auctorem Polyeuctum existisse dicebat, qui pueri matrem haberet in matrimonio, atque ipse pueri opes concupisceret. Irati autem Judices ob ea dicta, et opinati, ipsum quidem decretum et præmium legibus esse consentaneum, revera autem puerum pecunia fraudatum iri, patrem decem talentis mulctarunt, ut qui cum Polyeucto hæc moliretur, isti, ut pueri defensori crediderunt. Ac quæ in judicio acciderunt, hæc et hujusmodi fuerunt. Ut autem bonus iste vir homines iratos esse animadvertisit, et sibi, ut non omnino nefario, fidem haberi, arcessito Polyeucto diem apud prætorem dicit malæ tractationis, primamque sortitionem dat Mnesarchidæ assessori. Acceptis autem a Polyeucto trecentis drachmis, et atrocibus illis criminibus parvo ære venditis, ob quæ patrem decem talentis mulctarat, destitut, actionemque, pupillo prodipto, sustulit. Age voca mihi horum testes.

TESTES.

9. Quod si dives fuisset pater, et, o Judices, ei mille drachmas numerare potuisset, omnino crimine violatarum legum fuisset liberatus: tantum enim iste ab eo postulabat. Age voca mihi Philippidem Pæaniensem, ad quem dixit hæc Theocrines, et ceteros qui sciunt hæc ab hoc esse dicta.

TESTES.

Theocrinem igitur, Judices, si quis ei mille drachmas dedisset, accusationem patris fuisse aboliturum, onnes vos credituros, etsi nemo testificetur, arbitror: eundem autem multos alias arcessisse, et actione instituta prævaricatum esse, parvaque accepta mercede, recessisse, eos qui ei dederunt, ipsos vocabo, ne credatis ei, se observare legum violatores, glorianti, et violatarum legum sublati actionibus, corruere libertatem dictitanti. Hæc enim qui omnia vendunt, dicere solent. Voca mihi Aristomachum Critodemi filium Alopecensem; is enim dedit, vel potius in ejus ædibus datae sunt isti, incorruptæ fidei viro, duæ minæ cum dimidia, pro decreto quod Automedo in gratiam Tenediorum fecit.

TESTIMONIA.

Recita etiam ceterorum ejusdem generis ordine testimonia, et cum Hyperidis, tum Demosthenis. Insignis enim est avaritiae, a quibus nemo postulet nummos, istum libentissime accipere, vendentem accusationes.

TESTIMONIA.

10. Iste porro statim dicet, propterea se esse delatum, ut ab ea desistat actione, quam contra Demosthenem et Thucydidem institerit; callidus enim est mentiendi, et nugarum artifex. Nos vero, Judices, et hoc consideravimus, vobisque demonstrabimus, nihil capere detrimenti rempublicam, sive, ita me amet Jupiter, ratum habeatur decretum Thucydidis, sive irritum fiat. Quanquam autem hujusmodi defensiones apud eos qui se pronunciatus jurarunt secundum leges, proferri injustum est: tamen ex ipsa statim accusatione cognoscetis, ad eludendam hanc delationem, accusationem illam pertinere. Recita accusationes has.

DECRETA. ACCUSATIONES.

Hæc decreta, Judices, seu rata habeantur, seu damnentur,—nam mea quidem id nihil interest,—, quid civitas aut lucri facit, aut danni? Evidem nihil arbitror. Tenedios enim aiunt nihil curare nostram civitatem, idque per Theocrinem esse factum. Calumniis enim per istum appetiti illis temporibus, quibus eorum alii Philippo, alii Atheniensibus studebant, cum audirent iniquæ rogationis postulari decretum illud, quod Charinus ante decretum de tributo, Thucydide auctore factum, accusarat, nec ullum esse rerum existum, sed concedere populum, ut Tenedii tantum tributi penderent, quantum Chareti duci promisissent, istum autem impurum hominem pollicitum Charino proditori suam operam, quod necesse habuerunt, id fecerunt. Ex urgentibus enim malis id quod fuit minimum elegerunt. Quid vero probabile fuit, eos nostratis moveri decretis, quibus optabilius fuit præsidia recipere, et Barbaris parere, vestra societate reicta? sed istius ferre improbitatem soli vos, opinor, potestis: alius Græcorum nemo.

11. Non convenire autem vel propter eas quæ recitatæ sunt accusationes, vel ullam aliam ob causam, violatis delationum legibus absolvı Theocrinem, ex his etiam quæ dicta sunt, ferme perspicitur: ego vero causas istorum, Judices, et accusations, et simulatas istas simultates, non latere vos existimo. Neque enim raro vidistis eos in foro et suggesto præ se ferre inimicitias, privatim

autem colludere, partirique largitiones ; atque aliquando conviciari inter se, et extremis invicem probris afficere, paulo post, dies festos una agitare, et sacra habere communia. Neque horum fortasse quicquam est miratu dignum. Nam et natura sunt improbi, et tales velitationes vident a vobis approbari. Quare quid vetat, quo minus his artibus decipere vos instituant? Denique decere vos opinor, Judices, illud spectare, si æqua dicam et consentanea legibus ipsa de re, ut opitulemini, neque intueamini, an is qui accuset, non sit Demosthenes, sed adolescentulus; neque plus tribuatis legibus, si quis eas verbis exornatas vobis exhibeat, quam si qui quomodounque explicent, sed parem, atque eandem auctoritatem, tantoque magis imperiti et adolescentes adjuvandi sunt, quanto minus vos deceperint. Nam contrarium esse factum, et non istum, sed me factionibus pressum, et a quibusdam qui receperant, se a me staturos, propter istorum conspirationes esse proditum, non istum, perspicuum vobis erit. Vocet præco hic Demosthenem, non adscendet. Ejus autem rei causa est non hæc, quod a quibusdam adductus, istum detuli, sed quod iste, et is qui modo vocabatur, inter se transegerunt. Quod ut verum esse constet, dicere testimonium cogam Clinomachum, qui eos reconciliavit, et Eubulidem, qui in Cynosarge interfuit. Neque vero signum vobis hoc minus, sed majus proferam, unde constet hoc esse verum, quo audito, mihi omnes assentiemini. Theocrines, qui violatarum legum accusat impurum illum, ut quamprimum dicet, et istorum ei malorum auctorem, palam ei remisit id crimen quod decem talentis æstimarat. Qui? Nihil id quidem novi, sed idem facit, quod alii quidam istius similes egerunt. Nam Demosthenem, pronunciata actione, juravit quidam ægrotare, cum is ambularet, atque Æschini conviciaretur : eum vero inimicum iste missum fecit, et neque tunc jusjurandum dedit, neque deinceps ei denunciavit. Nonne evidenter isti fucum vobis faciunt, qui eos ut inter se inimicos auditatis? Recita testimonia.

TESTIMONIA.

Proinde justum est, Judices, neque vos eos audire velle, qui se Theocrini ex odio Demosthenis patrocinari profitentur: jubete potius, siquidem revera inimici sint, ut eum illi accusent, neque contraria legibus scribere patiantur,—sunt autem et ipsi eloquentes, et plus apud vos habent auctoritatis—: sed non facient hoc. Quamobrem? Quia se dicent inimicos esse, cum non sint inimici.

12. Sed istorum inimicitias vos mihi certius exposueritis quam ego vobis. Libens autem coram vobis Theocrinem percontarer, si

mihi aliquid æqui responderet, quidnam faceret—quando id suum munus esse dicit, ut eos qui contraria legibus decernunt, coercent—, si quis apud omnes cives oratione habita et probata, decerneret, licere ignominiosis et ærariis accusare, indicare, deferre, ea denique agere quæ nunc leges eis interdicunt; nunquid decreti auctorem violatarum legum accusaret necne? Nam si dicat, se non esse accusatum, est ne habenda ei fides, se eos, qui scribant contraria legibus observare jactitanti? sin accusaret, quid iniquius, quam alio auctore intercedere, ne id decretum, quo ea potestas detur omnibus, ratum fieret, et accusatione instituta perspicue adscriberc, rem esse legibus interdictam, nunc istum ipsum factitare accusations, cum id neque a populo impetrarit, neque rem publice deliberandam proposuerit, legibus id vetantibus? Statim autem dicet, inique secum agi, si hæc sibi facere non liceat, legumque severitatem, quibus futurus sit obnoxius, si damnetur, commemorabit: leges autem non curabit, sed tantam sibi dari a vobis licentiam postulabit, quantum nemo unquam petere fuit ausus.

13. Jam quod ad delationem attinet, neque Theocrinem, neque defensorum ejus ullum, quicquam æqui allaturum, fere omnes vos scire existimo: fore autem arbitror, ut dicere instituant, nec licere deferri quenquam eorum, qui in arce non sint inscripti, neque in ærariis eos habendos esse, quorum nomina nemo tradiderit exactoribus. Quasi vero vos legem ignoretis, quæ debere ab ea die jubet, a qua damnatus sit, sive legem, sive decretum violarit: aut non omnibus notum sit, multis modis deberi ærario, et eos qui legibus parere velint, solvere. Id quod ex ipsa lege perspicitur. Age denuo mihi cape legem hanc.

LEX.

Audisne, tu impura bellua? a qua die debuerit aut legem violarit. Sed eos illam quoque legem ostensuros esse vobis audio, quæ delere jubet inscriptos, si mulcta soluta fuerit, et rogatueros, quomodo mulcta eorum, qui non inscripti sint, deleri possit; quasi vero ea non de inscriptis lata sit, de non inscriptis, et debentibus autem, lex illa, quæ jubet ex ea die debere, a qua mulctatus sit, legemve aut decretum violarit. Quid igitur non neglectæ scripturæ, inquit, me accusas, qui cum debéam, non sim inscriptus? Quia lex non in eos qui debent, et inscripti non sunt, neglectæ scripturæ dat actionem: sed in eos, qui quamvis inscripti, non soluta reipublicæ mulcta, deleti fuerint. Cape legem, ac recita.

LEX.

Auditis legem, Judices, aperte dicere, si quis ærarius non

soluto reipublicæ debito deleatur, dari in eum actionem expunctionis apud sexviros, non in eum qui debet nec inscriptus est, sed deferri eum et aliis pœnis mulctari jubere. Sed quid tu me omnes ulciscendi inimicos vias edoces, ac non potius eam rationem, qua es adductus in judicium, refutas?

14. Mœrocles certe qui decretum in eos fecit, qui mercatores injuriis afficiant, nec vobis tantum, sed sociis etiam persuasit, in eundam esse rationem, qua facinorosis resistatur; statim adeo contra decreta sua defendere Theocrinem non erubescet, neque suadere vobis dubitabit, tam aperte convictum de injustis mercatorum delationibus, ut absolvatis, atque impune dimittatis; non aliter quam si propterea censuisset piratarum grassationibus obsistendum, ut qui navigant, superato maris periculo, istis in portu pecuniam penderent, aut mercatorum aliquid interesset, vitato Macro in Theocrinem incidere. Ego vero quæ inter navigandum accidunt, non vobis sed ducibus longarumque navium præfectis adscribenda censeo: quæ vero in Piræeo, et apud magistratus, vobis, qui hæc omnia in potestate habetis. Quare magis cavendi sunt qui hic leges violant, quam qui foris decreta negligunt; ut ne ipsi æquis ferre animis ea quæ fiunt, et scelerum horum esse consciæ, videamini. Nec enim, cum a Meliis, o Mœrocles, ex tuo decreto decem talenta ob receptos piratas exigamus, istum absolvemus, qui et tuum decretum et leges quæ civium consociationem tuentur, violavit: neque cum insularium injurias prohibeamus, qui ut justitiam colant, classe missa cogendi sunt, vos nefarios, quibus in hoc consessu mulctam irrogare debent, hi absolvent. Minime vero, si sapitis. Recita columnam.

COLUMNÆ.

15. Ac de legibus ipsaque re haud scio plura dicere quorsum attineat,—satis enim vos ea cognosse censeo,—, volo autem æqua re pro me ipso et patre a vobis orata, descendere, neque vobis diutius facessere negotium. Ego, Judices, cum patri opitulandum, idque justum esse putarem, nomen istius detuli, ut dixi initio, non ignorans et iis qui vituperare volent suppetitura verba, quibus ætatem meam calumnientur, et laudaturis, qui me prudenter facere putabunt, qui ulcisci paternum hostem instituerim: verum hæc, ut fortuna tulisset, sic apud auditores eventura existimavi, mihi autem mandatum patris, justum præsertim, esse exsequendum. Quando enim ostenderem me ei opitulaturum? Non cum vindicta legibus conceditur? cum ego sum particeps paternæ calamitatis? cum solus pater est derelictus? id quod modo accidit. Nam præter alia

infortunia nobis et hoc, Judices, evenit, ut cum omnes nos instigarent, nostram sortem miserati, et inique nobiscum esse actum dixerint, et istum delatione teneri affirmarint, eorum nemo tamen nobis opitulari velit, neque se velle suspicere inimicitias, palam profiteantur. Adeo plus apud plerosque valet metus, quam justitiæ respectus. Cum autem, Judices, per Theocrinem multæ nobis calamitates tempore haud exiguo datae sint, nulla major est ea quæ nunc accidit, quod facinora Theocrinis legumque violationes, pater, qui et læsus est, et demonstrare posset, silentio tegere necessere habet,—leges enim ita præcipiunt—mihi vero, cujus facultas his omnibus impar est, verba facienda sunt. Ac aliis adolescentibus patres opem ferunt, hic vero in me spem habeat collocatam.

16. Tali igitur certamine conflictantes, vos precamur, ut nobis opitulemini, et omnibus ostendatis, sive puer, sive senex, sive quacunque ætate quispiam ad vos confugerit, et ad leges, ei vestram justitiam esse præsidio. Honestum est etcnimi, Judices, neque vos, neque leges in oratorum, sed illos in vestra esse potestatc, discriminque constitui inter eos, qui bene et perspicue, et inter eos qui æqua dicunt. Nam de ea re vos pronunciatiuros jurati estis. Neque enim quispiam vobis persuadebit, propterea defuturos istius generis oratores, aut propterea pejus actum iri cum republica. Contra ego e natu majoribus audio, tum floruisse maxime rempublicam, cum a modestis et prudentibus viris regeretur. Nunquid enim consiliarios istos esse bonos invenietis? At nihil populo dicunt, et iis qui populo consulunt, accusandis locupletantur. Idque admiratione dignum est, cum calumniando vitam sustentent, dicere eos, se nihil accipere e publico, qui antequam ad vos se contulissent, inopes, nunc ditati, nullam vobis gratiam habent: sed passim dictitant, quam inconstans sit populus, quam intractabilis, quam ingratus; perinde ac si vos per eos ditemini, non ipsi per populum. Atque jure adeo talia dicunt, cum vestram ignaviam videant, qui neminem, ut eorum merebatur improbitas, punieritis, sed aures eis præbeat, dicentibus, populi salutem pendere ab accusatoribus et calumniatoribus. Quibus non aliud genus est pestilentius. Quam enim ab istis præstari reipublicæ utilitatem reperias? Delinquentes isti nimirum puniunt, et propter hos illi sunt pauciores? Non utique, Judices, sed plures etiam. Nam qui facinus aliquod animis agitant, cum sciant, istis etiam aliquid esse de præda impertiendum, necessario plus aliis eripere instituunt, ut non sibi solum, sed istis etiam sumptus suppetant. Ac a ceteris quidem malefiscis, qui iis qui in ipsis inciderunt nocent, et res familiaris, custodibus adhibitis, servari potest, et qui domi noctu manet, nihil mali patitur, alii sola vigilantia male cogitantium insidias vitare queunt. At quorsum abeas, ut ab istiusmodi calu-

mniatorum metuimmunis degas? Nam quo in aliis injuriis confugimus, ad leges, ad judicia, ad testes, ad conciliabula, hæc illis quæstui sunt, in his vires ostentant suas; amicos existimant eos qui numerant, hostes, homines quietos et divites.

17. Recordamini igitur, Judices, et improbitatis istorum, et majorum nostrorum, quorum Epichares, avus meus, Olympiæ pueros stadio vicit; coronamque reipublicæ retulit, et apud majores vestros cum bona existimatione diem suum obiit. Nos vero propter istum diis invisum hac civitate fraudamur, pro qua Aristocrates Scellii filius, avunculus Epicharis avi mei, cuius huic fratri meo nomen est inditum, multis et præclaris rebus gestis, bellum nostra urbe gerente cum Lacedæmoniis, eversa Eetionea, in quam Critias cum ceteris tyrannis Lacedæmonios recepturus fuit, castellum e quo oppugnabamur diruit, populumque restituit: non talia, qualia hæc sunt pericula subiens, sed ejus generis, in quibus et mortem opere præclarum est, et conatus eorum, qui vobis insidiabantur, compescuit. Propter quem, si Theocrini similes essemus, jure nos conservaretis, nedum, cum co meliores simus, justamque causam habeamus. Neque enim saepe vos, his dicendis, obtundemus: Sic enim iste nobiscum egit, ut, quod et initio dicebam, ne spes quidem ulla nobis sit reliqua vel peregrinis concessæ libertatis. Ut igitur, si nihil aliud, vel hoc solatum habeamus, ut et istum coercitum videamus, nos adjuvate: miseremini eorum, qui e nostra familia mortem pro republica oppetierunt: cogite eum ad ipsam delationem respondere: et tales in ejus causa vos præbete, Judices, qualis iste nostri fuit accusator, qui deceptis judicibus, mediocrem aliquam infligere mulctam patri noluit, me multum obtestato, et ante ejus genua suppliciter provoluto, sed, tanquam pater rempublicam prodidisset, litem ei decem talentis æstimavit. Oramus igitur atque obsecramus, ut justa quæ sunt, decernatis. Heus tu, auxiliare nobis, si quid habes, et patrocinare. Adscende.

LIBANII ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA NEÆRAM.

Et hanc orationem non putant esse Demosthenis, quod et supina sit, et multis in locis vi nostri oratoris tenuior. Argumentum autem talc habet. Lege jubente, si viro Atheniensi mulier peregrina nupserit, ut ea vendatur, ex hac lege Neærām aggreditur Theomnestus, eam in matrimonio esse Stephani dicens, cum ancilla Nicarete fuerit, et antea quæstum corpore fecerit, nunc esse Stephani matrem familias, qui ex ea liberos suscepit. Quæ Stephanus haud fatetur: atque eam apud se concubinæ, non uxoris esse loco dicit, neque ex ea sibi natos esse liberos. Quod accusator oppugnans, non paucis argumentis demonstrat, cam matrem familias illi esse. Fit igitur status orationis conjecturalis. Nam quæstio neque de proprietate est, neque de qualitate, sed de re. Ac primam orationis partem Theomnestus recitat: deinde patronum Apollodorum vocat sacerum suum. Is causam perorat.

DEMOSTHENIS CONTRA NEÆRAM ORATIO.

1. **MULTA** fuere quæ me hortarentur, Athenienses, ad Neærām hoc judicio accusandam, et vestris sententiis subjiciendam. Nam a Stephano magnis injuriis affecti sumus, et in extrema discrimina per eum adducti, et sacer meus, et ego, et soror, et uxor mea; quare in causa hac non a me lacceditur, sed propter exigendam ultionem accusatur. Nam inimicitias iste ultro auspicatus est, nullo unquam a nobis vel dicto, vel facto læsus. Antequam autem ad rem veniam, quid ab eo perpessi simus, ut mihi plus veniae tribuat ultiōrem expetenti, et ut in extrema pericula nos conjecerit patriæ dignitatisque amittendæ, vobis explicabo.

2. Cum populus decreto fecisset Atheniensem Pasionem, et posteros ejus, propter collata ejus in rempublicam beneficia, pater quoque meus, populi donatione approbata, Apollodoro ejus filio uxorem dedit filiam suam, sororeni meam, e qua liberos quos habet, Apollodorus suscepit. Cum autem Apollodorus, et in sororem, et nos omnes benignus esset, nosque revera necessarios et domesticos duceret, omniaque inter nos essent communia, et ego uxorem duxi Apollodori filiam, meam ex sorore neptem. Progressu temporis senatoriam dignitatem sortitur Apollodorus. Approbatus, legitimi-

moque jurejurando dato, cum tale tempus et bellum reipublicæ nostræ incidisset, in quo si vicisemus, maximis Græcorum nobis esse licebat, et citra controversiam tum nostra recuperare, tum Philippum debellare, sin opem segniter tulissemus, et socios deseruissemus, propter inopiam pecuniæ dissipato exercitu, metuendum esset, ne hos amitteremus, et a ceteris Græcis perfidiæ notaremur, et de reliquis—ut Lemno, ut Imbro, ut Scyro, ut Chersoneso—in periculum veniremus, cumque vos, omnibus civibus eductis, expeditionem et ad Olynthum, et in Eubœam instituissetis, scripsit decretum in senatu Apollodorus senator, et senatusconsultum ad populum retulit, ut suffragia ferret populus, placeretne reliquam vectigalium pecuniam esse militarem, an theatram: nam et leges jubebant, belli temporibus reliquias vectigalium esse militares, et penes populum esse oportere putabat, ut is de suis suo arbitratu statueret, et jurarat se optima suasurum esse populo Atheniensium, ut vos omnes eo tempore testati estis. Latis enim suffragiis, nemo refragatus est, quo minus ea pecunia in stipendia militum conferretur; atque hodie etiam, si quando mentio incidit, confitentur omnes, cum rectissime dixisset, inique cum eo esse actum. Illi igitur, qui Judices verbis circumvenit, irascendum est, non circumventis. Nam Stephanus id decretum violatarum legum reum fecit, et calumniandi gratia forum ingressus, falsis testibus productis, cum extra causam declamitasset, decretum damnavit. Quo perfecto si quiescere voluissest, non graviter ferremus: sed cum litem æstimaturi Judices calculos sumerent, orantibus nobis, ut veniam daret, noluit, sed quindecim talentis litem æstimavit, ut honoribus privaret ipsum, et liberos ejus, et sororem meam, et nos universos ad extremam inopiam redigeret, et penuriam omnium rerum. Nam res ei non omnino trium talentorum erat: ut tantam mulctam non posset solvere. Quæ si extremo senatus conventu non solveretur, duplicabatur, ita ut Apollodorus inscribendus esset triginta talentorum debitor: quo inscripto in publicas tabulas, res Apollodori familiaris inscribenda fuit, ut publicata: ea autem divendita, fortunis omnibus eversi essemus, et ipse, et liberi ejus, et uxor, nos denique omnes. Altera præterea filia nuptum elocari haud potuisset. Quis enim ab ærario et egeno indotatam accepisset?

3. In tanta mala nos nunquam læsus a nobis conjiciebat. Judicibus autem, qui tum jus dixerunt, hoc quidem nomine, magnam habeo gratiam, quod eum tolli e medio non siverunt, sed litem talento æstimarunt, ut ægre posset solvere. Huic igitur jure parem referre gratiam instituimus. Nec enim hac parte duntaxat nos evertere studuit, sed et e patria hunc ejicere voluit. Impegit enim ei falsum crimen, eum debuisse ærario ab annis quinque et viginti, profectumque aliquando Aphidnas, ad fugitivum ibi quærendum,

percussisse mulierem, quo ictu illa perierit : et advocatis atque subornatis hominibus servis, qui se Cyrenæos esse dicerent, cædis ei diem dixit apud Palladium, causamque egit Stephanus, jurejurando dato, occidisse suis manibus Apollodorum eam mulierem, exitium imprecatus sibi, et generi, et familiæ, atque ob eam rem diris semet ipsum devovit, quæ neque facta fuit, neque visa ab eo, neque ex ullo mortalium auditâ unquam. Deprehensus autem et in perjurio, et falso crimine intentato, cum etiam liqueret, eum a Cephisophonte et Apollophane mercede esse conductum, ut aut ejiceret Apollodorum, aut honoribus privaret, accepto argento, pauca suffragia de quingentis consecutus, abiit perjurus, atque improbitatis opinionem lucrificat.

4. Cogitate igitur ipsi, Judices, et apud vestros animos reputate, quo in loco res meas futuras fuisse credendum sit, si quid Apollodoro eorum luere accidisset, quæ Stephanus in eum instruxerat, sive in priore, sive in posteriore judicio. Quod in dedecus, quamvis in calamitatem non incidisset? Cum me igitur hortarentur omnes seorsim, meque convenirent, ut ad ultiorem injuriarum ejus converteremur, et ut hominem omnium ignavissimum incesserent, si tam arcta cum his necessitudine conjunctus, pœnas non exigerem pro sorore, et affinibus, et neptibus, et uxore mea, neque palam in deos impiam, et in civitatem contumeliosam, et legum contemptricem vestrarum, ad vos adductam, ejus sceleribus patefactis, vestræ potestati subjicerem, ut vestro arbitratu de ea statueretis : et quemadmodum me Stephanus meis necessariis contra leges et decreta spoliavit, sic et ego apud vos ostenderem, istum in matrimonio habere peregrinam mulierem, contra legem : et alienigenas liberos tum ad tribules, tum ad populares adducere : et despondere meretricum filias pro suis : et sacris deorum immortalium pollutis, populi auctoritatem tollere, si quem facere velit civem. Quis enim posthac civitatis adipiscendæ cupidus, a populo beneficium hoc magnis sumptibus magnoque negotio impetrandum censeat, cum idem a Stephano et minoris emere, et conditione liceat nihilo esse deteriore?

5. Quibus ego igitur injuriis prior a Stephano laccessitus, actionem adversus eum hanc instituerim, vobis exposui : peregrinam autem esse Neæram, et Stephani esse matrem familias, et sæpe leges et instituta civitatis violasse, haec vobis jam cognoscenda sunt. Peto igitur a vobis, Judices, quæ peti æquum est, ut me, et adolescentem, et dicendi imperitum, patronum huic causæ adhibere jubeatis Apollodorum. Nam et natu major est quam ego, et legum peritior, et a Stephano læsus, et magnum his rebus omnibus studium impendit. Quare nec invidiosum ei est, eum ulcisci a quo sit laccessitus : vos autem decet ipsa veritate ex accusatione et de-

fensione prefecte cognita, sic demum ferre sententiam pro diis, pro libibus, pro justitia, pro vobis ipsis.

ADVOCATIO.

6. Quibus affectus injuriis, Athenienses, a Stephano ad accusandam Neæram adscenderim, Theomnestus vobis exposuit: peregrinam autem esse Neæram, et contra leges nupsisse Stephano, id ego perspicue demonstrabo. Ac primum lex vobis recitabitur, qua Theomnestus actionem hanc instituit, et causa hæc apud vos agitur.

LEX.

Sic hospes mulierem civem duxerit quacunque arte aut machinatione, quivis Atheniensium, eni id licet, eum apud sexviros accusato: qui si damnatus fuerit, venundetur tum ipso tum res ejus familiaris, et triens sit ejus qui reum peregerit. Similiter si et peregrina civi cuiquam nupserit, pari ratione, is etiam qui peregrinitatis damnatam habuerit in matrimonio mille drachmis mulctetur.

7. Legem, Judices, audivistis, quæ nec peregrinam civi nubere. Neque civem mulierem peregrino, neque suscipere ex ea liberos arte ulla aut machinatione sinit: quæ si quis violarit, actionem contra eos dedit apud sexviros, tam contra eos dedit apud sexviros, tam contra peregrinum, quam contra peregrinam; qui si damnentur, eos venundari jubet. Jam peregrinam esse Neæram, id vobis ab ipso primordio demonstrabo. Septem puellas ab ipsa infantia emit Nicareta, Charisii Elei liberta, Hippiæ coqui cius uxor, gnara et perita perspicienda venustæ parvolorum naturæ, et eos solerter educandi instituendique scia, ut quæ artem eam exerceret, atque ex ca re victum collegisset, filiarum autem eas nomine compellavit, ut quam maximas ab iis, qui earum consuetudinem tanquam ingenuarum appetebant, mercede exigeret; postea quam autem florem ætatis earum magno cum quæstu prostituit, uno, ut ita dicam, fasce, corpora etiam earum, cum septem essent, vendidit, Antiæ, Stratolæ, Aristocleæ, Metaniræ, Philæ, Isthmiadis, et Neæræ. Quam igitur unusquisque earum emerit, et ut ab iis qui eas a Nicareta emerant, libertate donatae sint, progressu orationis, si audire volletis, et aqua mihi suppctet, vobis explicabo: Neæram autem fuisse Nicaretæ, et corpore fecisse quæstum, morigeram omnibus, qui cum ea congregati pretio dato vellent, hoc vobis denuo narrabo. Lysias sophista, Metaniræ amator, voluit præter alias impensas, quas in eam conferebat, eam etiam initiare; quod existimabat, reliquos sumptus dominam ejus percipere, quæ vero in festum et initia pro ea insumeret, iis se ab ipsa muliere gratiam initurum. Precatus igitur est Nicaretam, ut ad initia veniret, Metanira secum adducta ut iniciaretur, ipseque se illam iniciaturum est pollicitus. Quas,

cum venissent, in suas ædes Lysias non introduxit, veritus cum uxorem quam habebat, Brachylli filiam, suam neptem, tum matrem suam natu grandem, quæ in iisdem ædibus habitaret; sed ad Philostratum Coloneum, cœlibem adhuc, et sibi amicum, dederit eas Lysias, tam Metaniram, quam Nicaretam. Comitabatur eas etiam Neæra, jam quidem vulgato corpore, sed junior, et ætate adhuc immatura. Ut igitur vera me dicere, et fuisse Nicaretæ Neæram, constet, et secutam illam, et mercedem numeranti cuivis sui fecisse copiam, harum rerum vobis ipsum Philostratum voco testem.

TESTIMONIUM.

Philostratus Dionysii filius Coloneus testator scire se Neæram fuisse Nicaretæ, cuius et Metanira fuerit, et ad se esse deductam, cum ad initia huo venissent, dum Corinthi degerent: apud se autem esse collocatas a Lysia Cephali filio amico suo et familiari.

8. Rursus, Athenienses, deinde Simus Thessalus cum Neæra ad magna Panathenæa advenit, comitante eos etiam Nicareta. Cum autem diverterentur ad Ctesippum Glauconidæ filium, et compotabat et concœnabat coram multis Neæra, tanquam meretrix. Et ut vera me dicere constet, horum vobis testes voco. Age, accerse mihi Euphiletum Simonis F. Æxonensem, et Aristomachum Critodemi F. Alopecensem.

TESTES.

Euphiletus Simonis filius Æxonensis, Aristomachus Critodemi filius Alopecceus, testantur scire se Simum Thessalum profectum esse Athenas ad Panathenæa magna, et cum eo Nicaretam et Neæram nunc ream, eosque divertisse apud Ctesippum Glauconidæ filium, et cum eis compotasse Neæram tanquam meretricem, cum etiam alii multi adesserent et compotarent apud Ctesippum.

9. Post hæc igitur, cum Corinthi palam quæstum occepisset, ac nobilitata esset, tum alii ejus amore capti sunt, tum poeta Xenoclides, et Hipparchus histrio, eamque conductam habuerunt. Ac me vera dicere, Xenoclidæ testimonio vobis ostendere non possum—leges enim dicere testimonium non sinunt: quod vobis Laddæmonios defendantibus, Callistrato auctore, cum refragatus esset illi defensioni pro concione, frumenti quinquagesima in pace redempta, cumque eum singulis senatus conventibus pensiones in curia numeratae oporteteret, et legibus data immunitate frueretur, in eam expeditionem non progressus, et a Stephano desertæ militiae accusatus, et apud Judices in odium atque invidiam adductus, damnatus, ignominiaque notatus est. An vero non iniquum esse putatis, cum natura cives, et legitima ratione civitatis participes, a Stephano civitate sint privati: eos qui omnino alieni sunt, per vim pro Atheniensibus intrudi contra omnes leges?—, Hipparchum au-

tem vobis ipsum voco, et cogam testari; aut cjurare secundum legem, aut citabo eum. Age voca mihi Hipparchum.

TESTIMONIUM.

Hipparchus Athmonensis testatur Xenoclidem et se conduxisse Neæram Corinthi, eam quæ nunc rea sit, tanquam meretricem prostitutæ pudicitiæ, et Corinthi secum compotasse Neæram et cum Xenoclide poeta.

10. Post hæc ejus amatores fiunt duo: Timanorides Corinthius, et Eucrates Leucadius. Qui, quoniam sumptuosa erat Nicareta, et imperiosa, petebatque quotidianas impensas omnes sibi subministrari, pretio corporis ejus triginta minis numerato Nicaretæ, eam ab illa, more urbis, emerunt, ut omnino ancilla sua esset, eamque habuerunt, et usurparunt quamdiu voluerunt. Ducturi autem uxores, ei denunciant, se nolle eam, quæ sua amica fuisset, Corinthi videre quæstum facientem, aut lenoni servientem: malle minus argenti ab ea recipere quam numerassent, et ipsam secundiore fortuna videre utentem. Remittere igitur ei se dicebant ad libertatem mille drachmas, quingentas utrumque: viginti autem minas, ipsam comparare, sibique reddere jubebant. Quæ, auditis his Eucratis et Timanoridæ verbis, Corinthum accersit cum alios veteres suos amatores, tum Phrynonem Pæaniensem, Demonis filium, Democharis fratrem, vitam agentem luxuriosam, et sumptuosam, ut vestrum seniores méminerunt. Profecto igitur ad eam Phrynione, orationem Eucratis et Timanoridæ ei refert, dát argentum, quod ab aliis amatoribus tributi nomine exegerat, collecta ad libertatem conquienda, et si quid ipsa forte comparserat: eumque rogat, ut reliquo adjecto quod decesset viginti minis, pro se Eucrati et Timanoridæ, quo liberaretur, numeraret. Quibus ille verbis libenter auditis, acceptoque argento quod mulieri a ceteris amatoribus collatum erat, et eo quod deerat de suo adjecto, viginti minas, ejus pretium, Eucrati et Timanoridæ numerat pro libertate, eaque conditione ut ne Corinthi quæstum faceret. Et ut vera me dicere cognoscatis, hunc vobis qui interfuit testem vocabo. Age voca Philagrum Melitensem.

TESTIMONIUM.

Philager Melitensis testatur interfuisse se Corinthi, quum Phrynio Democharis frater virginis minas pro Neæra nunc rea numeraret Timanoridæ Corinthio et Eucrati Leucadio, argentoque numerato, Neæram secum Athenas aveheret.

11. Profectus igitur huc, eam petulanter et proterve habuit, ad cœnas, ad pötationes quocumque secum adduxit, semper igitur cum ea comessabatur, remque palam ubicunque erat libitum habebat, quod eam licentiam apud spectatores laudi sibi duceret. Adducebat eam comessatum cum ad alios multos, tum ad Chabriam Æ-

xonensem, cum is, Socratide prætore, quadrigis Pythia vicisset, quas emerat a Mityis Argyrii liberis, et Delphis rediens, epulas in Coliade præberet propter victoriam. Ibi et alii multi cum ea ebria, dormiente Phrynione, rem habuerunt, et ministri Chabriæ, qui mensam struxerant. Hæc a me vere dici ut intelligatis, testes vobis producam eos qui viderunt, quique interfuerunt. **Age** voca mihi Chionidem Xypetæonem, et Euthetionem Cydathenæensem.

TESTIMONIUM.

Chionides Xypetæo, Euthethio Cydathenæensis, testantur se vocatos fuisse ad cœnam, cum Chabrias ob victoriam currulis certaminis epulum præberet, convivioque in Coliade exceptos, scireque se Phrynionem astusse in cœna illius secum adducta Neæra, ea quæ nunc periclitetur, et sè dormisse et Phrynionem et Neæram, sequensisse noctu assurrexisse ad Neæram tum alios tum ministrorum quosdam, qui Chabriæ servi essent.

12. Cum autem importune et contumeliose a Phrynione haberetur, non ut putarat, amaretur, neque is ei ad votum obsequeretur, convasata ejus suppellectile, et quæ is ei vestimenta compararat, aureisque ornamenti, cum duabus ancillis Thratta et Cocalina, Megara aufugit. Id est eo tempore factum, quo Astius præturam gessit Athenis, qua tempestate vos posterius cum Lacedæmoniis bellum gerebatis. Commorata igitur Megaris est biennium, et Astii, et Alcisthenis prætoris annum: cum quidem ei quæstus corporis non satis magnas ad alendam familiam domumque instruendam copias suppeditaret (sumptuosa enim erat) quod et cives illiberales essent et tenaces, et hospites ibi non frequentes versarentur, propter bellum, cum Megarenses Laconibus stuperent, et vos mari imperaretis, Corinthum autem ei redire non licebat, cum ea conditione dimissa esset ab Eucrate et Timanoride, ut ne Corinthi quæstum faceret. Ut igitur pax Phrasiclide prætore facta est, pugna in Leuctris a Thebanis et Lacedæmoniis commissa, Stephanus Megara profectus, apud eam ut meretricem diversatus, et cum ea congressus est. Ibi illa expositis ei rebus omnibus et injuriis Phrynionis, traditisque pecuniis quas ab illo hinc abstulerat, cupida quidem huc redeundi, sed Phrynionem a se compilatum metuens, quem et sibi iratum, et vehementi esse ac violento sciret ingenio, Stephanum patronum adsciscit. Is vero Megaris in spem erectam et verbis inflatam eam, laturum infortunium Phrynionem dictitans, si eam attigisset, seque uxorem eam ducturum, et liberos, quos tum haberet, ad tribules adducturum, civesque facturum tanquam suos, neminemque mortalium ei manus allaturum, pollicitus: huc eam secum Megaris adduxit, et pueros cum ea tres, Proxenum, Aristonem, et filiam, quam nunc Phanonem nominant, et cum ipsam, tum liberos in domunculam introduxit, quæ ei erat ad susur-

ronem Mercurium, intra Dorothci Eleusinii ædes et Clinomachi, quam nunc Spintharus ab eo mercatus est septem minis. Nam opes Stephani tum hæ erant, prætereaque nihil ei erat. Duabus autem de causis eam duxerat, ut et sine sumptu atque immunis formosum scortum haberet, et mulier ad victimum necessaria quæreret, familiamque sustentaret; neque cùm iste ullos alios habebat redditus, nisi forte quid per calumnias extorsisset. Phrynio vero, ubi audivisset eam in urbe esse, et apud istum diversari, assumptis secum adolescentibus, et ad ædes aggressus Stephani, eam ducebat; asserente autem eam Stephano secundum legem in libertatem, apud belliducem sponsione illam obstrinxit. Ac ut me vera dicere constet, horum testem eum ipsum, qui tum Polemarchus fuit, adducam. Voca mihi Aetem Ciriadē.

TESTIMONIUM.

Aetes Ciriades testatur, se belliduce sponsione obligatam Neæram nunc ream a Phrynione fratre Democharis, et Neærae vades esse factos, Stephanum Eurœadam, Glaucetem Cephisiensem, et Aristocratem Phalereum.

13. Sponsione per Stephanum liberata, apud eum commorans, eundem quæstum nihilominus, quem antea factitabat, sed majores mercedes exigebat, si quis cum ea rem habere vellet; ut quæ jam prætextum haberet suæ turpitudinis, et nupta esset. Calumnias et iste adjuvabat, si quem hospitem, ignotum, divitem, ejus amatorem deprehendisset, pro adultero intus includens, et argenti multum extorquens. Nec injuria. Nam res familiaris nec Stephano erat, nec Neærae, unde quotidianos sumptus sustinere possent; expensæ autem permultæ erant, quod et istum, et se, et tres liberos, quos illa secum adduxerat, et duas ancillas, et puerum ministrum alere oporteret, præsertim quùm bene victitare didicisset, ab aliis sustentata prius. Neque enim e republica reditus aliquo nomine dignos habebat Stephanus,—ut qui nondum orator esset, sed calumniator adhuc, ex eorum numero qui ad suggestum acclamant, et mercede accusant, et indicant, et alienis sententiis subscribunt,—donec in clientelam Callistrati Aphidnæi se insinuavit. Quo vero pacto, et quam ob causam, id quoque vobis narrabo, ubi primum de Neæra hac ostendero, eam esse peregrinam, magnisque vos affecisse injuriis, et in deos impiam exstitisse, ut cognoscatis, ipsum quoque dignum esse non minori supplicio, quam Neæram, sed multo etiam majore, tantoque magis, quod se Atheniensem esse cum dicat, usque adco et leges contempsit, et vos, et deos, qui pudore et conscientia suorum scelerum non est adductus, ut quicceret, sed dum et alios, et me calumniari non dubitat, effecit, ut et ipse, et ista in periculum adduceretur, ut et illa qualis sit exploretur, et istius improbitas coarguatur.

14. A Phrynnione igitur vocatus in judicium, ob Neæram in libertatem assertam, et ob ea, quæ ista domo ejus egressa abstulisset, excepta, convocatis eis familiares persuasere, ut sibi arbitrium deferrent. Ac pro Phrynnione sedit arbiter Satyrus Alopecensis, frater Lacedæmonii, pro Stephano Sabrias Lamprensis: communem autem sibi adsciscunt Diogitonem Acharnensem. Hi congressi in templo, audita re ex utroque et ex ipsa muliere, sententiam tulerunt, eamque illi ratam habuerunt: mulierem esse liberam, et sui juris. Quæ vero a Phrynnione egressa secum extulisset, præter vestem, aurum, et ancillas, quæ mulieri empta essent, Phrynnioni reddenda esse omnia: copiam vero sui facere debere utrius alterius diebus: sin aliter inter eos conveniret, id quoque ratum esse oportere: vietum autem mulieri ab eo suppeditandum, qui eam quoque tempore haberet: ac de cetero inter se amicitiam uti colebant, abjecta memoria injuriarum. Decreta igitur ab arbitris Phrynnioni et Stephano de Neæra ista reconciliatio, hæc est. Quæ vere a me dici uti constet, horum vobis testimonium recitabitur. Voca mihi Satyrum Alopecensem, Sabriam Lampensem, Diogitonem Acharnensem.

TESTIMONIUM.

Satyrus Alopecensis, Sabrias Lamprensis, Diogito Acharnensis, testantur a se arbitris reconciliatos esse Stephanum et Phrynnionem de Neæra nunc rea litigantes: reconciliationis autem eas fuisse conditiones quas exhibeat Apollodorus.

RECONCILIATIO.

His conditionibus reconciliarunt Phrynnionem et Stephanum, Neæra utsique totidem dies mensis utatur atque apud se habeat, nisi alter alteri aliud concesserit.

Ut autem inter eos convenerat, qui utrius in arbitrio affuerant, et controversia, sicut fere solet fieri perpetuo, præsertim cum inter eos de scorto ageretur, ad coenam itarunt ad utrumque eorum, cum Neæram haberent: ipsa et concœnante et compotante, tanquam meretrice. Quæ vere a me dici ut constet, voca mihi testes qui una affuerunt, Eubulum Probalisium, Diopithem Melitensem, Ctesonem e Ceramis.

TESTIMONIUM.

Eubulus Probalisius, Diopithes Melitensis, Cteso e Ceramis, testantur, postquam Phrynio et Stephanus de Neæra in gratiam redierint, saepe se concœnassem eis, et compotasse cum Neæra nunc rea, tam cum apud Stephanum esset Neæra, quam cum apud Phrynnionem.

15. Eam igitur ab initio fuisse servam, et venditam bis, et quæstum fecisse corpore, ut meretricem, et a Phrynnione Megara aufu-

gisse, et reversam vadimonio fuisse obligatam apud belliducem, ut peregrinam, et oratione vobis demonstro, et testimoii est probatum; ostendam autem vobis et ipsum Stephanum testificatum, eam esse peregrinam. Filiam enim Neæræ, quam ea secum parvulam puellam ad eum adduxerat (Strybelen tum vocabant, nunc Phanom) Stephanus pro sua filia eidam Atheniensi, Phrastori Ægiliensi collocat, dote triginta minarum addita. Ut autem ad Phra-storem venit, hominem laboriosum, qui rem familiarem accurate instruxisset, non poterat illa Phrastoris delectari moribus, sed matris instituta requirebat, et eandem impunitatem, ut in tali licentia educata. Phrastor, qui eam neque modestam esse videret, neque sibi morigeram, simulque sciscitatus esset, et compertum haberet, eam non esse Stephani filiam, sed Neæræ, seque primum deceptum, cum desponsam ut Stephani, non ut Neæræ filiam accepisset, quam suscepisse Stephanus ex altera uxore, priusquam duxisset Neæram, diceretur: his omnibus de causis ira commotus, seque et contumeliis affectum et delusum esse ægre fereens, ejicit mulierem, quam annum fere apud sese habuerat, prægnantem, dote non reddit. Cum vero Stephanus ei diem dixisset apud Odeum, de dote, ex lege quæ jubet, si dimiserit uxorem, reddat dotem, sin minus, novem obolos usuram pendat, et curatori mulieris pro ea de victu ad Odeum detur actio, Phrastor Stephanum apud sexviros accusat, eum, cum sit Atheniensis, peregrinæ filiam pro sua despondisse, ex lege hac. Age recita mihi legem.

LEX.

Si quis autem viro Atheniensi peregrinam mulierem pro sua elocavit, ignominiosus esto, et ejus res familiaris publicetur, et triens esto ejus qui eum convicerit: accuset autem apud sexviros aliquis ex iis, quibus licet, quemadmodum peregrinitatis.

Ac legem qua Stephanus a Phra-store est apud sexviros accusatus, audivisti. Cum autem intelligeret, se convictum de peregrinæ filia elocata, in summo discrimine versaturum, paciscitur cum Phra-store, et dote cedit, judicium de victu tollit: Phrastor item actionem apud sexviros institutam. Quæ ut vera esse constet, horum vobis ipsum Phra-storem citabo testem, et cogam testari, auctoritate legum. Voca mihi Phra-storem Ægiliensem.

TESTIMONIUM.

Phrastor Ægiliensis testatur, postquam senserit Stephanum sibi Neæræ filiam despondisse pro sua, se adversus eum actionem instituisse apud sexviros, et mulierem ejecisse domo, neque habere adhuc in matrimonio, item, quum sibi Stephanus ad Odeum de victu diem dixisset, secum transegisset Stephanum, ut actio apud sexviros tolleretur itemque Stephanus actione de victu contra se instituta desisteret.

16. Age vero vobis etiam alterum testimonium exhibeamus, et Phrastoris et tribulum ejus, et gentilium, unde constet peregrinam esse Neærām. Non multo enim postquam ex ædibus ablegarat Phrastor Neæræ filiam, in morbum incidit, pessimeque habuit, et omnibus difficultatibus est conflictatus. Quia vero cum cognatis suis ei vetus simultas erat, et ira, et odium, superque ipse liberis orbus, delinitus est in morbo, cura et obsequio tum Neæræ, tum ejus filiæ; itabant enim ad eum cum ægrotaret, neiminemque haberet a quo in morbo curaretur, opportuna ei malo remedia ferentes, et revisentes. Neque vero ipsi ignoratis, quanti pretii sit in morbis mulier assidua apud hominem ægrotantem. Denique persuasum ei est, puerulum quem pepererat filia Neæræ, cum allegata fuisset a Phrastore prægnans, quod cognovisset, non Stephani esse filiam, sed Neæræ, fucumque sibi factum ægre ferret, rursus adoptare, locoque habere filii, humano, nec absurdo consilio, quum et ipse male affectus esset, nec magnam vitæ spem haberet; et, ne sua hereditate cognati potirentur, neve ipse orbus interiret, cavere vellet. Adoptavit igitur puerum, et ad se recepit. Nam id quidem si valuisset, nunquam facturum, magno ego et evidenti vobis arguemento ostendam. Cum primum enim ab illa infirmitate surrexit Phrastor, et recreatus est, valetudinemque confirmavit, civem uxorem, ut jubent leges, dicit, Satyri Melitensis legitimam filiam, Diiphili sororem. Proinde nec volentem eum recepisse puerum, sed et morbo, et orbitate, et mulierum obsequiis coactum, et cognatorum odio, ne sua illi hereditate potirentur, si quid ei accidisset, hæc vobis argumenta sunt. Eademque hæc, ea quæ secuta sunt, magis declarabunt. Nam cum puerum Phrastor ad tribules introduceret in morbo, eum quem e Neæræ filia suscepserat, et ad Brytiadas gentiles, quorum et ipse Phrastor est, quod nossent scilicet gentiles, mulier ea quænam esset, quam Phrastor primum duxerat, Neæræ filiam et repudium mulieris, eumque morbo adductum ad puerum recipiendum non ignorarent, rejiciunt puerum, inque suum album non inscribunt. Cum vero Phrastor eis diem dixisset ob non inscriptum suum filium, gentiles eum ad arbitrum provocant, ut per integra sacra juraret, omnino putare se, eum suum esse filium, e cive muliere et legibus desponsa susceptum. Hac provocatione gentilium apud arbitrum facta, deseruit jusjurandum Phrastor, nec juravit. Hæc vere a me dici ut intelligatis, horum vobis testes, qui Brytiadarum interfuerunt, exhibeo.

TESTES.

Timostratus Cephalensis, Xanthippus Eurœades, Eulabes Phalereus, Anytus Laciades, Euphranor Ægilienensis, Nicippus Cephalensis, testantur, et se et Phrastorem

Ægiliensem esse e cœtu gentilium qui Brytiadæ nominentur, et, postulante Phrastore ut suus filius in gentiles introduceretur, se filium eum e Neæræ filia esse natum conscientios, prohibuisse Phrastorem ne filium introduceret.

17. An non igitur evidenter demonstro vobis, ipsos etiam Neæræ conjunctissimos, in eam ut peregrinam dixisse testimonium, tum Stephanum, qui eam nunc habet in matrimonio, tum Phrastorem, qui filiam ejus duxerat? Cum Stephanus filiam istius, a Phrastore apud sexviros accusatus, quod qui Atheniensis esset, peregrinæ filiam despondisset, defendere noluerit, sed dotem condonarit, eamque non receperit: cum Phrastor Neæræ filiam in matrimonio sibi junctam ejecerit, postquam audierat non esse Stephani, dote non reddita, cum postea et infirmitate sua, et odio domesticorum commotus, adoptasset filium, et ad gentiles introduxisset, puero a gentilibus rejecto, jusjurandum ei deferentibus, jurare noluerit, religio-nique suam cupiditatem posthabuerit, aliamque postea duxerit civem, ut jubent leges. Hæ enim res ita evidentes magno testimonio contra eos fuerunt, Neæram esse peregrinam.

18. Sed considerate et sordes Stephani, et improbitatem, ut ex ea quoque perspiciat, Neæram non esse civem. Epænetum Andrium, Neæræ veterem amatorem, cui ea magno constiterat, et diverti ad istos, cum Athenas veniebat, solitum, propter Neæræ amicitiam, Stephanus per insidias in agrum, per speciem divinæ rei faciendæ accersitum, apud istius filiam pro mœcho comprehen-dit, et terrore injecto triginta ab eo minas extorquet; quarum sponsoribus acceptis, Aristomacho, qui sexvir fuerat, et Nausiphilo, Nausinici viri prætorii filio, missum eum facit, spe argenti ab eo recipiendi. Egressus Epænetus, et sui juris factus, de Stephano apud sexviros queritur, per injuriam se ab eo in vincula conjectum, ex lege quæ jubet, si quis aliquem per injuriam pro adultero vinxerit, ut apud sexviros conqueratur, se per injuriam in vincula esse conjectum. Quod si eum qui vinxit, vicerit, et per injuriam insidiis appetitus esse videatur, ipsum indemnem esse, et sponsores sponsione solvi: sin mœchus esse videatur, sponsores jubentur eum accusatori tradere, cui, ense excepto, eum in prætorio, suo arbitratu, ut adulterum tractare liceat. Hac lege igitur eum accusat Epænetus, se usum esse muliere fatetur, mœchum esse negat: neque enim Stephani esse filiam, sed Neæræ, matremque conscientiam esse ipsorum consuetudinis, seque multum eis impendisse, totamque cum adsit alere familiam, et legem exhibet, quæ vetat apud eas pro mœcho arripi quemquam, quæ in taberna meritoria sedeant, aut in foro aliquid manifeste vendant: tabernam esse eam ipsam Stephani domum dictitans, et quæstum eas istum facere, et inde maxime locupletari. Quæ verba cum jactaret Epænetus, et actionem instituisset, intelligens Stephanus,

se ut et lenonem et calumniatorem coarguendum esse, arbitrium erga Epænetum permittit ipsis sponsoribus iis conditionibus, ut et sponsione Epænetus et judicio ipse Stephanus liberaretur. Quas conditiones cum accepisset Epænetus, actionemque, qua Stephanum persequebatur, sustulisset, congressis eis, cum sponsores arbitri sederent, æqui dicere Stephanus nihil poterat, sed postulabat, ut Epænetus aliquid ad elocandam Neæræ filiam conferret, et inopiam suam, et inflictam a Plirastore mulieri calamitatem commemorans, dotisque jacturam, et inopiam ejus denuo elocandæ. Tu vero, inquit, et rem habuisti cum muliere, et æquum est ei te benefacere, aliaque blanda verba afferebat, quibus aliquis in mala uti causa precando possit. Arbitri, utroque auditio, eos reconciliant, et Epæneto persuadent, ut mille drachmas ad elocandam Neæræ filiam conferret. Et ut hæc omnia vere a me dici constet, horum vobis testes, eos ipsos qui et sponsores et arbitri fuerunt, exhibeo.

TESTES.

Nausiphilus Cephalensis, Aristomachus Cephalensis, testantur, se fuisse sponsores Epæneti Andrii, cum Stephanus se in adulterio deprehendisse diceret Epænetum: et, cum Epænetus a Stephano abiisset sui juris factus, accusasse Stephanum apud sexviros, se esse ab eo per injuriam in vincula coniectum: et, se factos seqüstres reconciliasse Epænetum et Stephanum, pactionem autem esse eam quam exhibeat Apollodorus.

PACTIO.

His conditionibus Stephanum et Epænetum seqüestres reconciliarunt, eorum quæ de carcere accidissent memoriam abolendam: Epænetum Phanoni, quoniam ea sæpe usus esset, mille drachmas ad clocationem dare oportere: Stephanum Epæneto, quoties hoc venisset et cum ea congredi vellet, Phanonem exhibere oportere.

19. Eam igitur, etsi nimis evidenter cognitum est esse peregrinam, et apud eam iste adulterum comprehendere fuit ausus, eo contumeliæ tamen Stephanus et Neæræ processerunt, ut non contenti essent, ipsam Neæræ civem esse dicere, sed ubi animadverterant Theogeni Cothocidæ sortito obvenisse, ut rex esset sacrificulus, homini ut nobili, sic pauperi, et rerum imperito, sese adjungit ei, cum esset explorandus, et impensarum partem magistratum in euenti subministrat Stephanus, et magistratum ab eo fraude circumvento mercatus, fit ejus assessor, uxorem ei mulierem dat, Neæræ filiam, et despondet Stephanus pro sua filia: usque adeo et leges, et vos contempsit. Ita ea mulier vobis arcana illa sacra pro republica immolavit, et vidit, quæ eam, ut peregrinam, videre nefas, et cum talis esset, eo ingressa est, quo nemo alias Atheniensium, in tanta civium multitudine, ingredi audet, praeter regis uxorem, et sacramento adegit Geræras mulieres illas quæ sacrissimis ministrant, et elocata est Baccho uxor, et patrio ritu pro republica rem divinam fecit, in qua multa fiunt et sacra et arcana. Quæ vero vel audire

nefas est, qui citra impietatem a qualibet administrari queant, tali muliere præsentim, talibusque rebus gestis?

20. Volo autem altius exorsus, vobis accuratius referre singula, ut vobis ultio majori curæ sit, utque sciatis, vos non modo pro vobis ipsis, et legibus sententiam laturos, sed et deorum immortalium religionem violatam vindicaturos, et pœnas sumpturos de conseleratis. Olim dominatu respublica regebatur, et regnum eorum erat quibusque temporibus, qui præ ceteris eminebant, propterea quod indigenæ essent; sacra autem rex obibat omnia, eorumque religiosissima, et arcana, uxor ejus curabat. Idque merito, cum regina esset. Postquam autem Theseus cives in unum congregavit, liberamque rempublicam instituit, et urbs multitudine incolarum frequentari cœpit, populus nihilominus regem creabat, delectu e viris præstantissimis habito, uxorem autem ejus, legē sanxit esse civem, et non alteri commistam viro, sed virginem ducendam, ut patrio ritu arcana sacra pro republica immolarentur, et justa diis pie solverentur, utque nec desereretur, nec innovaretur quicquam. Hanc legem pilæ lapideæ inscriptam erexerunt in Bacchi templo, juxta aram in paludibus: eaque pila etiam nunc exstat obscuris literis Atticis inscripta. Quod populus testimonium esse voluit suæ erga deum illum religionis, et tanquam depositum relinquere posteritati, uxorem tibi dandam, et sacra obituram, tales esse volumus, propterea in antiquissimo templo Bacchi in paludibus collocarunt, ut tie multi, quæ inscripta sunt, cognoscerent; quotannis enim semel aperitur, pridie idus Novembris. De tani sanctis igitur et venerandis sacris, quæ majores vestri tam præclare splendideque curarunt, operæ pretium est et vos suscipere curam, Athenienses, et ii qui petulanter sacra vestra contempserunt, qui deorum immortalium religionem nefarie violarunt, duabus de causis puniendi sunt: ut et hi pœnas dent scelerum, et ceteri caveant et formident, ne quid in deos et rempublicam delinquent. Vocabo autem vobis et sacrum præconem, qui regis uxori ministrat, cum lustrat ministras ad canistra et ad aram, priusquam sacra attingant, ut et jusjurandum; et ea quæ de more dicuntur, audiatis, quatenus audiri fas est, et cognoscatis, quam augusta et sacra et vetusta sint illa instituta.

JUSJURANDUM MINISTRARUM.

Pia et pura et munda sum e ceteris immundis et a viri congressu, et Divinum Natalem et Iobacchea celebro Baccho patro rita et legitimis temporibus.

21. Jusjurandum igitur, et instituta patria, quantum enunciari fas est, audivistis, eam item, quam Stephanus Theogeni, regi sacrificulo, despondit uxorem pro sua filia, sacra fecisse, et jusjurandum detulisse Geræris, cognovistis. Jam uti constet, nec iis ipsis mu-

lieribus, quæ sacra hæc intuentur, effari licere apud alios, testimonium etiam vobis exhibebimus, secreto illud quidem factum, sed quod rebus ipsis tamen et perspicuum et verum esse demonstrabo. Cum hæc sacra fierent, et novemviri in vicum Martium legitimis diebus adscenderent, statim senatus Areopagiticus, qui in aliis quoque religionibus tuendis multum reipublicæ commodat, inquirit in istam Theogenis uxorem, quænam esset, eamque coarguit, et sacrorum curam suscipit, et Theogenem pro sua potestate mulctat, secreto tamen, et cum modestia; nec enim ea sunt prædicti auctoritate, ut quemquam Atheniensium pro sua libidine puniant. Factis autem verbis, et senatu graviter ferente, Theogenemque puniente, qui tales uxorem duxisset, eamque arcana pro republica sacre facere permisisset, precabatur Theogenes, supplicabat, obtestabatur, dicens, nescisse se Neæræ esse filiam, sed deceptum a Stephano, pro germana ejus duxisse filia, ex lege, et propter imperitiam rerum, suamque simplicitatem, istum assessorem sibi adscivisse, ut is magistratu fungeretur, tanquam benevolum, proptereaque contraxisse cum eo affinitatem. Me vero, inquit, non mentiri, magno et illustri vobis argumento probabo. Mulierem enim ejiciam domo, quoniam non Stephani, sed Neæræ est filia. Quod ubi fecero, tum verbis meis adhibete fidem, cum dico me deceptum: sin minus fecero, tum vero me punitote, ut improbum, et in deos impium. Pollicito igitur hæc Theogene, et supplicante, partim misertus ejus senatus Areopagiticus, propter ingenii simplicitatem, partim etiam quod a Stephano deceptum esse revera putaret, moram interposuit. Ut vero e vico Martio descendit Theogenes, statim et mulierem Neæræ filiam domo expellit, et Stephanum a quo deceptus fuerat concilio movet. Sic Areopagitæ Theogenem missum fecerunt, eique irasci destiterunt, veniamque decepto concesserunt.. Et ut hæc a me vere dici constet, horum vobis testem ipsum Theogenem voco, et testari cogam. Voca mihi Theogenem Erchiensem.

TESTIMONIUM.

Theogenes Erchiensis testatur se, cum regem ageret, duxisse Phantonem pro Stephani filia: ubi vero se deceptum esse animadvertisset, tum mulierem ejecisse ac repudiasse, tum Stephanum ab assessu repulisse nec passum sibi diutius assidere.

22. Age cape mihi legem his de rebus latam, et lege: ut sciatis, non decuisse tantum eam abstinere sacris his, quæ talis esset, taliaque patrasset, nec vel videre, vel immolare, vel facere quicquam pro patrio urbis ritu, sed ceteris etiam sacris Athenarum omnibus ei esse interdictum. Cum qua enim muliere deprehensus fuerit adulter, ei in nullum templum populare licet ingredi, cum in ea et peregrinis mulieribus, et ancillis liberum aditum præbuerint leges, tum spectandi, tum supplicandi gratia (solas istas mulieres ingressu

publicorum sanctorum leges prohibent, cum quibus adulter fuerit deprehensus): sin ingressæ fuerint contemptis legibus, impune quovis mulctari licere modo, vitæ modo parcatur, et mulctandi eas potestatem lex cuivis obvio dedit. Hac autem de causa, mulieribus adulteris, etsi ceteris omnibus injuriis exagitentur, negavit ultionem, interfici tamen noluit, ne fana polluantur, aut religio violetur: satis magno terrore illi sexui injecto, ad colendam modestiam, et flagitia vitanda, traditaque disciplina, domum, sicut æquum est, custodiendi, quod si quid tale in se admiserint, simul et ædibus mariti, et publicis urbis fanis sint ejiciendæ. Hæc ita se habere, ipsa lege audita cognoscetis. Cape legem.

LEX ADULTERII.

Postquam autem adulterum deprehenderit, ei qui deprehendit porro in matrimonio habere mulierem eam ne liceat: quam si retinuerit, ignominiosus esto. Neque mulieri liceat ingredi in fana publica, cum qua fuerit adulter deprehensus: sin ingressa fuerit, impune quidvis in eam liceat, morte excepta.

23. Exhibeo autem vobis, Athenienses, etiam populi Atheniensis testimonium, quantæ curæ hæc sacra habeat, quanta ea diligentia et studio complectatur. Populus enim Athenicnsis, cuius summa est in rebus ad rempublicam pertinentibus omnibus auctoritas, cuique facere quod voluerit licet, ita præclarum et splendidum donum esse censuit Atheniensem fieri, ut ipse sibi leges præscripserit, quibus legibus faciendus sit, si quem donatum civitate velint; quæ nunc proculcatæ sunt a Stephano, et iis qui sic matrimonia contraxerunt. Quæ vos audisse præstabit, ut cognoscatis, eos pulcherrima et splendidissima dona, de republica bene meritis tribui solita, contaminasse. Primum enim lata hæc populo lex est, ne quem facere liceat Atheniensem, nisi qui, propter strenuam Atheniensi populo navatam operam et fortitudinem, fieri civis mereatur. Deinde, si persuasum populo fuerit, ut det id munus, ratam cooptationem esse haud sinit, nisi concione sequenti viri amplius sex mille Athenienses occultis suffragiis comprobarint. Senatores autem jubet ea lex proponere capsules, et calculos dare accedenti populo, priusquam hospites ingrediantur, et præmia tollant; ut unusquisque sui juris adhuc secum ipse deliberet, quem civem sit facturus, an eo munere sit dignus is qui accepturus sit. Post hæc violatarum legum actionem cuivis Atheniensium in eum dedit: licetque ingresso in judicium revincere, non dignum esse eum munere illo, sed contra leges Atheniensem esse factum. Et jam non nullis usuvçnit, ut dato munere per populum, flagitantium verbis deceptum, falsæ rogationis actione apud judices proposita, is qui munus accepisset, convinceretur munere indignus esse, eoque judicium sententia spoliaretur. Ac multos e veteribus com-

memorare, operosum fuerit: sed vos omnes meministis, et Pytholam Thessalum, et Apollonidem Olynthium, civitate a populo donatos, eadem a judicibus esse spoliatos. Nam hæc non ita olim facta sunt ut a vobis ignorentur.

24. His ita firmis et præclaris legibus cum respublica firmata sit, per quas fieri Atheniensem oporteat, alia post has omnes lex summæ auctoritatis est sancita: tantæ curæ populo fuit et ipse sibi, et dii immortales, ut sacra pro respublica religiose fierent. Nam quoscunque populus Atheniensis cives fecerit, eos lex aperte vetat in collegium novemvirorum cooptari, aut ullius sacerdotii adipiscendi jus habere: horum vero liberis jam populus hæc omnia concessit, cum hac tamén appendice, si sint e muliere cive suscepti, et legitime despensa. Et hæc me vere dicere, magno et illustri ego testimonio vobis ostendam. Narrabo autem vobis, ante quam ad rem ipsam veniam, quo pacto ea lex lata, et propter quos promulgata sit, quam præstantes viros et constantes populi amicos. Ex his enim scietis omnibus, et populi beneficium bene merentibus repositum, proculcatum, et quantis vestris utilitatibus obstent tum Stephanus, tum ceteri, qui eodem modo vel matrimonia contraxerunt, vel liberos suscepérunt.

25. Platæenses soli Græcorum omnium vobis, Athenenses, in Marathonem suppetias venerunt, cum Datis, Persarum regis imperator, Eretria recedens, Eubœa subacta, in nostrum agrum cum ingentibus descendisset copiis, et populabundus vagaretur; nam etiam hodie fortitudinis eorum in Varia porticu monimenta pictura repræsentat. Quam enim quisque celerrime potuit, statim accurrens pictus est, canes illi Bœotias habentes. Atque iterum Xerxe Græciam invadente, Thebanis cum Medo conjunctis, nostram deserere amicitiam ausi non fuerunt, sed soli de ceteris Bœotiis, partim cum Lacedæmoniis et Leonida in Thermopylis contra barbarum instructi una perierunt, partim consensis nostris triremibus, quod proprias naves non haberent, socia nobiscum arma junxerunt, et ad Artemisium, et ad Salaminem, et ad Platæas postrema pugna commissa cum Mardonio regis duce, vobiscum et cum ceteris libertatis assertoribus conjuncti, commune bonum, libertatem, ceteris Græcis restituerunt. Ceterum Pausanias, rex Lacedæmoniorum, vobis insultare cœpit, non contentus imperio solis Lacedæmoniis a Græcis delato: et nostra urbs, quanquam Græcis revera dux et auctor libertatis fuerat, tamen honori Lacedæmoniorum non adversata est, ut ne in sociorum invidiam incurreret. Iis igitur rebus inflatus Pausanias, rex Lacedæmoniorum, Delphico tripodi inscripsit, quem Græci, qui ad Platæas depugnarant, et navale ad Salamina prælium conjunctis viribus commiserant, Apollini in Barbaricæ victoriæ monimentum dedicarunt:

Græcorum duxor Medos ubi perdidit hostes
Pausanias, Phœbo dedicat hoc spolium,

perinde ac si ipsius esset id facinus et donarium, non commune sociorum. Iratis autem ea de re Græcis, Platæenses Lacedæmonios apud Amphictyonas accusant nomine sociorum, et mille talentum mulctam ab eis petunt, erasisque versiculis, inscribere cogunt urbes quæ rebus gestis interfuerant; qua re vel in primis odia Lacedæmoniorum suscepérunt, regiæque familiæ. Ac in præsentia non reperiebant Lacedæmonii quo pacto eos ulciscerentur: annis autem post circiter quinquaginta, Archidamus Zeuxidami F., Lacedæmoniorum rex, tempore pacis, eorum urbe potiri instituit, idque per Thebanum Eurymachum Leontiadæ F. Bœotiorum principem est conatus, quum noctu portas Nauclides, et alii quidam corrupti largitionibus, aperuissent. Platæenses, cognito, intra mœnia esse Thebanos, ac suam urbem tempore pacis ex improviso captam, et ipsi ad arma concurrunt, et aciem instruunt. Ubi diluxit, et non multos esse Thebauos vident, sed primores eorum ingressos—ingens enim delata noctu pluvia prohibuerat eos, ne omnes intrarent, qua fluvius Asopus auctus exundabat, nec transiri facile poterat, noctu præsertim—, ut igitur, inquam, Platæenses in urbe sua Thebanos viderunt, nec adesse omnes cognoverunt, aggrediuntur illos, commisoque prælio superant, et cædunt priusquam ceteri opem ferre possent, et statim misso ad nos nuncio, significant rem gestam, suamque victoriam, et auxilium petunt, si Thebani agrum ipsorum vastarent. Tum Athenienses, re cognita, celeriter auxilia Platæas mittunt. Quos cum vidissent Thebani opem tulisse Platæensibus, domum redierunt. Ut igitur Thebani frustrati sunt conatu suo, et Platæenses, quos hostium in prælio vivos ceperant, occiderunt, irati Lacedæmonii, jam sine ullo prætextu Platæas oppugnaturi, Peloponnensibus omnibus, præter Argivos, edicunt, ut binas partes copiarum e singulis urbibus mitterent, Bœotiis vero ceteris universis, et Locrensibus, Phocensibus, Maliensibus, Ætœis, et Ænianibus denunciant, ut omnes in armis adessent. Sic eorum murum ingenti exercitu circumsedentes, sciscitabantur, num urbem dedere vellent, agrum autem tenere, et frui suis opibus, societate Atheniensium deserta. Quod cum Platæenses recusarent, et sine auctoritate Atheniensium quicquam se facturos esse negarent, obsederunt eos decennium, dupli muro circundato, nec intentatum quicquam reliquerunt. Cum vero fessi malis Platæenses, omnium rerum penuria premerentur, desperata salute, sortitione inter se facta, alii remanserunt, obsidionem toleraturi: alii exspectata nocte, et pluvia, et magno vento, egressi urbe, hostium munitione superata, decepto exercitu, jugulatis custodibus, miserabili habitu pervenient huc et inopinato: reliqui, vi capta urbe, omnes inter-

fecti sunt puberes, pueri et mulieres sub hasta venditi, qui Lace-daemoniorum aggressione non animadversa, clam Athenas non aufugerant. Eos igitur qui suam bencvolentiam ita evidenter erga rempublicam ostenderunt, et amicitiae populi sua omnia, et liberos, atque uxores posthabuerunt, rursum considerate, quo pacto in civitatem reccperitis. E decretis enim vestris, evidens omnibus erit ea ratio, et me vera dicere cognoscetis. Age cape decretum hoc, et lege eis.

DECRETUM DE PLATÆENSIBUS.

Hippocrate referente, data civitas est Platæensibus, ut ab hac die sint eadem dignitate, qua ceteri Athenienses, et jns habeant, quorum Athenienses jus habent, omnium, et sacrorum et profanorum, praeterquam si quod sacerdotium aut festum est gentilitium, excepto item novemviratu, eorum tamen liberis et hæc pateant: Platæenses autem in curias et tribus distribuantur; qui postquam distributi fuerint, post-hac ne ulli Platæensium licet fieri Atheniensem, nisi id jus populi beneficio consequatur.

Videtisne, Athenienses, quam præclare et juste orator ille pro populo Atheniensi scripserit et censuerit? Platæenses beneficium consecutos, primum in judicio explorandos viritim, an quisquam sit Platæensis et populi amicus; ut ne eo prætextu multi in civitatem recipiantur. Deinde eos qui probati fuerint, lapideæ pilæ inscribi, et in arce statui juxta Minervam jubet; ut beneficium id etiam posteris permaneat, probarique possit, quis cui cognatus sit. Et postea non licere sinit Atheniensem fieri eum, qui nunc non factus, et in judicio non probatus fuerit; ut ne multi se Platæenses esse dictantes, fraude in civitatem irrepant. Deinde legem etiam sancit erga eos in decreto statim, tum quantum ad rempublicam, tum quantuni ad deos attinet, ne cuiquam eorum in sortitione novemvirorum, aut ullius sacrificii locus detur, horum vero liberis, si e muliere civi suscepti sint, et legitime despensa, licere.

26. Iniquissimum igitur fuerit erga vicinos, et extra controversiam optime omnium Græcorum de hac republica meritos, ita diligenter et accurate singula definire, quibus conditionibus hoc beneficio fruantur: eam vero, quæ pâlam et exquisite universam Græciam prostituuto corpore pervagata est, ita flagitiose ac petulanter insultantem civitati, et sacra deosque violantem, impunitam dimisisse, quam neque parentes civem reliquerunt, neque populus civitate donavit. Ubi enim corpore quæstum non fecit? Quo propter quotidiam mercedem non ventitavit? Nonne Peloponnesum totam, Thessaliam item et Magnesiam, Simum Larissæum et Eurydamantem Midæ filium, nonne Chium et maximam Ionœ partem, Sotadem Cretensem secuta, peragravit? elocata mercede a Nicareta, dum illius esset? Eam vero, quæ alienæ potestati subjicitur, et pretium numerantem comitatur, quid facere putatis? Non omni-

bus eorum quibus familiaris est, obsequi voluptatibus? Talem igitur, et eam, quæ, ut constat inter omnes, orbem terrarum propter infamem quæstum pervagata est, civem esse decernetis? Quod igitur, interrogati, præclarum vos edidisse facinus respondebitis? Quod vos suscepisse dedecus? quam violasse religionem negabitis? Priusquam enim accusaretur adducta in judicium, omnesque audissent, et quæ sit, et quæ impie fecerit, ipsi imputari scelera sua potuissent, negligentia civitati, vestrumpque alii ignorassent, alii re audita verbis indignati essent, re ipsa de ea, nemine accusante, aut pronunciante pro tribunal, statuere nihil potuissent: postquam autem et nostis omnes, et penes vos habetis, et ejus puniendæ potestas datur, jam vestra erit illa in deos impietas, nisi eam puniveritis. Quid vero vestrump quisque reversus ad uxores, aut filias, aut matres, dicetis, ista absoluta? Si vos rogarint, ubi fueritis? vosque responderitis, jus dixisse. Cui? rogarunt statim. Neæræ nimirum, dicetis. Quamobrem? Quod et peregrina civi nupsit contra legem, et filiam adulteram elocavit Theogeni regem agenti, quæ arcana pro republica sacra fecerit, et Baccho uxor data fuerit: ceteraque, commemorantes ejus accusationem, quam bene et memoriter, et accurate fuerit de singulis accusata. Quibus illæ auditis quærent, quid igitur fecistis? Vos vero dicetis, absolvimus. Jam igitur matronæ pudicissimæ vobis irascentur, quod æque secum istam republica et sacris dignati sitis: quæ autem amentes sunt, palam ostendent se facturas quicquid libeat, tanquam impunitate a vobis et legibus proposita. Nam si negligetis, et susque deque feretis, suspicio erit, vos quoque mores istius mulieris probare. Quare longe præstitisset, non fieri hoc judicium, quam eo facto, istam absolvvi. Omnino enim jam scortis licentia dabitur nubendi quibus volent, suosque liberos ejus esse dicendi, qui in mentem eis venerit. Tum leges vestræ futuræ sunt irritæ, tum blanditiæ scortorum obtinere poterunt quicquid libebit. Quare et civium nostrarum habete rationem, ut ne pauperum filiæ nuptum collocari nequeant. Nunc enim, tametsi aliqua paupercula est, dotem ei satis magnam confert lex, si mediocrem duntaxat a natura formam acceperit: proculcata autem a vobis hac lege, et, muliere ista absoluta, irrita facta, omnino jam scortorum quæstus ad civium filias devolvetur, quæ propter inopiam non poterunt elocari, atque ingenuarum mulierum dignitas ad meretrices, cum permissum eis fuerit suscipere liberos pro sua libidine, et festis, et sacris, et honoribus ex æquo frui civitatis. Quare singuli putate vos ferre suffragia, alias pro uxore, alias pro filia, alias pro matre, alias pro republica, et legibus, et sacris, ne illæ eodem haberi loco cum meretrice ista videantur: neve in magna et præclara modestia, et cura, a parentibus et cognatis educatæ, et ad præscripta legum elocatæ, eadem

conditione sint qua ista, quæ multis et impudicis modis sæpe cum multis eodem die rem habuit, ut unicuique fuit lubitum. Existimatis autem, neque me qui dicam, Apollodorum, neque qui se defendant, quique illis patrocinabuntur, esse cives; sed leges et Neærām de facinoribus inter se disceptare. Cum in accusatione versamini, leges ipsas audite, per quas res publica est incolumis, et secundum quas vos pronunciatus jurastis, quid jubeant, quid illa violarit: ubi autem ad defensionem per ventum erit, accusationis firmatæ legibus et probationis eorum quæ dicta sunt, memores, solaque ejus facie visa, cogitate duntaxat, an Neæra cum sit, talia perpetravit.

27. Illud autem, Athenienses, recordatione dignum est, vos Archiam, **cum** pontificem ageret, convictum in judicio impietatis, ut qui non patrio ritu sacra fecisset, punivisse; qui et de aliis rebus est accusatus, et Sinopæ meretrici victimam adducenti, ad aram Eleusiniam mactasse ferebatur, cum non moris esset eo die mactare victimas, neque illius mulieris esset sacrificium, sed sacrificulæ. Quam igitur iniquum fuerit, eum et ex genere Eumolpidarum, et claris ortum natalibus, et civem Atheniensem, propterea quod legum quippiam neglexisse videbatur, dedisse pœnas, neque ei vel cognatorum, vel amicorum deprecationem profuisse, neque tum sua, tum majorum suorum merita in rem publicam, neque sacerdotii reverentiam, quo minus, cum deliquisse visus esset, multaretur: Neærām autem, quæ et eundem deum violarit, et leges, nec ipsam, nec ejus filiam puniri a vobis?

28. Evidem valde miror, quid ad vos dicturi sint in defensione apud vos: utrum civem esse Neærām istam, et legibus istius matrem familias? Sed testatum est, et meretricem esse, et ancillam fuisse Nicaretæ. At non esse uxorem suam, sed pro concubina haberi domi? Sed istius mulieris liberi, et ad curiales introducti a Stephano, et filia viro Atheniensi elocata, manifeste ostendunt, eam pro uxore haberi. Non autem vera esse crimina eis objecta, et testificationes, nec ipsum Stephanum arbitror, nec alium ejus nomine quenquam dicturum, aut ostensurum, Neærām esse civem: audio autem tale quippiam eum loco defensionis allaturum, habere se eam non uxor, sed concubinæ loco, nec liberos esse istius, sed ex alia muliere cive, quam prius duxerit, cognata sua susceptos. Adversus igitur orationis istius impudentiam, et commentum defensionis, et eos qui dicere pro eo testimonium parati sunt, provocatione æqua et accurata cum eo contendi, per quam vos simplicem veritatem cognosceretis: ut traderet ancillas, quæ tum apud Neærām assidue fuerunt, cum Megaris ad Stephanum venit, Thrattam et Coccalinam, et quas postea in ejus matrimonio comparavit, Xennidem et Drosidem, quæ satis sciunt, et Proxenum defunctum, et Aristonem superstitem, et Antidoridem cur-

sorem, et Phanonem cui Strybelæ nomen est, quæ Theogeni regi sacrificulo nups'erat, Neæræ esse liberos. Quod si e quæstionibus comperiretur, Stephanum civem duxisse uxorem, et liberos istos ex alia muliere cive suscepisse, non e Neæra, velle me ab hac actione desistere, et non venire in judicium. Nam habere in matrimonio hoc est, si quis liberos suscipit, si cum ad curiales, tum ad municipes introducit filios, si filias pro suis nuptum elocat. Meretrices enim causa voluptatis alimus: concubinas propter quotidiana ministeria, et curationem corporis: uxores propter ingenuos liberos suscipiendos, et fidelem rei familiaris administrationem et custodiam. Proinde si prius mulierem civem duxerat, et ex illa isti liberi sunt, non Neæræ, id ei certissimo licuit ostendere testimonio, traditis ancillis. Ut autem hanc illi conditionem me tulisse constet, et testimonium et ipsa vobis denunciatio legetur. Recita testimonium, deinde denunciationem.

TESTIMONIUM.

Hippocrates Hippocratis filius Probalisius, Demosthenes Demosthenis filius Pæaniensis, Diophanes Diophanis filius Alopecensis, Diomenes Archelai filius Cyathænæensis, Dinias Phormidæ filius Cydantides, Lysimachus Lysippi filius Ægiæensis, testantur, se affuisse in foro, cum Apollodorus Stephano conditionem ferret, ac petret ut ad quæstionem daret auxillas, earum rerum causa quarum de Neæra Stephanum accusabat: sed Stephanum noluisse ancillas tradere: denunciationem autem eam esse quam exhibeat Apollodorus.

Age recita ipsas conditiones quas Stephano tuli.

DENUNCIATIO.

Has conditiones tulit Apollodorus Stephano, earum rerum causa propter quas actionem adversus eum instituerat, Neæræ peregrinam esse et civi nupsisse, paratus ad quæstionem accipere ancillas Neæræ, quas illa Megaris secum adduxit, Thratam et Coccolinam, et, quas deinde apud Stephanum comparavil, Xennidem et Drosidem, quæ rem satis cognitam haberent de Neæræ liberis, eos non Stephani esse, Proxenum defunctum, et Aristonem superstitem, et Antidoridem cursorem, et Phanonem. Quæ si faterentur e Stephano et Neæræ eos esse liberos, vendendam Neæræ ut jubeant leges, et liberos pro peregrinis habendos: sin eos non ex ista, sed ex alia muliere cive esse dicarent, desistere volnit ab actione contra Neæræ instituta. Et, si quid calamitatis in tormentis mulierculis accidisset, pensare damnum.

Has ego conditiones, Judices, quum Stephano tulerim; repudiavit. Proinde iam ipse Stephanus suapte sententia Neæræ eorum criminum, quorum est a me accusata, condemnavit, et me vera dixisse apud vos, et testimonia vera exhibuisse, se vero quæ dixerit omnia mentiri, et a seipso convinci vanitatis confitetur, postquam ancillas a me postulatas, ad quæstionem dare noluit. Ego vero, Judices, et deorum, quos isti violarunt, et meopte nominc pœnas

exigens, istos in judicium vocavi, vestræque auctoritati subjeci. Decet autem vos quoque existimare, non clam fore deos, in quos isti impii fuerunt, quid vestrum unusquisque decernat, et ita pronunciare, ut justitia flagitat, ac ulcisci diis maxime factam contumeliam, deinde vobis etiam ipsis. Quæ si feceritis, omnes vos hanc causam, qua ego Neærām peregrinām civi nuptām accusavi, præclare et juste dijudicasse existimabunt.

DEMOSTHENIS

ORATIO FUNEBRIS.

1. QUUM viris, qui in hoc monimento conditi sunt, quod in bello strenue se gesserunt, publicum funus a senatu populoque decreatum, mihique mandatum esset ut pro more orationem de eis haberem, statim cogitavi, qua ratione pro merito laudari possent: re autem suscepta et meditata, pro defunctorum dignitate verba fieri posse a nemine deprehendi. Qui enim a natura ingeneratum omnibus vivendi desiderium aspernati sunt, et occumbere honeste quam afflictam Græciæ fortunam viventes cernere maluerunt, an non eam suæ virtutis memoriam reliquere quam nulla superare possit oratio? Quod cum ita sit, tamen ut allii fecerunt hactenus, ita et mihi disserendum hic esse reor. Quantum igitur civitas eorum studium habeat qui in bellis occumbunt, cum cæteris e rebus perspicitur, tum vero ex hac lege potissimum qua qui ad publicas sepulturas orationem habeat deligi solet. Non ignara enim præstantes viros nec de parandis opibus nec perfruendis vitæ voluptatibus magnopere laborare, sed eorum omne desiderium in virtute et laudibus acquiescere, orationibus iis quæ illis ea præstarent maxime ornandos censuit, ut, quam ipsi gloriām viventes adepti essent, ea defunctis etiam redderetur.

2. Quod si quantum ad virtutem attinet solam in eis fuisse fortitudinem viderem, ea collaudata finem dicendi facerem: cum vero eis contigerit ut et præclare nati et instituti sint liberaliter et in vita gloriæ studuerint, quibus rebus factum est ut merito virtutem colerent, horum aliquid præterire sine pudore non possum. Ordinar

autem a generis eorum primordio. Horum enim virorum nobilitas vel seculorum consensu apud omnes homines est insignis. Nec enim ad patrem duntaxat et majores viritim referre ortum suum quisque potest: sed in genere ad totam patriam, cuius indigenae sunt extra controversiam. Soli enim mortalium omnium eam terram, e qua nati sunt, coluerunt posterisque tradiderunt: ut, qui in colonias peregre advenerunt earumque cives nominantur, jure cum adoptivis filiis comparentur, hi vero germano patriæ partu cives sint habendi. Ac mea quidem sententia illud etiam quod fruges apud nos primos exstiterunt, præterquam quod summum est in omnes beneficium, indubitabile signum etiam est terram hanc genitricem esse majorum nostrorum. Sic enim natura comparatum est, ut quæcumque pariunt, eadem etiam victimum et alimoniam e se genitis suppeditent: id quod hæc regio fecit.

3. Quæ igitur ad natales attinent, ea hi viri talia a majoribus ab omni ævo acceperunt. Quæ vero sunt fortitudinis cæterarumque virtutum, ea quidem omnia referre supersedeo, veritus ne mihi æquo prolixior nascatur oratio: sed quæ et scientibus utilia recordatu et ignaris pulcherrima auditu, et, ut admiratione plena sunt, sic prolixitate molestiam non pariunt, ea summatim perstringere conabor. Nam temporis atque ætatis hujus majores et patres et ii quorum appellations altius adscendunt, per quas in familiis agnoscuntur, nemini unquam, vel Barbaro vel Græco, injuriam fecerunt, sed præter cæteras hac quoque laude floruerunt, ut iidem et viri præstantes et omnium justissimi haberentur: propulsanda autem vi multa et præclara facinora ediderunt. Nam et Amazonum exercitum hoc progressum ita vicerunt ut eum ultra Phasidem exterminarent, et Eumolpi multorumque aliorum exercitus non e sua modo, sed etiam cæterorum Græcorum, ditione profligarunt: quos qui supra nos ad Occidentem habitant, omnes nec sustinere nec prohibere potuerunt. Quin et liberorum Herculis, ejus qui cæteris salutem dabat, servatores nominati sunt, cum illi in hanc terram supplices, Eurystheum fugitantes, venissent. Et præter hæc omnia multaque alia et præclara facinora jura defunctorum violari non siverunt, cum septem illos qui in expeditione Thebana ceciderant humari Creon prohiberet.

4. Ac eorum quæ a poctis decantata sunt omissis plurimis, horum feci mentionem, quæ singula tam uberem tam honestam dicendi materiam suppeditant, ut et adstrictæ numeris orationis artifices et cantionum auctores et multi rerum gestarum scriptores illorum factis ornandis ingenia doctrinamque suam ostentarint: quæ vero dignitate rerum nihilo illis deteriora, sed quia eorum memoria recentior est, nondum a poetis occupata, nec in heroicum illum ordinem relata sunt, ea jam dicam. Illi igitur

copias ex universa Asia collectas soli bis terra marique profligarent, privatisque suis periculis communem Græcis omnibus salutem attulerunt. Quod vero jam dicam, quanquam id prius et ab aliis est expositum, tamen ne nunc quidem justa et convenienti laude fraudari viros illos decet. Qui quanto præstissetse Trojæ oppugnatoribus jure putandi sint ex eo apparet, quod illi e tota Græcia delecti optimates, deceñnum unam Asiæ urbem obsessam, vix ceperunt: hi vero ex universo Persarum regis imperio huc profectum exercitum, qui cætera omnia prostraverat, soli non modo repulerunt, sed injuriarum etiam cæteris factarum pœnas ab eo exegerunt. Grassationibus item Græcorum inter se mutuis obstantes, omnia quæ incidere pericula subierunt, a qua parte jus et æquum staret, cum illa se conjungentes, donec ad hanc ætatem series temporis nos perduxit. Nemo autem putet me, quod non haberem quæ de singulis horum dici possent, has res gestas enumerasse. Nam ut ad orationem inveniendam omnium minime sim paratus, illorum tamen virtus ipsa illustria multa suppeditat, quæ et in promptu sunt et explicari facile possunt: sed mihi propositum est, nobilitatis rerumque maximarum facta mentione, quam celerime conjungere orationem cum rebus horum gestis, ut, quemadmodum illos eodem genere natura devinxit, ita etiam communibus a me laudibus celebrentur; quod existimo gratissimum etiam illis ac potius utrisque esse futurum, si inter se non ipso tantum ortu, sed laudibus etiam, virtute sua ex æquo fruantur.

5. Necesse autem est, ut, antequam horum virorum facinora commemorem, aliquid interponam orationi meæ et ab eis, qui defunctis alieni in funus prodierunt, benevolentiam petam. Nam si mihi id muneris esset datum ut sepulturam vel magnificentia sumptuum vel aliquo spectaculo equestrium gymnicorumve certaminum adornarem, quo studiosius et liberalius ea instruxisse, eo magis functus esse viderer officio: sed, cum hæ milii partes attributæ sint ut hosce viros verbis ornem, nisi auditorum studia mihi suffragentur, vereor ne, quo majorem adhibuero diligentiam, eo minus voti compos fiam. Nam et divitiæ et velocitas et vires et quæ sunt ejus generis alia uberes suis possessoribus fructus suppeditant, nec alienis adminiculis egent, cum per se ipsa excellant in his, quibus adsunt, tametsi aliis nemo velit: at lepos orationis audientium etiam studia requirit, quorum ope, quamvis ea mediocriter explicata fuerit, et gloriam conciliat et gratiani adjungit, sin iis destituitur, tametsi suavitate excellat, fastidium tamen parit auditibus.

6. Cum autem hi multa gesserint propter quæ jure laudentur, tamen ubi ad res ipsas perventum est, dubito quid primum dicam: quia enim uno eodemque tempore omnia mihi sese ingerunt, fit ut

statuere non possim quid cui sit præferendum. Sed dabo tamen operam, qui vitæ illorum ordo fuit, cundem et oratio mea ut servet. Nam hi statim in omnibus puerilis ætatis studiis fucre illustres, exercendis iis quæ quamque ætatem decerent, iisque placuerunt quibus par est, parentibus, amicis, propinquis. Quarum rerum tanquam vestigia nunc agnoscens cognatorum atque amicorum memoria singulis horis eorum desiderio ardescit, multis subinde monimentis earum laudum, quibus illi præstitere, occurrentibus. Postquam vero ad virilem ætatem pervenerunt, non apud cives tantum, sed etiam apud homines universos, ingenii sui præstantiam illustrarunt.

7. Est enim, est universæ virtutis ut sapientia principium, sic fortitudo perfectio: et ut illa quæ agenda sunt decernit, ita hæc ea tuetur. Quarum utraque hi multum excelluerunt. Nam et, si quod comiuune Græcis omnibus periculum ingruebat, hi primi præviderunt et sæpe omnes ad defensionem exhortati sunt: id quod est animi prudentis signum. Et cum Græcorum partim ignorantia partim ignavia, dum impendentia mala cavere sine periculo licuisset, vel non prævideret vel dissimularet, tamen, ut paruerunt officioque fungi voluerunt, abjecta injuriarum memoria, duces sese professi præstitisque alacriter omnibus exhibitisque et corporibus et pecuniis, et sociis, belli discrimen adierunt: in quo nec vitæ suæ pepercerunt. Cum autem prælium committitur, necessario evenit, ut alii succumbant, alii vincant. Dicere autem non dubitem, videri mihi eos qui utrinque in acie occubuerint, tum cladis acceptæ expertes, tum pariter utrosque victores esse. Nam inter viventes eorum esse Victoria dicitur, quibus a diis illa conceditur: quod autem ad eam obtainendam requirebatur a singulis, id quisquis servavit ordines præstitit. Qui si homo natus fato concessit, perppersus ille quidem id est quod fortune visum fuit, hostibus autem animo non succubuit. Quin etiam existimo, quo minus hostes regionem nostram invaserint, præter adversariorum socordiam, horum quoque virtutem fuisse causam. Nam qui tum illic conflixerant, viritim periculo singulorum facto, denuo Martis aleam cum illorum cognatis experiri noluerunt, existimantes fore ut ingenii similibus occurrerent, sed non esse facile similem denuo fortunam adipisci. Quod ita esse, vel maxime factæ ctiam pacis conditiones ostendunt: nec enim dici potest causa ulla vel verior vel honestior cur adversariorum dominus defunctorum necessariis amicus fieri, quam denuo de summa rerum dimicare maluerit, quam virtutis eorum admiratio. Arbitror autem, si quis eos ipsos qui in acie stetcrunt roget, utrum existimenter se suapte virtute, an insperata et impotenti fortuna, rem bene gessisse, suique imperatoris peritia et audacia et animositate, neminem ita vel impudentem vel

confidentem fore, qui res gestas sibi vendicet. Quarum igitur rerum fortuna omnium domina eventum suo arbitratu gubernavit, in iis cæterorum nulli prorsus, cum quidem homines fuerint, ignaviæ sunt accusandi : quod autem adversariorum imperator eos qui contra ipsum in acie steterunt superavit, id neque hostium neque nostræ multitudini est tribuendum. Et ut maxime quisquam hominum sit cui jure id imputetur, accusandi erunt ex Thebanis ii qui contra illum stetere, non multitudo vel nostra vel illorum : qui, nacti copias animis præditas invictis et ad nutum paratas gloriæque cupiditate flagrantes, harum commoditatum nulla recte usi sunt. Ac de cæteris pro animi sui sententia ut statuat quisque licet : illud vero toti mortalium generi declaratum est, totius Græciæ libertatem in horum virorum animis sitam fuisse. Certe his fato sublatis cæterorum nemo restitit. Absit invidia dicto. Ac si quis dicat horum virtutem Græciæ fuisse animam, is verum dicere mihi videbitur. Nam simul et horum spiritus corpora sua reliquerunt, et Græciæ sublata est auctoritas. Etsi autem rem immodice fortassis exaggerare videbimus, dicendum tamen est. Ut enim, si quis ex hoc mundo in quo degimus lucem tollat, inanæna et molesta reliqua omnis vita sit futura : sic, viris hisce interceptis, in tenebras et magnam ignominiam omnia veterum Græcorum decora conciderunt. Cum autem hi multis de causis non immerito essent tales, propter reipublicæ formam potissimum viri virtute præstantes extiterunt. Nam imperia quæ paucorum auctoritate reguntur, terrorem illa quidem incutiunt civibus, verecundiam autem in eis excitare non possunt. Quoties igitur belli discrimin ingruit, qua quisque potest fuga elabitur, non ignorans, si dominos vel muneribus vel quibusvis aliis obsequiis delinierit, etsi se gesserit omnium flagitosissime, parvo id sibi dedecori futurum in posterum. At populi potestas, cum alia multa habet et pulchra et justa quæ homini cordato tuenda sunt, tum vero libertas in loquendo veritate nixa ratione cohiberi nulla potest, quo minus vera crimina objectet. Qui enim flagitium fecerunt, ii nec omnes placere possunt nec ab eo solum qui verum probrum objicit cruciantur : sed et ipsi, qui nollent maledicere, alium male dicentem libenter audiunt. Quæ omnes haud injuria metuentes, secuturæ ignominiae verecundia, et imminens ab adversariis periculum fortiter sustinuerunt, et honestum obitum ignominiosæ vitæ prætulerunt.

8. Ac quæ hos viros causæ communiter impulerint ut præclare vellent occumbere, dictum est, natales, educatio, bonorum studiorum consuetudo, et quæ fundamenti instar est totius reipublicæ forma et constitutio : quæ vero tributim ad fortitudinem singulos hortata sint, ea jam dicam. Meminerunt Erechthidæ omnes eum a quo cognominantur Erechtheum, pro patrii regni incolumitate, suas

filias, quas Hyacinthidas vocant, manifesto exitio perituras obtulisse. Turpe igitur ducebant, cum is a diis immortalibus prognatus ad liberandam patriam fecisset omnia, se committere ut mortale corpus pluris facerent quam gloriam immortalem. Ægidæ, qui non ignorarent Theseum Ægei filium par æquumque jus in civitate instituisse, non committendum putabant ut ejus institutum proderent, et mori præoptabant potius quam admittere ut oppressa libertate sua apud Græcos opprobrio sibi esset vivendi cupiditas. Acceperant Pandionidæ quam acriter Progne et Philomela illatam sibi a Tereo contumeliam ultæ essent. Vitam igitur sibi acerbam esse putabant, nisi pari cum illis iracundia, ut cognatos earum decebat, in eos qui Græciæ insultabant exarsissent. Audierant Leontidæ Leocoras etiam a poetis celebrari, quod se victimam civibus pro patria obtulissent. Cum igitur earum mulierum tanta fuisse animi magnitudo, nefas esse putabant se, qui viri essent, illis deteriores videri. Meminerant Acamantidæ Homericorum versuum, quibus poeta propter matrem Æthram Acamantem ad Trojam esse profectum affirmat. Is igitur nullum periculum detrectabat ut tueretur matrem suam: hi vero, cum non modo parentes sed omnes etiam necessarii et amici essent defendendi, ullumne detrectare discrimen potuissent? Non latebat Ænidas, Cadmo natam Semelem, hujus vero cum esse filium quem in hoc nominari funere dedecet, eoque prognatum Æneum, qui princeps ipsorum vocaretur. Et quia utrique urbi commune periculum ingruebat, pro utraque ad extremum usque spiritum depugnandum existimabant. Sciebant Cecropidæ principem suum, partim draconem, partim hominem, esse dici, non aliunde certe, nisi quod prudentia homini, robore draconi conferretur. Illis igitur rebus digna facinora sibi edenda esse existimabant. Meminerant Hippothoontidæ nuptiarum Alopes, e quibus ortus est Hippothoon, quem suum esse principem norant: quarum ego rerum, ut decorum hujus temporis observem, accuratam explicationem prætereo. Proinde digna his gerenda sibi esse putabant. Non latebat Ajacidas, Ajacem erepto præmio sibi non esse vivendum putasse. Cum igitur alteri fortuna principatum gloriamque deferret, tum ulciscendis hostibus moriendum sibi censebant, ut ne quid se indignum admitterent. Non exciderat Antiochidis Antiochum Herculis fuisse filium. Vivendum igitur sibi aut pro dignitate a majoribus acceptæ gloriæ aut honesta morte occumbendum putaverunt.

9. Horum igitur domestici superstites, talibus orbati viris, sunt miserabiles, a consuetudine et diurna et suavi divulsi; est et patriæ conditio lacrymarum et luctus plena. At illi jure in beatis habendi sunt, primum qui exiguum tempus longa et duratura in omne ævum gloria commutarint, in qua ipsorum et liberi celebres

educabuntur, et parentes in senectute conspicui alentur, gloria filiorum se in luctu consolaturi: deinde nec morbis affecta corpora et animos ægritudinis expertes habent, qua qui vivunt propter adversum casum acceptamque cladem conflictantur magnoque cum honore et insigni gloria justa eis persolvuntur. Nam qui et ab universa patria sepeluntur publice, et non modo a cognatis et civibus, sed etiam a tota (quæ quidem ita nominanda sit) Græcia desiderantur, et a maxima terræ habitabilis parte lugentur, nonne hi beati sunt judicandi? Quos assessores esse diis manibus jure dixeris, eademque esse conditione qua veteres illos bonos et præstantes viros in insulis fortunatis. Nam ne de illis quidem quisquam qui viderit hæc renunciavit, sed quos viventes hujus nostri superni orbis dignamur honoribus, eos illic etiam quodam animi præsagio consimiles honores adipisci arbitramur.

10. Ac istam oratione levare mœstitiam est id quidem fortasse difficile: faciendum tamen periculum est et animus ad jucundiora traducendus, tales enim viros qui genuerunt et e talibus aliis ipsi orti sunt, eos præclarum est adversas res pulcrius cæteris posse ferre, et in utraque fortuna vultu eodem conspicere. Quæ, cum illis maximo et honori fuerint et ornamento, tum toti civitati et viventibus maximam attulerunt celebritatem. Grave est matri et patri orbari liberis et conjunctissimis suæ senectutis privari altoribus: sed præclarum est honores præcipuos et monimentum virtutis eosdem publice adeptos conspicere, sacrisque et certaminibus dignatos immortalibus. Molestum est liberis amisisse patres: sed præclarum est paternæ consequi gloriæ hæreditatem. Ac tristitiæ quidem hujus fortunam esse causam reperiemus, cui homines natos cedere ac parere necesse est: at honoris et decoris, eorum qui honeste oppetere voluerunt institutum.

11. Mihi quidem non multa, sed vera dicere propositum fuit: vos autem finito luctu, ut fas jusque est, abitote.

DEMOSTHENIS

ORATIO AMATORIA.

1. AGE age, quoniam audire vis, ostendam tibi orationem et legam. Sed consilium tibi est in primis intelligendum ejus qui hanc orationem composuit. Is Epicratem, quem, inter multos et

formosos et bonæ indolis adolescentes nostræ urbis, esse suavissimum, et æqualibus ingenio magis quam forma antecellere putabat, laudare instituit. Cum autem videret, amatoria scripta pleraque iis quos celebrarent, ut ingenue dicam, ignominiosa potius esse quam honorifica, id ne sibi usu veniret cavit; et, quod se animo suo persuasum habere asserit, idem etiam scripsit, amatorcm ingenuum neque facturum turpe quicquam neque petiturum. Quod igitur in oratione maxime amatorium deprehendas, id in hoc genere versatur: reliqua partim ad ipsius adolescentis commendationem pertinent, partim de liberalibus disciplinis vitæque genere constituendo præcipiunt. Hæc autem omnia sic scripta sunt quemadmodum in monumenta literarum referri solent. Nam ut orationes quæ pronunciantur simplici et extemporali sermonis genere texi debent; ita quas ad posterorum pervenire memoriam velis, poematis instar elaboratas et exquisitum in modum perpolitas esse decet. Illas enim probabiles, has magnificas, esse oportet. Ne vero extra causam tibi fabulas narrem, neve quid de ea sentiam ipse comminemorem, sic ausulta, ut ipsam orationem jam auditurus, quando ipse adest, quem auditorem esse volui, Epocrates.

2. Cum viderem nonnullos eorum qui amantur et forma sunt ornati, neutra felicitatum harum recte uti, sed ut oris decorum laudi sibi ducere, sic amatorum familiaritatem aversari, atque in judicando adeo non intelligere optima quæ sint, ut propter eos qui hac re flagitiose abutuntur, illis etiam sint inqui qui modestam castamque consuetudinem eorum expetunt, eos ego non sibimet-ipsis tantum male consulere, sed aliorum etiam familiaritates depravare, illorumque amentiam prudentibus non esse imitandam existimavi: præsertim si considerent, cum res ipsæ nec honestæ nec flagitiosæ per sese sint, sed pro ratione utentium plurimum varient, temeritatis esse uno eodemque de utrisque modo statuere: deinde, omnium esse absurdissimum judico, eos admirari qui plurimos, et constantissimos amicos habeant, amatores autem improbare, quibus solis, nec iis tamen omnibus, sed bonis et modestis duntaxat, amasiorum animi sic conciliari solent, ac dedi ut eorum esse proprii videantur: jam illos qui nullius talis amicitiae felicem eventum viderunt, aut semetipsos tam incontinentes esse sciunt, ut modestam cum familiaribus habere consuetudinem nequeant, ita sentire fortasse nihil miri est, qui autem eodem, quo tu animo et conditione sunt, qui nec prorsus ignorant, quantæ necessitudines per amorem absque infamia sint auctæ, et superioris vitæ suæ tempus cum verecundia transegerunt, in eos ne suspicio quidem cadit ullius turpitudinis. Quo magis etiam ad hanc scribendam orationem sum incitatus, quod duas res pulcherrimas consequi me posse animadvertebam. Nam tum bonis tuis commemorandis,

simul et te felicem et me, qui te talem diligam, non vae cordem ostensurum confido: tum suadendis iis quæ in primis necessaria sunt, et benevolentiae meæ specimen et mutuae amicitiae occasionem allaturum. Tametsi autem me non præterit, quam difficile sit, et indolem tuam pro dignitate celebrare; et multo etiam esse periculosius dare consilium, cum monitori eventus consilii præstandus sit: decere tamen existimo, ut et hi qui jure laudantur, veritatis excellentia, laudantium facundiam superent; et in dando consilio spero me non aberraturum. Scio enim stultos et intemperantia prorsus depravatos, nulla etiam sapientissima rectissima que consilia probe exsequi, per eos vero qui vitam suam prudenter et innocenter instituerunt, nec vel mediocriter cogitata frustrari solere.

3. Hac igitur spe fretus, ad orationem aggredior: arbitror autem omnes mihi esse assensuros hanc ætatem decere maxime, et pulcritudinem adspectus, et modestiam animi, et fortitudinem utriusque, et perpetuam orationis suavitatem. E quibus ea quæ natura sunt ita tibi præclara fortuna largita est, ut omnes te suspiciant et admirantur: reliqua ipse tuapte cura eo perduxisti, ut nemo sanus te reprehendat. Oportet autem eum, qui maximas laudes mereatur, et diis carum videri; et hominibus, partim propter semetipsum, partim propter fortunam, admirationi esse. Ac in universum de plurimis tuis ad virtutem adjumentis plura deinceps narrari conveniet: quas vero singulatim laudes referre possum, eas vere ut exponam operam dabo.

4. Primum autem eam laudare incipiam, quam videntibus omnibus primum cognoscere licet, tuam pulcritudinem, ejusque colorem, e quo et membra et totum corpus eluet. Cui quam convenientem similitudinem adhibeam, cum considero invenio nullam: sed in mentem mihi venit rogandos esse lectores hujus orationis, ut ipsi te spectent et contemplentur, ut venia mihi detur nihil tibi simile afferenti. Cum qua enim id mortalium rerum comparetur, quod immortale adspicientibus desiderium parit? quod adspectu sui non satiat? quod cum remotum est animis obversatur? quod divinam obtinet in corpore humano dignitatem? ut floridum elegantia venustatis, ita omnis suspicionis expers? Jam nec illa in facie tua culpari queunt, quæ multis pulcritudine præditis acciderunt, ut vel ob corporis inconcinnitatem universa eorum elegantia turbaretur, vel propter calamitatem aliquam etiam reliqua per se præclara minus placerent; quarum reprehensionum omnium tuam faciem expertem esse reperiemus. Tanta enim cura, quisquis ille deorum fuit qui formam tibi largitus est, omnes hujusmodi labes cavit, ut nihil vituperatione dignum suspicienda in te plurima efficerit. Nam cum in his quæ adspectu sentiuntur maxime facies emineat, atque in hac ipsa oculi, magis etiam in his suam erga te

benevolentiam numen ostendit. Non enim eos ad necessarios duntaxat usus ideoneos præbuit, sed, cum quorundam virtus vix ex actionibus appareat, mores tuos probatissimos per visus indicia declaravit, qui sis et mitis atque humanus adspectu, et magnificus et gravis in vitæ consuetudine, et fortis ac moderatus adversus omnes: id quod in primis admirere. Nam cum aliorum comitas in humilitatis, gravitas in fastus, opinionem incurrat, cumque iidem ut propter fortitudinem temerarii, sic propter mansuetudinem interes videantur, tot res inter se contrarias nacta fortuna, ita uti par est, omnia consentientia secum effecit, quasi votum absolveret, aut exemplum aliis ostendere vellet, non quasi mortalem, pro more suo, naturam constitueret. Quod si tuam pulcritudinem assequi dicendo liceret, aut unum hoc in te laudandum esset, nihil in hoc tui celebrandi proposito e tuis dotibus prætereundum videretur: nunc veror ne auditores defatigemus ut minus alacriter accipient reliqua, si de hoc frustra nugemur. Quis enim speciem tuam oratione exprimat, quam nec pictæ aut fictæ imagines præstantissimorum artificum industria elaboratæ superare queant? Neque id mirandum. Nam illæ immobiles spectantur, ut obscurum sit, cuiusmodi si viverent apparerent: sed animi tui mansuetudo et dexteritas in omnibus tuis factis venustatem corporis mirum in modum auget. Ac tuæ formæ laudes, quanquam præterii multas, has habeo.

5. De temperantia vero, pulcherrima laus illa occurrit, quod, cum ista ætas columniis exposita sit, tibi usuvenit ut potius laudare. Non modo enim nihil delinquis, sed sapientius etiam quam pro flore ætatis vitam instituisti. Cujus rei maximum testimonium est tua cum hominibus consuetudo. Cum enim te multi conveniant iidemque diversissimis prædicti ingenii, teque omnes ad suam familiaritatem invitent, ita præclare te adversus illos omnes gessisti, ut amicitia tua delectentur. Quod est vitæ indicium laudabiliter humaniterque institutæ. Quanquam autem jam non nulli probati sunt, tum qui non quosvis in amicitiam recipiendos suasere, tum qui iisdem paruere: quod et, si quis improbis obsequatur, necesse sit vulgi reprehensionem incurgere, et, si cam columniam vereatur, odium ipsorum solatium suscipiendum sit. Ego tamen propter hoc ipsum tē magis laudandum censeo, qui, cum aliis fieri non posse videatur ut populi judiciis probetur quisquam, tantum illos excellas, ut difficultates atque asperitates omnes superaris: nam ne suspicionem quidem de te præbes quasi ulli sis delictorum socius, et aliorum odium morum dexteritate vincis. Jam cum amatoribus, si quid de his quoque dicendum est, ea esse ratio tua caue tum bonitas tum prudentia mihi videtur, ut, cum plerique nec cum quem sibi delegerunt moderate ferre queant, tibi

usuvenierit ut omnibus supra modum placeas. Id quod signum est tuæ virtutis evidentissimum. Nemini enim ea negasti, quæ jure honesteque tribui possunt: quæ vero cum probro conjuncta sunt, ea nec sperare quisquam in animum inducit; tantam virtutis et honestatis appetentibus potestatem, impudentibus desperationem, affert tua modestia. Præterea, cum in adolescentia plerique modestiæ laudem taciturnitate venentur, tu tantum ingenio polles, ut sermonibus et colloquiis tuis non minorem quam cæteris omnibus rebus apud familiares tuos laudem sis assecutus: tantus tuus lepos est, tanta suavitas, tum seriis tum jocosis in rebus. Cum et simplex sis absque delicto, et acutus absque malitia, et humanus cum ingenuitate, ac denique talis, qualis ferme filius Cupidini e Virtute nasceretur.

6. De fortitudine autem—nam et hanc præterire non decet, quantum tua quidem natura multas adhuc accessiones recipit, sequensque tempus laudaturis magnam copiam suppeditabit, tamen pulcherrimæ sunt ista ætate laudes, qua nihil delinquere cæteris est optabile—ac tua quidem fortitudo cum ex aliis rebus celebrari possit, tum vero propter exercitationem, cuius vel plurimi testes exstiterunt. Fortassis autem in primis dicendum est, quam prudenter id studium cæteris prætuleris. Nam prudens agendarum rerum delectus in adolescente, commune signum est et animi liberalis et cordati ingenii. Quapropter nec istius instituti laus est prætermittenda. Cum igitur scires a reliquis certaminibus nec servos nec peregrinos excludi, istud vero solis propositum esse civibus, nec nisi ab optimatibus expeti, sic eo te contulisti. Ad hæc, si qui currendo se fatigent, eorum nec fortitudinem nec animi præstantiam augeri, eos vero qui pugilatu aut aliis ejus generis ludis se exerceant, præter mala corporis, etiam ingenia corrumpere cum judicares, splendidissimum pulcherrimumque exercitationis genus tuæque naturæ aptissimum elegisti, quod et armorum consuetudine, et cursuum tolerantia, belli simulacrum repræsentet; et magnificentia, et splendore apparatus, potentiae deorum simile videatur: præterea et spectatu jucundissimum sit, et e plurimis variisque generibus constet, et ingentia præmia merito consequatur. Præter enim ea quæ tribuuntur, ipsa etiam exercitatio et tam præclarum studium non parvum præmium homini vel mediocriter virtutis studioso videatur. Quod Homericu carminis testimonio vel in primis comprobatur, in quo et Græcos et Barbaros tali apparatu gessisse bellum fecit inter sese: præterea etiam hodie Græcarum urbium non abjectissimis, sed maximis, in certaminibus uti eo familiare est.

7. Institutum igitur honestum æque ac dilectum universis omnibus est. Quia vero putabas nihil prodesse rerum pulcherrimarum

desiderium, aut corporis ad omnia habilitatem, nisi et animus probe esset exornatus, laborum tolerantiam statim in gymnasiis ostentatam nec in factis fefelleristi: reliquum autem ingenii tui splendorem, animique robur, in certaminibus potissimum declarasti. De quibus etsi ordiri vereor, metuens ne ea quæ tum gesta sunt oratione non assequar: tamen neque prætermittam. Nam turpe fuerit, quæ nos spectantes exhilarant, ea nolle commemorare. Ac si omnia certamina referre vellem, ultra modum fortasse nobis extenderetur oratio: unius autem in quo multum excelluisti facta mentione, et reliqua indicabo et auditorum benignitate non abutar. Emissis bigis, atque aliis longius evectis, aliis subsequentibus, utrisque superatis, præ utrisque, ut decuit, victoram obtinuisti, talem coronam adeptus, in qua, cum ipsa Victoria præclara sit, tamen evasisse incolumem præclarus videbatur et admirabilius. Nam adversariorum curru contra te ruente, cunctisque putantibus equorum violentiam non sustineri posse, quamquam videras cæterorum quosdam nullo etiam ingruente periculo mirifice angi, minime perterritus es aut refugisti, sed et robore animi et bigarum impetu fuisti superior, et adversarios, qui secundo cursu nec interrupto usi fuerant, celeritate antevertisti. Quo ita mutasti animos hominum, ut cum multi jacent in ludis equestribus nihil esse perinde jucundum atque naufragia curruum, iisque vera dicere videantur, de te contra spectatores omnes solicii, ne quid tibi tale accideret, formidarent. Tantam benevolentiam et studium in eorum animis natura tua excitarat. Neque id injuria. Cum enim pulerum sit ob unum aliquod ornamentum esse conspicuum: quanto pulcrius est omnia complecti, quæ homo prudens laudi sibi duxerit?

8. Idque inde perspicitur. Æacum et Rhadamanthum propter justitiam, Herculem Castoremque et Pollucem propter fortitudinem, Ganymedem et Adonim et ejus generis alios propter pulcritudinem, a diis adamatos esse reperiemus. Quare non miror eos qui amicitiam tuam expetunt, sed illos qui non eodem modo erga te afficiuntur. Si qui enim singulis duntaxat horum quæ diximus bonorum prædicti convictu deorum sunt dignati, nonne ei, homo qui natus sit, optabile fuerit, ejus amicum fieri qui illa universa in sua potestate habeat? Prædicanda igitur est tui et patris et matris et cæterorum propinquorum felicitas, quod æquales tuos tantum virtute vineas: sed horum multo magis quos tu, tam præstantibus dotibus ornatus, delectu habito ex omnibus amicitia tua dignaris. Nam illos fortuna tecum conjunxit: hos sua virtus tibi commendavit. Qui haud scio amatores ne, an soli veri judices, sint nominandi. Nam mihi quidem videtur initio fortuna, contemptis improbis, honestorum virorum mentes irritare volens, naturam tuam

fecisse formosam, non quo facile ad voluptatem decepta prolabetur, sed ut amplexa virtutem gloriam consequeretur.

9. Quanquam autem multo plura de te commemorare possem, hic mihi finiendam esse puto laudationem, verito, ne mea tui prædicatio naturæ humanæ limites excedere videatur. Nam usque adeo dicendi vis ab adspectu vincitur, ut his quæ sub sensum oculorum cadunt fidem esse abrogandam nemo putet: eorundem vero laudes, etiam justo minores, non esse veras opinentur. His igitur nunc omissis, ea tibi præcipere conabor, per quæ vitam tuam honoratiorem efficias. Te vero velim ea quæ dicentur non obiter animadvertere, neque existimare, me ostentandi potius ingenii, quam tui juvandi studio, his verbis esse usum, ut nec a veritate aberres, nec pro optimis obvia quæque amplexus, pejus tibi consulas. Etenim quorum obscura et humilis natura est, hos nec siquid non recte fecerint objurgamus: at quorum laus, ita uti tua, in illustri loco sita est, his honestissimarum rerum vel neglexisse aliquid probro datur. Præterea qui in aliis orationibus judicandis hallucinantur, una tantum de re non optime statuunt: qui vero consilia de vitæ officiis non recte accipiunt aut contemnunt, erroris sui per omnem secum ætatem monimenta circumferunt. A quibus omnibus te alienum atque immunem esse decet, ac providere et perspicere, quid maximam in rebus humanis vim obtineat: et quo recte feliciterque constituto maximos in vita fructus percipiamus, quo item neglecto aut depravato in acerbissimas calamitates incidamus. Neque enim obscurum est, ejus rei curam in primis esse suscipiendam, quæ plurimum in utramque partem momenti et virium habet.

10. Mentem autem humanarum rerum omnium esse moderatricem reperiemus; quam sola philosophia et recte erudire et exercere queat. Ejus ergo te non expertem esse oportere censeo, aut ab ea sectanda laboribus quibus ea paranda est deterrei: cogitandum potius, per ignaviam et socordiam nec facillima quæque posse comprehendendi, tolerantia autem et industria nihil in rerum natura esse bonorum quin comparetur. Atque omnium esse absurdissimum, parandarum opum augendique roboris et rerum similium ardere cupiditate proptereaque multas ærumnas perpeti, quæ omnia mortalia sunt mentique servire consuerunt: ut vero ipsa mens, quæ cætera gubernat, quæ nunquam deserit, quæ totius vitæ dux et magistra est, excolatur, non elaborare. Præclarum sane et fortunæ beneficio inter excellentes esse admirationi: sed multo præclarius est, suapte industria, quicquid eximium sit esse assecutum. Nam illa etiam improbis non raro sese offert: hæc vero nemini adest nisi virtute præstantissimo. Ac de philosophia quidem disserendi

accuratius alio tempore nobis occasiones opportuniores dabuntur opinor: sed breviter eam attingere, nunc etiam nihil prohibebit.

11. Illud autem in primis est diligenter animadvertisendum, cum omnem disciplinam scientia et exercitatione quadam contineri, tum philosophiam magis etiam cæteris. Nam quanto diligentiores ea prudentioresque magistros habet, tanto pulcrius esse constitutam par est. Atqui, cum et in dicendo et in deliberando mentis versetur officium, philosophia autem hujus utriusque rei peritiam tradat, cur eam disciplinam, quæ nos horum utriusque compotes facit, persequi nolimus? Tum enim consentaneum est rei nostræ familiari accessura esse maxima incrementa adeoque totam vitam fore cultorem, cum et quæ doceri queunt artis adminiculo, et cætera exercitatione quadam et assuefactione obtinuerimus. Neque enim hoc dici profecto potest, nihil esse in scientia momenti ad hoc, ut aliis præstemus alii sapientia. Nam cum omne ingenium, si apta institutio accedat, fit melius: tum vero ea multo maxime quæ a primo statim ortu dexteriora cæteris exstiterunt. Illa enim sese dunataxat vincunt, hæc etiam aliis antecellunt. Ne vero dubita quin agendo parta peritia, nec sine periculo contingat et ad reliquam vitam sit inutilis: philosophica autem institutio ad hæc omnia opportune contemperata. Etsi autem quidam propter felices rerum successus fortunæque favorem in admiratione fuerunt, eos tamen te contemnere et tuiipsius curam genere decet. Nec enim maximæ res temere invadendæ, sed certa ratione scienterque suscipiendæ sunt; nec in ipso demum gerendarum rerum articulo meditari, sed ea scientia te institutum esse decet ut quicquid opus fuerit bene administres. Existimabis autem cum omnem eruditionem si quis utatur prodesse multum, tum vero eam doctrinam, quæ tradit quid in Republica et agendum et dicendum sit, in primis. Nam geometriæ ac similiūm artium esse rudem turpe id quidem est, sed earum summum fieri artificem infra excellentiæ tuæ dignitatem: at in illa excellere facultate præclarum, non esse institutum prorsus est deridendum.

12. Quod ex multis aliis rebus intelligitur, et ex eo, si viros illustres qui tuam ætatem præcesserunt spectes. Nam et Periclem, cuius sapientia temporibus illis præ omnibus celebrata est, familiarem fuisse Anaxagoræ Clazomenio, atque illo doctore vim eam consecutum esse audies. Et Alcibiadem ingenio quidem ad virtutem multo deteriore (ut qui partim superbe, partim abjecte, partim libidinosissime vitam instituerit) reperies Socratis institutione multa in sua vita correxisse, cætera magnitudine rerum gestarum occultasse. Quod si veteribus commemorandis immorandum non est, cum recentiora exempla in promptu sint, tum Timo-

theum, non iis rebus quibus adolescens studuit, sed propter ea quæ post institutionem Isocratis gessit, et summam gloriam et amplissimos honores merito esse consecutum cognosces: tum Archytam qui Tarentinam rempublicam, summa rerum ad ipsum delata, adeo præclare et humaniter administravit, ut ejus nomen apud omnes celebretur: is igitur cum sperneretur initio, c^o Platonis congressibus tantam auctoritatem est adeptus. Neque horum quicquam sine ratione factum est: imo longe esset absurdius, si ad parva quædam perficienda nobis artis atque exercitationis opus esset adjumentis, res vero maximæ nullam artem, nullum hujusmodi studium postularent. Ac de his quidem plura dicere non video quorum attineat. Neque enim initio sic in hanc mentionem sum ingressus quasi tu ea prorsus ignorares: sed hujus gereris exhortationibus ignaros excitari, scientes inflammari, putabam.

13. Ne vero putas me, quod ista dixerim, de me polliceri tibi doctrinam harum rerum. Nec enim me fateri pudet, ipsi mihi adhuc multa esse discenda, atque ipsum rempubl. malle gerere quam aliis eam doctrinam tradere: neque hæc sic accipi velim quasi asperner eam, quæ sapientiæ et eloquentiæ magistris proposita est, gloriam, sed quia id quod dico verum est. Scio enim multos ex obscuris et contemptis per eam professionem illustres esse factos, ac Solonem et viventem et mortuum maxima gloria floruisse, cui reliqui honores negati non fuerunt: nam et fortitudinis suæ tropæum Megarensē monimentum reliquit, et consilii Salaminis recuperationem, et cæteris in rebus sapientiæ leges; quibus etiam hodie plurimi Græcorum constanter utuntur. Qui, quanquam tot ornamenti cumulatus, tamen nihil perinde studuit, atque ut in septem sapientum numerum referretur, sapientiæ studium non probro cuiquam, sed laudi omnibus esse dandum existimans; in quo æque recte sensit, ut in cæteris, in quibus excelluit.


14. Atque ego nec ipse aliter sentio, et tibi philosophandum censeo, nec obliviscendum quantis te bonis natura et fortuna cumularit. Quæ hanc ipsam ob causam ego quoque orationis initio commemoravi, non tam quidem ut laudatione ingenii tui animum tuum mihi conciliarem, quam ut te ad philosophiam adhortarer, ut et eam non parvi duceres, nec, bonis istis elatis, ea quæ restant negligeres, nec, si iis præstas quibuscum vivis, studere aliis esse præstantior nolis. Sed existimes eximium esse excellere in omnibus: magisque expedire ut ei rei studere videaris, quam ut in vulgaribus emineas, aut ingenium tuum dedecores, aut eorum qui sibi de te magna pollicentur spem frustreris; imo tuis viribus vincere studebis benevolentissimorum desiderium. Atque existimabis reliquas orationes, si mediocriter placeant, oratoribus esse gloriæ, præceptiones autem iis qui pareant et usui esse

et honori: ac judicia de aliis rebus animi nostri sensum ostendere, studiorum vero delectum totum nostrum ingenium aperire. De quibus interim dum judicas, ab omnibus de te fieri judicium exspecta: et mihi, qui te ita laudarim, pro eo ac specimen de te præbueris, certamina fore sine mora sustinenda. Quas ob res et te hisce laudibus videri dignum, et mihi tui amore non esse fraudi oportebit.

15. Te vero non ita prompte ad philosophiam adhortaremur, nisi nec aliud munus amicitia nostra magis dignum me tibi posse conferre arbitrarer; et rempublicam viderem, dum penuria bonorum virorum quibusvis mandatur, ob horum delicta maximis cladibus affici. Ut igitur et ipsa tua virtute, et tu ipsius honoribus perfruaris, studiosius te sum hortatus. Neque enim penes te futrum esse ut privatam vitam agas: sed tibi publicum aliquod munus mandatum iri puto, et quo major est ingenii tui præstantia, eo tibi majores dignitates obventuras, eoque matrius tui periculum factum iri. Expediet igitur nunc ita esse animo præparatum, ut tunc nihil delinquas. Mei itaque officii est, explicare quæ a te fieri utiliter existimem: tui, de eis deliberare.

16. Decet autem etiam cæteros, qui tuam familiaritatem extunt, non breves et leves voluptates atque colloquia magnificere, neque ad ea te provocare: sed elaborare studioseque cogitare, de vita tua quam illustrissima efficienda. Sic enim et ipsi maximas laudes assequentur, et in te maxima beneficia conferent. Ac tuorum sodalium nunc etiam neminem reprehendo. Nam in reliquæ felicitatis tuæ parte et hoc esse videtur, quod in nullum illaudatum incideris amatorem: sed eorum tibi familiaritas contigerit, quibus meliores ex omnibus æqualibus deligi non possint. Proinde suadeo ut te erga illos omnes comem præbeas et facilem: sed eorum tamen prudentissimis obsequaris, ut et ab his ipsis, et a reliquis civibus, melior judiceris. Vale.

**DEMOSTHENIS
EXORDIA CONCIONUM.**



DEMOSTHENIS

EXORDIA CONCIONUM.

I.

Si de novo quopiam negotio indicta concio esset, Athenienses, continuisset me dum maxima pars eorum qui dare consilium solent sententias dixisset, quorum si quæ rationes mihi placuissent, quietuisse: sin minus, tum et ipse quæ sentio dicere conatus essem. Sed quia, quibus de rebus isti sæpe antea verba fecerunt, de illis nunc deliberatis, arbitror me, quamvis primus surrexerim, posse tamen videri inerito dicere post istos. Quod si præclarus rerum status esset, consultare supervacaneum foret: cum vero, ut universi videtis, multum in eis difficultatis insit, ut ipsa negotiorum conditio patitur, sic dare consilium quod mihi rectissimum videbitur conabor. Primum igitur illud statuendum est, nihil eorum, quæ bello gerendo occupati factitabatis, deinceps vobis esse faciendum, sed omnia contraria potius: nam si illa ratio perniciosa fuit, consentaneum est diversam fore meliorem. Deinde existimandum est, non eum, qui vobis aut nihil aut exigua mandet, recte dicere—videtis enim, dum tales spes et crationes cupide audiuntur, in summum discrimen venisse rempublicam—, sed eum qui, neglecto assentandi studio, ea quæ opus sunt, et per quæ susceptum dedecus aboleamus factamque jacturam resarciamus, suadeat. Nam si quidem ita comparatum esset, ut quemadmodum molestæ orationes prætermitti, sic etiam res ipsæ quæ molestiam pariunt præteriri, possent, omnino esset ad gratiam concionandum: sin verborum blanditiæ cum rebus haud congruentes perniciem afferrunt, turpe est sibi ipsum fucum facere, et extrema demum urgente necessitate ea suscipere, quæ jam olim ultro confecta esse oportebat.

II.

Non idem statuere possum, Athenienses, cum Reip. nomen e vobis audio, et cum video quomodo vestrum quidam ejus defensores tractare soleant. Rempublicam enim, id quod nostis omnes, democratiam nominatis: sed quosdam qui huic contraria dicunt libertius a nonnullis audiri animadverto. Cujus rei miror causa

quæ sit. Nunquid eos hæc sine mercede dicere putatis? At oligarchiarum, quos isti defendunt, domini tacentibus etiam plus darent. Nunquid hæc potiora creditis? Præstare igitur vobis oligarchia democratiæ videtur. Nunquid eos viros meliores judicatis? Quis vero, qui contra receptum Reipublicæ statum conciones habeat, probus a vobis existimari jure potest? Reliquum igitur est errare vos, dum in ista sententia sitis. Quæ plaga vobis cœnanda est, Athenienses, ut ne aliquando ansam detis insidiatoribus; ac tum demum errasse vos intelligatis, cum id vobis nihil jam prodierit. Non in eo quo nos vellemus, Athenienses, loco esse omnia, neque apud vos ipsos neque apud socios, minime fortassis est mirandum. Multa enim fortunæ fluctuantis incertæque arbitrio reguntur, causæque plures existunt cur non omnia ex animi sententia mortalibus eveniant. At nullam esse prorsus populi auctoritatem, sed illius adversarios dominari, hoc et mirandum est, Athenienses, et meo quidem judicio, si qui recte cogitent, formidolosum. Ac totius quidem orationis hoc mihi principium est.

III.

Magnis opibus, Athenienses, rationem, qua perspicuum fiat quid in illis rebus optimum factu sit de quibus nunc deliberatis, omnes vos prælaturos arbitrор. Quod cum ita sit, officii vestri est ut vos ipsi libenter audiatis eos qui vobis consultum volunt. Nec enim, si quis utile aliquid meditatus attulerit, id solum audire atque accipere licebit: sed illud etiam vestræ felicitatis esse puto, ut multa utilia dictu subito quibusdam in mentem veniant. Ex omnibus igitur diligere id facile fuerit quod maxime vobis expediet.

IV.

Æquum est, Athenienses, cum penes vos sit ex his quæ dicuntur eligere quod maxime probatis, omnes audiri: etenim sæpe usuvenit, ut idem homo in alio erret, in alio recte sentiat. Tumultuando autem et celeriter fastidiendo fieri potest, ut multis utilibus consiliis fraudemini: at si modeste taciteque audietis, tum officio plane fungemini, tum si quis delirare videbitur, eum negligetis. Ego vero multa verba facere neque soleo, neque, si hactenus solitus fuisse, nunc facerem, sed, quæ vobis profutura existimem, ea, quam a me fieri brevissime poterit, vobis explicabo. Quum nemini prorsus, Athenienses, obscurum esse videam, quibus orationibus vel delectemini, vel offendamini: tamen ea dicere quæ jucunda fore videantur, impostorum esse reor; ab his autem quæ Reipublicæ profutura esse persuasum habeas, etiamsi auditores obturbaturos aut quidvis aliud facturos scias, non depelli, id ego et boni et cordati civis officium esse judico. Ego vero vos, si non propter quic-

quam aliud, ob illud saltem utrorumque orationes audire velim, ut, si quædam quis rectius quam impetus vester et cupiditas fert diceret, ejus consilium amplecteremini: sin destitueretur ingenio neque sententiam animi sui explicare posset, ut id ei sua, non vestra culpa qui audire nolitis, accidisse videretur. Deinde non tanta molestia afficeremini, si quem multa nugantem audiretis, quanta, si quem qui opportunum aliquid dictu haberet prohibeatis. Ac principium quidem est recte probandi omnia, ut ne quid antea vos tenere putetis, quam cognoveritis, cum præsentim sciatis sæpe jam multos consilia mutasse. Quod si nunc vobis hæc persuasa fuerint, fore puto ut paucis verbis et ipse dicere aliquid jure videar et me vobis optime consulere appareat.

V.

Quanquam, Athenienses, multa verba facta sunt ab omnibus iis qui consilia dederunt, vos tamen nunc nihilo proprius ab ejus inventione, quod agendum sit, abesse video, quam priusquam in concionem adscendissetis. Cujus rei causa, opinor, est eadem, quæ est ut summa Reip. laboret. Nec enim de propositis rebus vos monent oratores: sed se invicem accusant et proscindunt quo, ut ego quidem judico, consuefacti extra judicium, quantas clades invexerit, audire, si quando in jus vocentur (cum vos nihil audire novi putetis, sed ea tantum quæ sæpe vos commoverint), de facinoribus eorum clementius pronuncietis et judicetis. Ac ista quæ de causa faciant, stultitiae fortasse fuerit indagare curiosius in præsentia: sed quia vobis non expedient, ideo ea reprehendo. Ego vero nec accusabo quemquam hodie, neque tale quicquam pollicebor, quod non e vestigio probem, nequc denique illos ulla ex parte imitabor: sed quæ tum conficiendis rebus aptissima, tum deliberrantibus vobis utilia existimo, his quam brevissime explicatis, descendam.

VI.

Qui majores vestros laudant, Athenienses, orationem illi quidem instituere mihi videntur jucundam auditu, non tam eorum quos celebrant servire comodis. Aggressi enim res, quas explicare dicendo pro dignitate nemo queat, ipsi quidem eloquentiae laudem reportant, sed iidem efficiunt ut de illorum virtute concepta apud auditores opinio minuatur. Ego vero maximam virtutis eorum laudem tempus esse puto: quod cum interea non exiguum sit elapsum, rebus tamen illorum gestis majora nulli alii suscipere potuerunt. Ego autem operam dabo, ut rationem explicem qua mihi optime posse instructi esse videamini. Ita enim se res habet. Tametsi nos oratores omnes eloquentes videamur, nihilo tamen res vestras meliore loco fore satis scio: sed si quis (quisquis ille fuerit)

in medium progressus docere et persuadere possit, quis apparatus, et quantus, et unde comparatus, Reipub. sit profuturus, omnis hic metus repelletur. Idque ego, modo viribus non destituar, facere conabor, pauca præfatus apud vos quid de regio negotio sentiam.

VII.

Utrique mihi peccare videntur, Athenienses, tam qui Arcadibus, quam qui Lacedæmoniis sunt patrocinati. Tanquam enim ab alterutris missi, non cives vestri sint, apud quos illi utrique legatione funguntur, sic invicem accusant et criminantur. Quod legatorum quidem officium fuerit: æquis autem animis de rebus dicere, et vestram utilitatem sine æmulatione considerare decebat eos, qui sibi ex hoc loco dandi consilii auctoritatem sumunt. Nunc, nisi noti essent et Attice loquerentur, equidem fore multos opinor, qui alios illorum Arcades, alios Lacones esse putarent. Ego vero haud sum nescius, suadere optima quam difficile sit. Nam cum vos una in fraudem illecti sitis, et alii aliter sentiatis, si quis mediam oratione sua viam tenere instituerit, eamque vos cognoscere nolueritis, fiet ut et gratum faciat neutris, et in crimen veniat apud utrosque. Malo tamen, si forte id usu mihi venerit, ineptus videri, quam, his quæ e Republica esse puto dissimulatis, committere ut a quibusdam decipiamini. Ac cætera quidem, si vestra voluntas feret, postea dicam: nunc vero quid potissimum expedire existimem, exorsus ab his quæ ipsi confitentur, docere incipiam.

VIII.

Cum non in eadem sententia sim in qua sunt eorum plerique qui verba fecerunt, surrexi ad dicendum, Athenienses. Et tamen ne hos quidem arguerim ex improbitate optimis contraria dixisse: sed illud in causa esse videtur, quod plerique, neglecto rerum judicio, verba quæ dicturi sunt spectare solent. Quorum copia instructi alacriter ad concionandum prosilire solent; in quo non recte sentiunt, neque cum animis suis cogitant, cum multæ res longo tempore ab omnibus gestæ sint, et, propter tempora quædam inter se contrariæ, si quis prioribus præteritis posteriores dicat, eum nihil aliud acturum, nisi ut, quo factu nihil est facilius, se ipse imprudens fallat. Qui igitur eo animo ad dandum consilium venerunt, mihi videntur ea esse orationum suarum laude contenti, si eloquentes videantur: ego vero eum decere existimo, qui de publicis negotiis dare consilium instituit, illud potius spectare, ut ea quæ decreta fuerint prosint, quam ut subitæ orationes placeant. Decet enim ad eloquentiæ laudem utilis alicujus rei actionem accedere, ne in præsentia tantum, sed semper, ea quæ dicta fuerint se præclare habeant.

IX.

Si scitis, Athenienses, quid de rebus istis factu sit optimum, peccatum est eas ad deliberandum proponere : nam quæ ipsi ante auditas sententias tanquam optima probatis, quorum eidem audiendis frustra obtundi attinet ? Sin consideratis et deliberatis, quasi ex his quæ dicentur statuendum sit, non rectum est si qui velint eis non facere dicendi potestatem. Sic enim fit ut ab aliis, si quid utile excogitarunt, eo vos omnino privemini : alii, omissis his quæ in animo habebant, ea suadeant quæ vos cupere opinantur. Est autem eorum qui errare volunt, adigere oratorem ad ea quæ vos vultis dicenda ; deliberantium, audire quæ ejus sit sententia, eaque si recta sit uti. Dico autem hæc, non quod his quæ vobis placent contraria suadere velim : sed quia illud scio, si contradicentes audire noletis, eos dicturos vos esse deceptos; sin audieritis et assensi non fueritis, mox apparebit eos deteriora dedisse consilia.

X.

Arbitror omnes vos, Athenienses, intelligere, vos hodie convenisse non ut ullum maleficium puniatis, sed ut de negotiis istis deliberetis.. Accusationes igitur omnes differendæ sunt, ac tum apud vos dicendum contra eum quem sibi unusquisque oppugnandum censebit, cum judicium de aliquo faciemus : quod si quis utile aliquid dictu aut conducibile habet, id nunc pronunciet. Nam accusare eorum est, qui res gestas culpant : consilii vero capiendi deliberatio de rebus præsentibus aut futuris instituitur. Proinde non convicci aut reprehensionis hoc tempus, sed dandi consilii mihi esse videtur. Dabo igitur operam ne ipse id committam, in quo alias reprehendo ; et, ut quæ in præsentia factu utilissima censeo, suadeam.

XI.

Neminem negaturum opinor, Athenienses, improbi et malevoli esse hominis, sic aliquem ex magistratibus vel amare vel odisse, ut, neglecta reipub. utilitate, conciones partim ex odio, partim ex æmulatione habeat: quæ quidam consenso suggestu faciunt. Ego vero his tantum dicam, eos videri mihi, etsi tale aliquid fecerunt, non summum peccatum commisisse, sed illud esse gravissimum, quod præ se ferunt se nunquam etiam aliter facere paratos esse : vobis autem suaserim, ne, abjecta vestri cura, satis id esse putetis, sumere de istis poenas, ubi vobis visum fuerit, nisi etiam eis ob sistatis summis viribus, et quemadmodum de Repub. deliberantes decet, privatis contentionibus sublatis, quid publice maxime profuturum sit consideretis : cogitandum enim est, neque unum,

neque omnes simul magistratus, sublatarum legum, quarum vobis cura commissa est, satis graves pœnas dare posse.

XII.

Fortassis invidiosum, Athenienses, quibusdam esse videatur. Si quis homo rudit et unus e vestro numero, post alios suasores, qui et diuturnitate gestæ olim Reipublicæ et auctoritate qua valent apud vos excellunt, progressus dicat, videri sibi eos non modo non recte dicere, sed nec prope abesse a recte sentiendo. Verum ego usque adeo me vobis utiliora quam istos dicturum opinor, ut non dubitem, ea quæ dixerunt omnia nullius esse pretii asserere: existimo autem vos etiam recte facturos, si non dicentem, sed ipsa consilia, spectetis. Decet enim, Athenienses, vestram benevolentiam non quibusdam, velut hæreditariam, sed iis qui optima quoque tempore dicunt, paratam esse.

XIII.

Vellem vos, Athenienses, attente audire ea quæ dicam: nec enim parva res agitur. Ego miror, qui tandem fiat, ut priusquam in concionem adscendatur, cuicunque vestrum aliquis obvius fiat, is ita prompte possit dicere, quo pacto res fieri possint meliores, atque iterum statim, ubi discessistis, quisque disserat quid agi conveniat: cum vero in publicis conventibus illis ipsis de rebus deliberandum est, vos illis aures præbeatis, qui quidvis potius dicunt, quain ea quæ ad rem faciunt? Itane, Athenienses, unusquisque vestrum et quid deceat intelligit, et aliorum rationes recensere potest, nemo vero iisdem faciendis gratificabitur? et privatim, ut ipse quæ optima sunt quisque cupide facturus videatur, alios reprehendit; publice autem ea decernere dubitat, quibus adducamini ut omnes debita et necessaria Reip. munera obeatis? Quod si nullum unquam tempus fore putatis, quod istam dissimulationem interrumpat, non obsto quo minus eandem rationem teneatis: sin ipsa negotia magis ac magis approprinquare cernitis, providendum est, ne minus cum illis sit conflictandum, quæ diu ante præcaveri possunt, et ii, qui nunc a vobis contemnuntur, post malis vestris gaudeant.

XIV.

De statu Reipublicæ, Athenienses, quanquam is non est qualem esse oportebat, non omnino mihi videtur esse difficile quærere, quid faciendum esset uti corrigeretur. Quo autem pacto de his rebus apud vos sit disserendum, id multas magnasque habere puto difficultates, non quin ea quæ dicentur intellecturi sitis, sed quod ita multa et falsa et quidvis potius quam rebus utilia consuefacti mihi videmini audire, ut metuam, ne optime nunc consulenti, quod

odium vestrum in impostores vertendum erat, id suspicere contingat. Video enim vos s^epe non auctores rerum odisse, sed eos qui de iis postremi dixerunt aliquid apud vos. Quanquam autem hæc omnia tam accurate cogito, tamen opinor me, cæteris omissis omnibus, de ipsis his rebus quæ optima esse judicem, dicturum esse.

XV.

Vellem vos, Athenienses, qua erga omnes alios uti soletis humilitate, eandem etiam erga vos metipsos adhibere: nunc major vestra est dexteritas in malis aliorum corrigendis, quam in iis quæ vobis ipsis eveniunt providendis. Fortassis autem aliquis dixerit, hanc summam esse laudem nostre civitatis, quod nullius emolumenti privati gratia multa pericula propter ipsam justitiam ultro adierit: ego vero et rectam esse eam de civitate opinionem existimo ac probo, et illud etiam prudentium hominum officium esse puto, ut eadem solitudine res vestras privatas, qua alienas, curetis, ut non humani solum, sed cordati etiam videamini.

XVI.

Fortassis, Athenienses, eum decet, qui vos aliqua de re monere velit, sic dicere conari, ut et vos perferre possitis; aut certe, omissis aliis verbis omnibus, illa de quibus deliberatis suadere: idque paucissimis verbis. Nec enim orationum penuria res vestras omnes cepisse detimenta cernere videmini, sed ob hoc quod alii suapte causa concionantur et Reipublicæ præsunt, alii, qui nondum hoc de se specimen præbuerunt, magis eloquentiæ laudem captant, quam in id student, ut suis orationibus Reipublicæ consulatur: ego vero, ne quod aliis faciendum esse dico, id ipse negligere videar, ac de aliis, quam de his ob quæ surrexi, verba faciam, præteritis reliquis omnibus, quæ probem explicabo.

XVII.

Æquum mihi esse videtur, Athenienses, ut attente audiatur is, qui se vobis et æqua et utilia esse ea, de quibus deliberemus, ostensurum polliceatur. Ego igitur me id facturum opinor haud difficulter, si vobis perexiguum quiddam persuaderi sinatis. Ne unusquisque vestrum, quæ his de rebus sentit, ea omnia se recte sentire persuasum habeat, sed, si præterea dici aliquid contigerit, ut consideret atque audire omnia ne gravetur: deinde, si quid recte dictum videbitur, utatur. Quicquid enim prudenter explicatum fuerit non minus vestrum qui usuri estis erit quam illius qui id dixerit. Fundamentum quidem certe legitimæ deliberationis hoc est, ut ne decernatur, priusquam ea ex quibus decreta pendent auditæ fuerint. Neque enim tempus idem, neque ratio est, et com-

probandi ea quæ visa fuerint, et considerandi quid in primis profuturum esse videatur.

XVIII.

Vobiscum, Athenienses, prodii ad deliberandum, an mihi dicendum esset, nec ne: quamobrem autem id statuere nequeam, vobis explicabo. Necesse habet is qui nec sibi nec aliis blandiri, sed pro vobis dicere quæ maxime profutura persuasum habet, instituit, et ea comprobare quæ utriusque recte dixerunt, contraque refellere si qua injusta postulant. Quod si vos utraque hæc audire dignemini paucis, multo rectius reliquis rebus consuletis: sin ante cognitionem resilietis, usu mihi veniet ut, in neutros injurius, apud utrosque in crimen veniam. In quo inique mecum agetur. Proinde si jubetis, dicere sum paratus: sin minus, etiam tacere non recuso.

XIX.

Et justum, Athenienses, et utile arbitror, ut crimina et accusations, cum deliberandum est, quisque omittat: et propositis de rebus id dicat, quod optimum esse ducit. Nam quosdam esse in causa ut res male se habeant, omnes scimus: quo pacto autem emendari queant, id explicare consulentis officium est. Deinde mea quidem sententia acres delinquentium accusatores sunt, non qui talibus temporibus in acta inquirunt, cum illi nullas pœnas dabunt: sed qui tale consilium dare poterunt, per quod incommoda hæc propulsentur. Horum enim opera per otium et de illis sumere supplicium poteritis. Ac alia quidem verba omnia supervacanea esse censeo: quæ autem ad deliberationem hanc profutura putem, ea dicere conabor, si prius hoc tantum postulavero, si cuius forte facti mentionem fecero, ne id accusandi studio me dicere putetis, sed ut iis quæ tum perperani egistis indicandis cavcam, ne in similes clades incidatis.

XX.

Si etiam superiore tempore, Athenienses, nullis addicti partibus et studiis ita tranquilli fuissemus, ut in præsentia sumus, nec ea quæ nunc facta sunt eventura fuisse opinor, et cæterarum rerum multæ in loco meliore vobis essent. Nunc petulantia quorundam facit, ut nec prodire, nec perorare, atque adeo ne inchoare quidem liceat orationem. Qua ex re multa existunt eaque haud fortassis opportuna. Quod si ista percontanda sunt, et non considerandum quid agi conveniat, vestrisque cupiditatibus nunc obsequendum, decernetis ea, quæ et superioribus temporibus, instrui classem, concendi, tributa conferri, omnia ea fieri jam oportere: quorum

agendi perendie aut post quinque dies, si rumores bellici sopiantur et hostes quiescant, rursus jam non esse occasionem putabis. Id quod, cum in Hellesponto esse Philippum audiremus, accidit; ac denuo, cum piraticæ naves ad Marathonem appulissent. Quam enim quispiam, Athenienses, probe instructo uteretur exercitu, tam vos consiliis utimini celeriter. Est autem et lente deliberandum, et quæ decreta fuerint mature facienda sunt, et cogitandum hoc, nisi et uberem commeatum in promptu habueritis et ducem aliquem prudentem bello præfeceritis vestraque decreta constanter urseritis, nihil a vobis confectum iri nisi decreta, et omnes impensa frustra perituras, et fore ut neque rebus quicquam consulatis, atque irati quoscunque libitum fuerit in judicium adducatis. Ego vero nolim vos committere ut cives prius in judiciis exagitetis, quam hostes ulciscamini: æquius enim est ut cum illis, quam inter nos, belligeremus. Verum ne—id quod factu facillimum est—tantum objurgem, quo pacto hæc a vobis oportere fieri putem, explicabo, precatus a vobis, ne obstrepatis, neve me tergiversari aut differre negotium existimetis. Non enim qui celeriter et hodie rem suscipiendam suadent rectissime consulunt—non enim ea quæ jam quidem acciderunt copiis auxiliaribus prohibere poterimus—, sed qui ostenderit, quæ copiæ comparatæ nunc permanere ac constare queant, tantisper dum aut hostes superemus, aut persuaderi nobis patiamur ut bellum deponamus. Sic enim fiet ut malis in posterum liberemur.

XXI.

Arbitror omnes vos, Athenienses, confessuros, oportere nostram urbem, cum de privato ipsius quopiam negotio deliberet, æque magnam habere utilitatis atque justitiæ rationem: cum vero sociorum res aguntur aut communes, cuiusmodi etiam hæc est, nihil esse perinde curandum ut æquitatem. Nam in illis ipsa est utilitas satis: in hujusmodi autem rebus adjungi oportet etiam honestatem. Actiones enim in eorum potestate sunt a quibus geruntur: at existimationi, quæ actiones sequitur, nemo tantus est qui dominetur, sed qualemcumque res gestæ opinionem excitarint, talis de auctoribus fama spargitur a populo. Providendum igitur et danda opera, ut eæ justæ videantur. Decet autem omnes eo in injuriis affectos esse animo, quo erga se, si quid accideret, quod absit, quisque alios esse vellet: sed quia nonnulli huic ipsi sententiæ adversantur, ubi pauca illis respondero, quæ vobis expedire maxime censeam, ea statim suadebo.

XXII.

Non parvam mihi jacturam, Athenienses, existimaturi videmini,

si qua opinio sinistra nostraque urbe indigna vulgo de nobis suboriatur. In quo cum recte sentiatis, reliqua quæ cum hac sententia consentiant studio non habetis, sed subinde ad ea facienda inducimini, quæ et ipsi minus esse recta fateamini. Quanquam autem compertum habeo, laudatores omnibus esse jucundiores quam monitores, non tamen eas blanditias ita expetendas esse mihi censeo, ut alia quam quæ prodesse vobis persuasum habeo dicam. Quod si principio recte sentiretis, nihil publice faciendum erat, quod privatim reprehenderetis, ne id, quod nunc fit, usuveniret: ut de quibus quisque dictitat, quam et turpia hæc et acerba sunt, et, quo usque tandem hæc progredientur? illa ipsa in consessu quisque ipse et probaret et faceret. Ac vellem equidem, quemadmodum scio e re vestra esse ut optima dicentem audiatis, sic scire me itidem optima dicenti esse profutrum. Multo enim libentius verba facerem. Nunc equidem metuo, sed tamen ea quæ confido utilia visum iri, etiamsi vos non pareatis, tamen proferre non verebor.

XXIII.

Etsi quis, Athenienses, qui nullam aliam causam prius apud vos egisset, nunc de criminibus quæ legati nostræ urbi falso impingunt dicat, ei esset opinor ab omnibus ignoscendum. Nam aliis in rebus vinci ab adversariis, non tam fortasse culpa quam calamitas dici queat: quippe cum et in fortuna et præfectis et multis aliis aliquid situm fuerit cur prius res vel bene vel male gereretur. Sed in sui defensione pro dignitate veteris gloriæ non posse verba facere, id fieri culpa ingenii eorum quibus id evenit inveniemus. Quod si alii essent apud quos verba de vobis fierent, neque isti tam confidenter mentiti essent, opinor, neque auditores multa dicta istorum tulissent: nunc et cæteris in rebus alii vestra facilitate fruuntur omnes, et in hoc isti negotio nunc vel in primis. Tanta enim æquitate vestrarum aurium contra vos sunt usi, quanta satis scio nullorum aliorum uti potuissent. Mihi autem æquum videtur ut propterea vos et diis gratiam habeatis, Athenienses, et istos oderitis. Nam quod Rhodiorum populum, qui aliquando coram multo petulantius in vos invectus fuerat, vobis supplicem esse factum vidiimus, id ego nostræ urbis felicitati tribuo. Quod autem stolidi isti neque hoc considerant, cum id ita palam cernere liccat, neque illud ctiam quod vos sæpen numero singulos istorum conservastis, et in eorum temeritate atque infelicitate, quoties suapte auctoritate bella susceperant, corrigenda plus negotii habuistis, quam vestris ipsorum rebus agendis, id vos mea quidem opinione ad ingentem iracundiam commoveat. Sed quid agas? istis fortasse fatale est nunquam in secundis rebus sapere: nobis autem cum propter nos

ipsos, tum propter cætera nostra urbis præclara facinora, opera danda est ut omnibus hominibus ostendamus, nos qui et antehac et nunc et semper colendæ justitiae et simus et fuerimus studiosi, aliorum quorundam, qui suos cives opprimere servitute conentur, peti calumniis.

XXIV.

Si iisdem animis, Athenienses, et consulentium orationes auditretis, et ipsa negotia judicaretis, omnium tutissimum esset dare consilia. Nam si feliciter præclareque cecidisset—semper enim bene ominandum est—eventus causa tam vobis quam suasori ex æquo adscriberetur. Nunc eos, qui quæ vos vultis dicunt, libentissime auditis : eosdemque sæpe ut impostores, si quid forte secus accidit quam vos velletis, accusatis, non reputantes, in uniuscujusque potestate esse, ut et inquirat et quantum humano consilio provideri potest optima cogitet, eademque apud vos exponat, ut autem etiam gerantur feliciterque succedant, id maxima ex parte a fortuna pendere. Non est autem ab homine plus requirendum quam ut culpa præstet suique consilii rationem reddat, verum fortunæ etiam ut ratio reddatur, id fieri omnino haud potest. Quod si disciplina quapiam traditum esset ac perceptum, qua ratione quispiam et tuto et sine periculo concionarctur, eam rationem negligere insaniae fuerit : cum autem necesse sit eum, qui futuris de rebus pronunciat, participem eorum esse qui sequentur eventuum, et, si quod inde crimen exstiterit, eo involvi, turpe esse existimo suam jactare benevolentiam, si quod autem e consilio periculum impendeat, subterfugere. Deos igitur precor, ut quæ et Reipub. et mihi profutura sunt, ea in mentem veniant et mihi ut dicam, et vobis ut decernatis. Nam quovis modo studere victoriam adipisci, fieri aliter non potest, quin vel insaniae vel ejus qui suum emolumentum spectet esse censem.

XXV.

Fieri sane potest, Athenienses, ut et in iis rebus de quibus nunc convenistis, et in cæteris omnibus, eadem optima et vobis esse videantur et re ipsa sint. Quod ut ita esse concedam, tamen, cum magnis publicisque de rebus deliberatis, decent opinor ut omnes eos qui dare consilium volunt audiatis, præsertim cum turpe sit, Athenienses, eis qui nunc aliquid monere volunt obstrepere, ac post eosdem ea quæ facta sunt accusantes libenter audire. Ego enim satis scio, quod nec vos ignorare puto, nunc maxime vobis placere eos qui talia dicunt, qualia vos exspectatis. Sin aliquid secus quam vos modo putatis, quod absit, acciderit, fore ut vos ab istis deceptos esse queramini: eos autem, quos nunc ejicitis, tum recte dicere censeatis. Est autem istis, qui vobis ista maxime persuas-

serunt, vel in primis utilissimum ut intercessoribus dicendi potestas detur. Qui si docere poterunt, non esse optima, quæ istis probentur, idque fecerint priusquam quicquam peccatum fuerit, ipsos extra omne periculum collocabunt: sin id facere non poterunt, saltem postea non habebunt quod reprehendant, sed id consecuti, quod tribuere humanitatis est, ut audirentur, se succubuisse, æquo animo jure ferent, et communem eventum omnium, quicunque is fuerit, subibunt.

XXVI.

Arbitror decere vos, Athenienses, tantis de rebus deliberantes, dare libertatem dicendi cuivis qui dare consilium velit. Ego vero nunquam esse difficile putavi docere vos quæ optima factu sint—nam, ut ingenue dicam, ea vos omnes jam scire puto—, sed persuadere vobis ut agatis eadem, id vero esse difficile. Postquam enim aliquid visum decretumque fuerit, tum tantundem abest ut fiat, quantum ante quam decerneretur. Unum autem hoc ex illis est propter quæ vos ego diis gratiam debere censeo, quod qui non ita pridem propter suam petulantiam bellum vobis intulerunt, ii nunc in solis vobis spem suæ salutis collocant. Est autem, Athenienses, gaudendum hac occasione. Qua si prudenter utemini, hoc vobis usuveniet, ut eorum maledicta qui nostram urbem criminantur reipsa cum honesta fama refutetis.

XXVII.

Spes rerum commemoratarum amplæ sunt, Athenienses, quibus plerosque sine ratione moveri nonnihil arbitror: mihi vero nunquam propositorum fuit, præsentis gratiæ causa, quicquam dicere apud vos, quod non etiam in posterum profuturum existimarem. Quanquam autem hoc fere fit ab omnibus, ut eos qui assentantur diligent, monitoribus irascantur: prudentis tamen hominis officium est dare operam ut appetitum rationi semper obedientem præbeat. Ego vero perquam sane velim, ea vobis factu esse jucunda, quæ profutura sunt, ut et grata et utilia dicere viderer. Sed postquam video vos contraria his moliri, adversandum esse opinor, etsi quorundam odia suscipienda fuerint. Quod si nec audire quicquam sustinebitis, non inopia judicii errare, sed pravitate ingenii appetere atque aggredi talia videbimini: sin audieritis, sententiam fortasse mutabitis, quod ego vobis in primis prodesse puto; sin aures dicturis præbere nolueritis, alias ignorare vos quid expediat, alias, quod cuique visum fuerit, id dicet.

XXVIII.

Primum nihil novi est, Athenienses, aliquos existere, qui, cum

res gerendæ sunt, vestris decretis adversentur. Quibus si vos, cum consultaretis, dicendi copiam fecissetis, atque ipsi idem facerent, accusatione digni essent, quod, quibus in rebus victi essent, de iisdem rebus rursum dicere vi conarentur. Nunc et illi venia digni sunt, si ea quæ tum audire noluistis exponere student: et vos, Athenienses, reprehendendi estis, qui in deliberationibus suam quemque dicere sententiam non patiamini, sed, ubi vos alii sua oratione occuparint, alios minime audiatis. Ista igitur consuetudo molestias vobis parit. Quorum enim ante cladem acceptam consiliis parere licuisset, eos postea accusantes laudatis. Idque vobis rursus opinor accidet, nisi æquis animis omnes audieritis in præsentia: eoque labore suscepto, probatis optimis, eos qui quicquid tandem cavillabuntur improbos existimabitis. Ego æquum esse censeo, ut primum omnium ipse dicam, quid mihi in negotio de quo consultatis videatur, ut si vobis ita visum fuerit, etiam cætera explicem: sin minus, neque vobis molestus sim, neque meipsum fatigem.

XXIX.

Debuit, Athenienses, ante susceptum bellum provideri, quibus copiis ad id gerendum instructi esse possemus: quod si cum primum deliberaretis manifestum non erat, tum certe cum id erupisset de apparatu etiam deliberandum fuit. Sin vos magnas ducibus copias tradidisse dicetis, quas ipsi perdiderint, nemo istam vestram excusationem accipiet. Nec enim eorundem est, eos quibus res mandarant et absolvere, et causas malorum eisdem imputare. Quia vero quæ præteriere mutari non possunt, et ut tempora patiuntur rebus succurrendum est, intempestivas esse video querimonias, daboque operam, ut quæ optima censeo suadeam. Illud igitur in primis statuendum est, tam unumquemque virum insigne studium et contentionem adhibere oportere, quanta fuit superioribus temporibus negligentia. Nam etiam sic vix sperandum est ea nos quæ per ignaviam tanto ante amisimus esse recuperaturos. Deinde animi propter hunc rerum statum non sunt abjiciendi. Nam quod superiore tempore deterrium fuit, id in posterum erit utilissimum. Quid igitur illud est, Athenienses? Quod propter ignaviam vestram res male se habent. Nam si vos omni officio fungeremini, et tamen hic rerum status esset, ne spes quidem fortunæ melioris ulla superesset.

XXX.

Nihil est molestius, Athenienses, quam quod oratores iis moribus quos reprehendunt utuntur. Nam factiones eorum, et mutuas extra judicium accusations, nemo ita socors aut pravus est, quin esse

perniciosas reipublicæ fateatur. Ego vero majorem eos bonitatis laudem adepturos opinor, si contentionibus istis inter se in hostes reipublicæ conversis conciones haberent. Vos autem moneo, ut a neutra istorum factione stetis, neve operam detis ut alterutri superiores fiant: sed ut omnes vos hostes vincatis. Precoꝝ autem a diis immortalibus, qui vel propter ænulationem vel ex similitate vel quavis alia de causa dicunt alia quam quæ optima esse censem, uti desinant. Diris enim devovere quemquam, alienum fortassis est officio consulentis. Has ego calamitatcs nemini puto, Athenienses, nisi omnibus istis esse imputandas. Censeo autem per otium rationem ab eis reposcendam: nunc vero de emendando rerum statu deliberandum.

XXXI.

Velle, Athenienses, quosdam oratorum tantum habere studium utilissima dicendi, quantum in eo laborant, ut belle dicere videantur, ut et ipsi boni viri potius quam eloquentes haberentur; et res vestræ, quemadmodum convenit, meliore loco essent. Nunc quidam mihi prorsus videntur eloquentiæ laude contenti, quid postea vobis eventurum sit, nihil curare. Ac statuere nequeo, utrum illius generis orationes ipsum dicentem perinde fallere soleant, atque illos apud quos habentur, an vero de industria iis quæ optima censem contraria dicant in concionibus. Qui si ignorant eum, qui officio fungi ac operæ pretium facere velit, non verbis audacem, sed ab apparatu firmum esse oportere, neque propter hostium imbecillitatem confidendum, sed tametsi illi potentes essent spem victoriæ habendam, facetiæ verborum, ut appareat, eis obtant quo minus res gravissimas animadvertant. Sin hæc se non ignorare dixerint, atque alia quædam causa subest, ob quam ista instituunt, ea, quæcunque fuerit, non mala existimari qui potest? Ego vero, tametsi vobis illos cordi esse video, tamen quæ mihi videntur non dubitabo dicere. Etenim stultitiæ fuerit, cum oratione prava decliniti sitis, desperare vos meliori et magis utili oratione posse inviam revocari. Peto autem ut et vos æquis animis adsitis, cogitantes, nec ea quæ nunc sentitis vos fuisse sensuros, nisi orationes quæ vobis persuaserunt audissetis. Quemadmodum igitur, si de bonitate monetæ judicium fieret, explorandam eam censeretis, sic etiam peto ut dictam orationem, ex his quæ nos contra disseruimus, æstimantes, si utilem reperiatis, diis approbantibus sequamini: sin singula considerantibus alienior videbitur, ut antequam impegeritis, mutato consilio, iis quæ recta sunt utamini.

XXXII.

Maxime velle, Athenienses, vobis ea quæ dicam probari: sin

id aliter fortassis ceciderit, nihil mallem quam a me saltem esse dicta. Est autem, ut videtur, non solum apud vos ea dicere difficile quæ dici debent, sed etiam cum animo suo cogitantem ea invenire. Quod sic intelligi potest, si quis non verba vos, sed res in quibus estis considerare putet, ac majus studium adhibeat ut vir bonus, quam ut orator vehemens, videatur. Mihi certe—ita me dii bene ament—, de rebus his cogitare instituenti, multa quæ vos haud inviti audituri essetis in mentem veniebant. Nam et de eo quod justissimi Græcorum sitis, copiose posse dici et videbam et video, et præstantissimis natalibus oriundi, et multa ejus generis. Sed ea tantisper oblectatura dum audirentur, post peritura. Oportere autem ut orator alicujus actionis suasor appareat, propter quam in posterum etiam aliquo bono perfruamini. Quod ego usu rerum edoctus et raro et difficulter perspici video. Neque enim satis est perspicere talia, nisi quis eadem vobis etiam, quorum ad ea perficienda requiritur auxilium, persuadere possit. Sed utut est, mei fortasse officii fuerit dicere, quæ profutura esse statuo : vestri de auditis judicare, illisque si placuerit uti.

XXXIII.

Non obscurum fuit, Athenienses, nuper, cum eos qui sententiæ cujusdam intercedebant non audiendos putaretis, id esse eventurum quod nunc fit, ut, quibus tum dicendi potestas data non fuit, hi proxima concione verba facturi essent. Si nunc igitur quod tum fecistis facietis, et eos, qui his quæ tum decreta sunt refragari volunt, audire noletis, rursus illi eadem concione proxima arripient atque exagitabunt. Si neque decreta vestra irrita videbuntur, neque vos ea quæ profutura sunt sic egeritis ut alias utilitates amittatis, neque certis quibusdam orationibus, tanquam histrionibus in scena regnantibus, addicti fueritis, et res vestræ, Athenienses, multo meliore in loco futuræ sunt, et nemo vos imprudentiores judicabit. Facite igitur, Athenienses, eumque laborem capite ut, utraque parte æquanimiter audita, primum id amplectamini quod et facturi sitis : deinde, si quis ea quæ ad hunc modum decreta fuerint oppugnarit, eum vos improbum vobisque malevolum esse putetis. Nam si quis, cui dicendæ sententiæ potestas negata fuit, se quid animo concepisse melius putarit quam ea fuerint quæ vobis probentur, ei fuerit ignoscendum : at re a vobis audita et dijudicata, adhuc tamen impudenter se ingerere neque remissa pertinacia in plurium concedere sententiam, ea res habere suspicionem quandam aliam eamque non justam videatur. Ac ego, si vos in sententia permanere vidisem, tacendum in præsentia mihi censuisse. Sum enim ex eorum numero qui illa vobis prodesse persuasum habent. Quia vero quidam istorum sermonibus immutati videntur, eos neque

vera dicere neque utilia, id vos, sive sciatis, ut puto, sive etiam nesciatis, edocebo.

XXXIV.

Deceret, Athenienses, et æquum esset unumquemque tum suadere vobis quid ipsi optimum factu videretur, cum primum de rebus instituta esset deliberatio, ut ne duæ res quæ minime omnium sunt e Republica usuvenirent, altera, quod decreta vestra nullum extum habent, altera, quod mutandis subinde consiliis ipsi vœcordiæ vos damnatis. Quia vero quidam qui tunc tacuerunt nunc reprehendunt, pauca eis respondebo. Ego demiror quæ sit istorum in Repub. ratio, vel eam potius esse improbam reor. Qui si vos, cum inter consultandum admonere liceret, re deliberata accusare malunt, calumniatorum, non, ut præ se ferunt, benevolorum hominum, institutum sequuntur. Libet autem eos interrogare—neque vero velim ea quæ dicam jurgii esse occasionem—, cur, cum alia instituta Laconum laudent, id quod apud eos in primis admiratione dignum est non imitentur, sed ipsi contrarium potius agant? Ferunt enim, Athenienses, apud eos tantisper dum decernitur, quemvis pro animi sui sententia consulere: cum vero decretum fuerit, eadem laudare omnes, atque adjutores esse illos etiam qui refragati fuerant. Proinde cum multi non sint multos vincunt; et, quæ bello nequeunt, per occasiones occupant; neque eos ullum vel tempus effugit, vel ratio, quo minus suis commodis consulant eaque perficiant: nos vero nihil tale facimus, qui, istorum opera et eorum qui sunt istis similes, nos mutuo superantes, non hostes, tempus omne consumpsimus; iidem, si quis sublato bello pacem conciliet, eum odimus, sin tempore pacis bellum decernat, ei adversamur, sin quiescere nostrumque agere negotium jubeat aliquis, ne eum quidem recte dicere contendimus, calumniis denique vanaque spe referti sumus. Quid igitur, dicat aliquis, tu suades, quoniam ista reprehendis? Dicam equidem.

XXXV.

Primum, Athenienses, nulla fere mihi causa esse videtur cur vobis aliquis metuat, ne propterea quod suasores audire non vultis, deterius consulatis. Primum enim ea est fortunæ benignitas erga vos, ut multa citra vestram operam ita quemadmodum ipsi optaretis vobis conficiat: nam, si magistratum providentia spectetur, per pauca quidem bene habitura sint. Deinde vos præscitis, non modo quibus quisque verbis usurus sit, sed quibus etiam eorum quisque de causis concionetur; ac, ni odiosum esset, adderem etiam quanti. Veruntamen, si vestris deceptoribus quam minimum spatii reliqueritis, sapere vos putabo. Ego vero, si eadem quæ alii dicturus

essem, vos dicendo non esse obtundendos putarem: jam utilia quidem auditu, sed a vulgi exspectatione prorsus abhorrentia, me dicenda habere puto. Res autem paucis expedietur. Audita igitur ea et dijudicata, si vobis plaucerit, utimini. Et breve, Athenienses, et æquum sumam orationis exordium, neque omnia dicam. Ejus enim qui vos deceptos velit esse puto, considerare quo pacto vos auditores alliciat et negotii difficultatem contegat, ejus vero qui in animum induxit bona fide vobiscum agere hoc esse, primum ut dicat, quidnam cum huc prodiret senserit: ut, si eo auditio post reliquam ejus sententiam audire velitis, et doceat et exponat ea quæ optima ipsi visa fuerint, sin improbetis, ut quiescat, neque vel vobis sit molestus vel semetipsum frustra defatiget. Primum autem hoc dico. Milii Mitylenæorum populo facta esse videtur injuria, vestrique esse officii ut vos eorum vicem ulciscamini: quod quo pacto fieri debeat, dicere mihi posse videor, ubi et affectos eos esse injuria, et decere vos ut eam vindicetis, ostendero.

XXXVI.

Primum non adeo mirum est, Athenienses, consilium daturis non esse facile verba facere. Cum enim negotia de quibus deliberaandum est male se habent, arduas esse necesse est etiam susceptas de illis suasiones. Quod si ea propterea quod audire non vultis meliora fore spes est, hoc agi decet: sin isto pacto ut deterrima fiant admittere, ac tum et post longius tempus et difficilius de eis restituendis laborare, cum liceret hoc statu etiamnum ea corrigere et reddere meliora? Vos, dum ita vobiscum agitur, esse iracundos consentaneum est: irasci autem non sontibus sed absque discrimine omnibus, id vero neque consentaneum neque rectum est. Qui enim præteritarum rerum causa non fuerunt, et quo pacto reliqua emendanda sint dicere possunt, gratia vestra sunt potius quam odio digni: quos, si importune rejeceritis, segnes ad surendum reddetis. Quanquam autem non ignoro, sæpe non auctoribus, sed his qui iratis adversantur, mali quippiam accidere solere, tamen ad dandum consilium surrexi. Confido enim, Athenienses, me nullius mali causam repertum iri, et meliora vobis quam alios suadere posse.

XXXVII.

Ea quæ acciderunt, Athenienses, talia sunt, qualia omnes audi-
vistis. Neque vero vos consternatis animis esse decet, præsertim
cum sciatis desperationem neque rebus ipsis commodare et vobis
esse indignam: sed vobis ipsis ea corrigenda putare, id et officii
esse vestri et vestra dignum auctoritate videbitur. Convenit autem

ut hi, qui tales sunt quales vos perhiberi vultis, in rebus asperis atque periculis aliis prætent. Ego vero maxime vellem hæc civitati nostræ non accidisse, neque vos ulla clade affici: sin autem ita fieri oportuit, et hæc fato quodam destinata fuerunt, expedire opinor, ut ista hoc modo quo acciderunt evenirent. Fortuna enim celeres habet mutationes et modo hos modo illos fovet aut affligit: quæ vero ignavia virorum fiunt, ea demum constantes clades pariunt. Ac ne victores quidem ignorare opinor, si vos velitis atque hoc casu excitemini, nondum satis esse exploratum utrum eventus ille felicitati sit an contra calamitati adscribendus: sin fortuna secundior inflavit eorum animos ut insolecant, id quoque jam e re vestra fuerit. Nam quo securiores crunt, eo facilius opprimentur.

XXXVIII.

Vos mea sententia, Athenienses, non de ea tantum quam putatis civitate, sed de fœderatis civitatibus omnibus deliberatis. Nam prout de hac statueritis, probabile est fore ut reliqui, in hoc exemplum intuentes, eodem modo actum iri secum existiment. Quare cum propter summam utilitatem tum gloriæ vestræ causa danda est opera, ut simul et utiliter et juste deliberasse videamini. Ac auctoritas hujusmodi rerum penes omnes duces est: quorum plerique cum e vestro portu solvunt, non vestros amicos, quos ab omni ævo corundem periculorum socios accepere, sibi colendos putant, sed peculiares quisque amicos sibi conciliat, et suos assentatores recipi in vestram amicitiam oportere censem; cum contra omnino fieri debeat. Nec enim inimiciores, vel quos necesse sit vobis magis esse inimicos hisce, reperiatis. Quo enim pluribus in rebus vos decipiunt suasque cupiditates per injuriam explent, co se pœnas mereri graviores censem. Nemo autem amicus ei esse potest, a quo malum aliquod exspectat. Atque accusatio fortasse non est hujus temporis: quæ vero vobis profutura puto, ea suadebo.

XXXIX.

Neminem, Athenienses, omnium vestrum ita opinor malevolum esse Reipub., ut non graviter molesteque ferat ea quæ facta sunt. Quod si quiritando quicquam horum infectum fieri posset, id ego vobis omnibus suaderem: sed quia illa mutari nullo modo possunt, sed reliqua providenda sunt, ut nè in eandem fraudem incidatis, quemadmodum, Athenienses, ob ea quæ nunc facta sunt indignamini, sic opera danda est ne cadem denuo eveniant, nec existandum ullum suasorem talibus verbis esse instructum, qui rempublicam tueri possit, nemine vestrum suam operam conferente. Nam is quidem non orator, sed deus fuerit. Ac fons horum malorum hinc oritur, quod oratorum quidam ad gratiam pusillo tempore

duraturam hic concionantur, cum dicunt neque tributa conferenda neque militandum esse, sed omnia sua sponte confectum iri. Et hæc ab alio aliquo redargui oportebat, idque ea ratione fieri quæ esset e Republica: mihi autem videtur fortuna nunc etiam quodammodo melius mereri de nobis quam magistratus. Nam quod omnia fecre pereunt, id eorum quibus negotia mandata sunt socordiæ et improbitatis signum esse debet: quod vero non olim omnia perierunt, vestræ fortunæ beneficium equidem esse judico. Dum igitur fortuna cessat et inimicos extollit, reliquarum rerum curam suscipite: quod nisi feceritis, providete, ne vos simul et omnes magistratus accusetis, et res vestræ, o Athenienses, inclinentur. Nec enim fieri potest, ut eæ sine magna aliqua clade consistant, cum nemo sit qui eas tueatur.

XL.

Nihil absurdum est, Athenienses, eos qui semper et assidue suas in Republica rationes ad paucorum dominatum refrunt, in eo nunc etiam esse deprehendi: sed illud potius jure quispiam demiretur, vos qui ea sciatis sæpe libentius illis auscultare, quam vestris defensoribus. Etsi autem fortassis ut privatim facile non est omnia recte agere; sic neque publice: non tamen maximi momenti negotia sunt negligenda. Sunt autem cætera minora omnia: cum vero de statu civitatis, de cædibus, de reipublicæ popularis eversione declamitantes quosdam auditis, quis vos non mente captos arbitretur? Nam cæteri quidem mortales omnes, aliorum exemplis admoniti, cautores fiunt: vos autem auditis etiam aliorum casibus formidare non potestis, sed quæ privatim stultitiae tribuatis si admissa sint, ea vos publice admissuri mihi videmini, nec nisi accepto malo fore prudentiores.

XLI.

Nemo unquam fortasse vestrum quæsivit, Athenienses, quam obrem calamitosi rectius quam fortunati suis rebus consulant. Ejus autem rei alia causa nulla est, nisi quod ita fit, ut hi neque formident quicquam, neque si quispiam pericula commemoret, ea ad se pertinere putent: illos recens adhuc erratorum memoria, quando in clades inciderunt, prudentes ad cætera et moderatos efficit. Jam proborum hominum officium est, cum fortuna utuntur secundissima, tum summum habere modestiæ studium. Neque enim quicquam tam formidabile est quin vigilantia præcaveri, neque ullum malum est quin oscitantibus evenire, possit. Hæc non ideo dico, ut vos frustra perterrefaciam, sed ut ne successibus istis elati, ea quæ incidere possent, nisi caute res administraretis, pericula, si vobis exposita fuerint, contemnatis, et sine ullo malo;

quemadmodum eos decet, qui se nemine posteriores perhiberi volunt, sobrie prudenterque caveatis.

XLII.

Non idem tempus esse existimo, Athenienses, et gratificandi vobis et ea quæ mihi optima factu videantur consulendi. Sæpe enim video si quis præter animi sententiam in aliqua re gratificetur, id majores peperisse inimicitias, quam si statim ab initio adversatus esset. Quod si omnes in eadem sententia essetis, neque si mihi officium facere videremini prodirem, supervacaneum esse existimans his, qui sua sponte quæ oporteret facerent, suadere, neque etiam si res aliter se haberet. Magis enim meipsum qui unus sim ignorare quæ optima sint, quam vos omnes, crederem. Quia vero video vestrum alios assentiri mihi, dissentire ab aliis, operam dabo ut his adstipulatoribus cæteros in meam sententiam pertraham. Quod si non auscultandum putabitis, non recte facietis: sin audire cum silentio non gravemini, alterutrum ex eo commodum percipietis. Aut enim, si quid utile suadere videbimus, id amplectemini, aut in ea quam probatis sententia firmius permanebitis. Nam si eas rationes, propter quas nostra opinione nonnihil erratis, nullius esse momenti apparebit, quæ nunc statuitis nixi rationibus eligetis.

XLIII.

Vellem, Athenienses, quantam iste approbationem sua oratione consecutus est, tantam eum laudem in ipsis rebus gerendis adipisci. Nam neque ei, deos testor, male volo, et vobis bene cupio. Sed videte, Athenienses, ne sit aliud orationem habere commodam, aliud negotia deligere profutura: neve illud oratoris sit, hoc hominis cordati officium. Vos igitur plebeii, maximique natu in primis, dicendi facultate summis oratoribus pares esse non debetis—nam id eorum qui sunt exercitati munus est: sed prudenter vel æquare eos, vel potius superare—nam experientia multarumque rerum usus eam ingenerant. Ne igitur, Athenienses, committite ut in præsentia hoc ignorasse videamini, verborum fortitudinem atque audaciam, nisi justus apparatus et vires accesserint, ut jucundas esse auditu, sic ad agendum periculosas. Nam illud statim, ‘prohibendas esse grassatorum injurias,’ quam sit verbum præclarum auditis. At in primis rem ipsam spectate. Vincendi sunt hostes pugnando ab iis qui hujus verbi splendorem adepturi sint. Nam dictu quidem, Athenienses, facilia sunt omnia, factu vero non item omnia: nec enim pari labore et sudore ad dicendum et ad agendum pervenitur. Ego vero vos natura Thebanis nihilo esse puto inferiores—insanirem etenim—sed minus instructos. Nunc igitur in primis parare nos debemus, quando dudum

Martis aleam experiri neglexistis. Nec enim in universum contradico, sed de modo aggressionis aduersor.

XLIV.

Quanto legati studio civitatem nostram accusarint, omnes vindicatis, Athenienses. Una enim re excepta nescio qua, cætera omnia in vos congerere sunt conati. Ac si criminationes eorum veræ essent, gratiam illis jure haberetis, quod vos apud vosmetipsos potius quam apud alios ita accusasset: sed cum sic oratione sint usi ut veritatem perverterint, ac tum ea propter quæ laudes vobis maximæ debentur præterierint, tum alia crimina falsa quæque non cadunt in vos objecerint, improbi merito, postquam hæc fecisse convincentur, erunt judicandi. Nam si opinionem eloquentiæ laudi veritatis et humanitatis prætulerunt, ne ipsi quidem, ut appareat, de eo laborant ut boni viri habeantur. Difficile est pro vobis apud vos dicturum surgere, quemadmodum facile contra vos. Ego enim, mehercule, nullos homines alios, vera sua dum admonentur probra, tam æquis animis audire puto, quam vos auditis ea convicia, quæ falso in vos jacintur. Quin istos etiam non existimo tam confidenter falsa fuisse dicturos, nisi compertum hoc haberent, ac perspicuum esset, vos omnium esse paratissimos ad id audiendum, quod quivis in vos dixerit. Quod si facilitatis hujus pœnæ dandæ sunt, non aliæ fuerint quam ut crimina quæ non cadunt in nostram civitatem audiatis. Sin veritatis, ut est æquum, suscipienda est defensio, eam ob causam huc ego prodii, non quod me pro dignitate rerum a vobis gestarum posse dicere, sed quod actiones, quibuscumque verbis explicitur, justas visum iri confido. Velle tamen vos, Athenienses, æquos esse in re vestra auditores, nec, quia vestram approbationem orationes impetrarunt, de eis vos rixari. Non enim quisquam id vitio vestro tribuet, si ab homine sitis eloquente circumventi: sed eorum qui in id operam dederunt, ut vos in fraudem illicherent.

XLV.

Opinor omnes vos, Athenienses, confessuros ea velle fieri vos, quæ quisque Reipub. putetis maxime profutura. Fit autem ut, quod factu sit optimum, non eodem modo ab omnibus statuatur. Nec enim vestrum alii sententias esse dicendas, alii non dicendas, contendenter. Apud eos igitur dicturo qui id prodesse putant nihil opus est verbis—cum jam eis persuasum sit—: ad eos autem qui contrarium expedire censem pauca dicam. Si qui igitur audire nolunt, hi ut rem cognoscant nihil magis fieri potest, quam si ipsi et tacerent et nemo orationem haberet: sin audieritis, alterutro bono frustrari non potestis, quin aut persuasi eademque sen-

tientes concordius deliberetis—quo ad præsentia negotia nihil cadere queat optatus—, aut, si suasor suam sententiam probare haud poterit, decretis vestris constantius innitamini. Præterea non bona subest suspicio, venire in concionem, quasi ex his quæ dicentur optima sint eligenda : tamen ostendere, priusquam orationum delectus sit habitus, vosmetipsos aliquid persuasum habere, idque tam pertinaciter, ut præter id ne audire quidem quicquam velitis.

XLVI.

Fortassis importunus, Athenienses, quibusdam vestrum esse videor, qui sæpe et quidem iisdem perpetuo de rebus verba faciam: verum, si rem recte consideretis, non me in culpa esse videbitis, sed eos qui vestris decretis non obtemperant. Qui si primum fecissent quæ vos jussistis, nihil secundo nos verba facere fuisset opus, neque si secundo, denuo: nunc, quo sæpius vos ea quæ fieri debent promulgastis, eo mihi videntur illi minus esse parati ad faciendum. Ac prius ignorabam equidem quorsum dictum illud, magistratus virum ostendit, pertineret: nunc vero id alios etiam posse docere videor. Magistratus enim, aut certe, ne omnes dicam, quidam illorum, ut vestra decreta nec minimi faciunt, sic id unum spectant unde accipient. Quod si mihi esset quod darem, jure ob idipsum me quispiam reprehenderet, quod obtundere vos parvi sumptus gratia non dubitarem: nunc id fieri non potest, id quod nec ipsi nesciunt. Si vero pro iis quæ vobis præstanta sunt, me sibi auctarium additum putant, nugas agunt, ac ea fortasse volunt, quæ etiam exspectant: ego vero ea non faciam, sed siquidem dederint, navim protraham, officioque fungar, sin minus, eos qui sunt in culpa vobis indicabo.

XLVII.

Nemo sanus negabit opinor, Athenienses, maxime esse e Repub. ut ne quid initio noxiū agatur: sin minus, ut statim præsto sint qui intercedant. Atque huc illud accedere debet, ut vos et audire et doceri velitis. Nihil enim profuerit esse qui optima suadeat, si qui obtemperet habeat neminem. Quin illud etiam non inutile videri potest, esse aliquem qui, si quis vobis vel per occasionem vel propter diei tempus vel ob quamvis causam aliam fucum fecerit, ea, quocunque tempore et vestri esse juris et audire volueritis, rursus examinet. Ut, si talia videantur, qualia qui tum persuaserant esse asseruerunt, ea promptius agatis, ut comprobata: sin forte non ejusmodi reperiantur, antequam longius procedatur, desinatis. Grave enim fucrit, si optimis frustrati pessima agere necessitate beatatis, aut si deinde nec e re nata liceat mutare consilium. Alios

equidem omnes, si quid a se præclare factum confidant, id unum, rationem se reddere paratos, jactare perpetuo video: at isti contra id reprehendunt, quod illas res in quibus errasti nunc prorogare vultis, atque imposturam valentiorem oportere esse existimant ca quæ mora intercedente fit probatione. Quid autem illi propositum habeant, vestrum etiam plerique fortasse non ignorant: sed quoniam dicendæ sententiae potestas data est, ea quemque proferre decet, per quæ negotia hæc quam rectissime administrentur.

XLVIII.

Quod profuturum est universæ civitati, id ut et dicatur ab omnibus precor, Athenienses, et a vobis decernatur. Ego quidem ea dicam, quæ utilissima esse vobis mihi persuasi, tantum precatus a vobis, ne vel belli suscipiendi auctores, propterea fortes, vel illorum adversarios, ignavos eadem de causa existimetis. Neque enim eadem est, Athenienses, probandarum et orationum et actionum ratio: nunc enim prudenter deliberare vos decet, tum vero, si forte visum fuerit, edere fortia facinora. Ac vestra quidem alacritas quantivis pretii ac talis adest, qualem exoptarit is qui reipublicæ consultum velit: quæ quanto vehementior est atque præclarior, tanto magis providendum, ut ea opportune utamini. Nullius enim rei susceptio laudatur, nisi finem etiam utilem sortiatur et honestum. Ego vero, Athenienses, apud vos e viro me audisse memini, qui nec prudentia carere nec imperitus rei militaris habetur, Iphicratem dico, qui sic assereret, adeundum esse duci discrimen belli, non ut vel hæc vel illa evenirent, sed ut hæc: his enim verbis utebatur. Facile autem intelligebatur, hoc eum velle, ut bene pugnaret. Suscepta igitur expeditione, is, in quem collata est imperii auctoritas, suo vos arbitratu dicit: nunc vero quisque vestrum belli duces estis. Itaque hujusmodi consilia vobis incunda sunt, quæ ab omni parte conducant Reipublicæ, neque committendum ut propter incertas spes quicquam isti felicitati periculosum admittatis.

XLIX.

Neminem fore putabam, Athenienses, qui actis suis fretus cuiquam irasperetur in ea inquirenti. Quo enim illa sæpius explorantur, eo majore necesse est auctores illorum florere gloria. Verum ipsi mihi palam facere videntur, se res administrasse non ex utilitate Reipublicæ. Qui igitur, cum de integro ratio consiliorum actorumque reddenda est, sua facinora deprehensum iri prævident, tergiversantur et nos indigna facere dicunt. Atqui, si eos qui in acta vestra inquirunt iniquitatis accusatis, quid tandem nos de vobis dicemus qui nos ipsi decepistis?

L.

Æquum esset, Athenienses, vos non minus illis qui vos decipere voluerunt, quam iis qui potuerunt, irasci. Nam quod in ipsis fuit fecerunt, eoque vos induxerunt: quod vero irriti eorum conatus fuerunt, fortuna in causa est, et major nunc prudentia vestra quam tum cum ab istis traheremini. Ego vero tantum abesse puto nostram urbem, ut de iis a quibus læsa est pœnam sumat, ut bene nobiscum agi videatur, si cavere possitis, ne quam ipsi cladem accipiatis: tot imposturis, tot præstigiis, tot denique obsequiis oppugnamin. Ac istorum quidem improbitati accusandæ tempus hoc non opportunum esse video: volo autem his de rebus propter quas surrexi, quæ utilia putem, dicere.

LI.

Convicia et tumultus, Athenienses, quæ perpetuo nocere solent, nunc etiam ab iisdem orta sunt, a quibus semper: non autem tam isti reprehendendi sunt—fortassis enim ad ista facienda iracundia et æmulatione adducuntur, quodque omnium maximum est, privata utilitate—, quam vos, Athenienses, qui, publicis magnisque de rebus convocati, privatis conviciis aures præbentes assidetis, neque hoc cum vestris animis cogitare potestis, omnium oratorum inter ipsos convicia quæ extra judicium facta sunt, tametsi de illis alios alii convicerint, eo recidere denique ut vos pœnas detis. Præter enim fortasse paucos, ne omnes dicam, nullus eorum alii conviciatur, ut ullæ res vestræ corrigantur—plurimum certe abest—, sed facit eo quisque, ut ea quæ facere quendam asserunt, tametsi summum scelus committendum sit, id ipse majore cum otio perpetret. Hæc ita se habere, ne mihi credite, sed ipsi paulisper considerate. Ecquis unquam surrexit qui diceret, *vestras opes de peculatorus prodii, Athenienscs, et non vestra gratia?* Nemo sic dicit, sed pro vobis, et propter vos, et tales causas afferunt. Agite vero considerate, Athenienses, qui tandem fiat, ut summa rerum vestrarum, quibus omnes patrocinantur, loco nihilo meliore sit quam prius: isti vero qui pro vobis omnia, pro semetipsis nihil, dixeré, divites e mendicis facti sint? Quia se, Athenienses, vos amare jactant, cum non vos, sed semetipsos, ament. Id quidem ut rideretis, ut applauderetis, interdum etiam ut speraretis, vobis impertierunt: sed adipisci constanterque Republicæ tradere boni quicquam nec vellent quidem. Quo enim die immodica ista infirmitate liberati fueritis, istos nec intueri porro sustinebitis. Nunc vero drachma, chœ, quatuor obolis, vclut ægrotantem populum lactant, ac omnino, Athenienses, quæ illi vobis

præbent, simillima sunt cibis quos medici ægrotis dant: qui ut nec vires augent nec emori sinunt, sic et hæc nec desperare ma-jusque quippiam instituere sinunt, nec satis ipsa esse possunt.

LII.

Et æquum, Athenienses, et honestum et præclarum est, quod vos facere soletis, ejus nobis etiam esse studium, divinæ res uti pie ac religiose curentur. Ac nostra quidem curatio vobis opportune cecidit,—nam et Jovi Servatori sacrificavimus et Minervæ et Victoriæ, eaque sacra et pulcra et salutaria vobis exstiterunt: sacrificavimus item Suadelæ et Matri deorum et Apollini, quibus et ipsis litavimus—: fuerunt autem vobis etiam reliquis divis facta sacra et tuta et certa et præclara et salutaria. Accipite igitur a diis ea bona quæ largiuntur.

LIII.

Fuit quoddam, ut conjicio, tempus apud vos, Athenienses, quo populus adigebat, quemcunque vidisset hominem modestum et bonum, ad Rempublicam administrandam ac fungendum magistratu, non eorum qui id facere vellent penuria—nam cum in aliis rebus omnibus nostram urbem fortunatam judicem, unicam hanc ei felicitatem semper defuisse puto, ut iis deficeretur qui Repub. frui vellent—, sed erat id inventum populi præclarum, Athenienses, utileque Reipublicæ. Nam et hi veluti jugales e bonis et justis viris adjuncti cæteris eos verecundiores efficiebant; et viri e vestro numero boni quidem illi justeque magistratu fungentes, sed iidem nec impudenter ingerere sese nec ambire suffragia edocti, ab honoribus non repellebantur. Nunc prorsus eodem modo quo sacerdotes creatis, Athenienses, sic magistratus etiam. Et miramini, istum vobis esse beatum istumque continenter vobis surripere multa, aliosque vestrum obambulare felicitatem eorum prædicantes. Nam in eo peculiari estis ingenio ut, quæ vestræ prærogativæ sunt, eas libenter abjiciatis, deque illis feratis leges, ut si quis præfectus urbis fuerit bis, et quæ sunt ejus generis alia: at eosdem cum imperio esse perpetuo sinatis. Ac quod ad eos quidem attinet qui versantur in rebus gerendis excusationem fortassis habet: at tolerare cæteros qui, cum locum immunem occupent, ipsi prorsus nulla re occupantur, id extremæ stultitiæ est. Quin et e vobis ipsis, estis autem haud pauci, aliqui sunt adducendi. Nam si tanquam statram appenderitis, præponderabit ipse qui erit dignus in posterum magistratu.

LIV.

Et honestum et decorum esse mihi videtur, Athenienses, ut qui

se utile aliquid reperisse putat ad dicendum surgat: sed cogere invitatos ad audiendum, id ego prorsus esse turpe existimo. Spero autem, si mihi hodie auscultabitis, vos et id quod optimum est rectius electuros, et suggestum concendentium sermones facturos esse breves. Quid igitur suadeo? Primum, Athenienses, ut de his ipsis quae in deliberatione sunt prodeuntem quemque dicere jubatis. Multa enim alia complecti oratione possis eaque dictu jucunda, si praesertim ut istorum quidam dicendo valeas. Quod si propter audienda verba convenistis, ea tum audiri tum dici debent: sin de rerum delectu deliberaturi, moneo vos ut ipsas res maxime nudas dijudicetis, repudiatis verbis omnibus quae seducere possunt. Hoc igitur unum est quod dico: alterum illud, quod fortasse quibusdam admirabile videatur, ut, si orationes minui velitis, cum silentio auscultetis. Nam de eo quidem quod aut haec aut illa conducant, aut quae quibus in Republica preferenda sint, neque verba multa suppetunt, nisi quis frustra nugari velit, neque quisquam eadem inculcare denuo ausit: justum autem esse dicere ut aliquis audiatur, et ad tumultum respondere, et sermonem ex sermone serere, nemo est quin possit. Tumultuando igitur non liberamini orationibus, sed et supervacanea quedam audire necesse habetis. Mea vero sententia de his rebus de quibus deliberatis haec est.

D E M O S T H E N I S
E P I S T O L A E.

1871

I.

DE CONCORDIA.

OMNIS et dicti et facti gravioris principia ducenda mihi videntur a diis immortalibus. Precor autem deos deasque omnes, ut, quod Atheniensi populo utilissimum est et populo bene cupientibus, id et nunc et posthac mihi veniat in mentem scribere, et Atheniensium concioni decernere. Hæc precatus, cum spe, mihi divinitus aliquid bonum venisse in mentem, sic scribo.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

Quod de meo in patriam reditu semper omnibus vobis deliberaudi copiam fore puto, nunc de eo nihil scripsi: cum vero videam hoc nunc esse tempus quo vos, si recta consilia sequamini, simul et gloriam et salutem et libertatem adipisci possitis non modo vobis sed et reliquis universis Græcis, sin erraveritis deceptive fueritis, non facile posse eandem occasionem recuperari, duxi meam quam de hisce haberem opinionem in medium esse proferendam. Difficile quidem est per literas pertexere consilium: multa enim vos ante rem cognitam soletis interpellare. Ac dicenti facile est, quid velitis animadvertere, quodque ignoratur recte explicare: libello autem nullum tale adjumentum suppetit contra tumultuantes. Si tamen audire voletis cum silentio et exspectabitis dum rem omnem cognoveritis, spero diū propitiū, quanquam breves hæ literæ sunt, fore ut appareat me et optimo studio ea conari pro vobis quæ deceant et quæ vobis expediant perspicue declaraturum. Neque vero eo consilio hasce ad vos dedi literas, quasi vobis desint oratores, aliive qui impræmeditati quicquid in mentem inciderit dicant: sed, quæ per experientiam et ut in gerendis rebus versatus habeo cognita, iis expositis, dicendi in publico studiosis uberem eorum quæ esse putem e Repub. materiam suppeditare, vulgo optimorum consiliorum delectum facilem reddere volui. Ac eur hanc epistolam scribere instituerim, hæc sunt. Primum omnium, Athenienses, vos concordes esse propter communem civitatis utilitatem oportet ortasque in prioribus conventibus missas facere dissensiones, deinde consentientibus animis omnes alacriterque quicquid decreatum fuerit adjuvare: nihil enim constanter simpliciterque agere non modo est indignum vobis et animi parum generosi, sed summo etiam cum periculo conjunctum. Jam nec illud vobis ignorandum est ea, quæ per sè ad statum rerum vestrarum tuendum satis non sunt, si ad reliquias copias adjungantur, effectura, ut multo facilius

omnia consequamini. Quæ igitur illa sunt? Neque civitati ulli, neque ulla viris qui cujusque urbis vetera instituta defenderunt, irascendum est, sed delenda potius ex animis memoria injuriarum. Nam istiusmodi metus efficit, ut qui se fœderatis, in manifesto periculo versantibus, necessarios esse sciunt, opem iisdem promptissime ferant: qui metu isto liberati omnes fient mitiores. In quo non parva est utilitas. Ac oppidatim proclamare talia stultum fuerit, imo ne fieri quidem id potest: sed prout vos cum civibus vestris egisse viderint, ita efficietis ut quisque cum cæteris etiam actum iri exspectet. Proinde censeo neque civitatem, neque ducem, neque oratorem, neque plebeium quemquam eorum, qui antehac eum defendisse statum qui tum fuit visi sunt, a quoquam ullo modo vel taxandum vel objurgandum: sed concedendum esse hoc, omnes cives ea egisse quæ oportuerit, postquam benignitate deum conservata republica vobis licitum est de integro, vestro arbitratu, deliberare, et cogitandum, quemadmodum in navi, cum hi velificatione, illi remigatione utendum censem, dici ab utrisque omnia propter salutem tuendam, id vero prælatum esse consilium quod cum deorum voluntate congruerit. Quod si de præteritis ad hunc modum statueritis, et fidem invenietis apud omnes, et officio bonorum virorum fungemini, et res vestras non parum erigetis, et eos qui in urbibus adversati vobis fuerunt eo redigetis, ut aut consilia mutent omnes, aut omnino aliqui esse in culpa ipsi videantur. Quæ igitur e Republica sunt, ea magnis animis et civiliter administrare, et privatuarum rerum recordamini. Atque hæc ego moneo, non eandem humanitatem expertus apud nonnullos, sed per injuriam et seditionem in aliorum gratiam quasi propinatus. Verum nec privatæ explendæ iracundiæ gratia reipublicæ commodis nocendum puto, neque ullam privati odii partem publicis utilitatibus admisCEO: sed ad quæc alias adhortor, ea mihi primo esse facienda censeo. Quæ igitur præparanda, quæque cavenda sunt, et quibus agendis (quantum quidem humano consilio provideri potest) præsperrimo uti successu posse videamini, fere a me est explicatum: quotidianis autem negotiis præesse, et casibus subitis recte uti, et cujusque rei intelligere occasiones, et judicare, quæ res benignitate verborum obtineri possint, quæ item vi extorquendæ sint, ducum officium est qui rebus administrandis sunt præfecti. Qua etiam de causa durissima est dicendæ in concilio sententiæ provincia: nam recte consulta et magno studio laboreque probata sæpe proterea corrumpuntur, quod ii qui ea in mandatis habent aliter sequuntur. Nunc tamen bene successura esse omnia spero. Nam si quis Alexandrum eo fortunatum putat, quod ei prospere successerunt omnia, is illud reputet, eum agendo et laborando et audendo, non desidendo, fuisse fortunatum. Posteaquam igitur nunc mor-

tuus est, fortuna quærit aliquos quibus adsit. Ii vos esse debetis; et duces per quos geri necesse est quam benevolentissimos copiis præficere: quodque unusquisque vestrum facere poterit et volet, id ad seipsum dicat et promittat, caveatque ne fallat, neque tergiversandi gratia sibi data esse verba, non persuasum esse, causetur. Quicquid enim vos neglexritis, id qui resarciat neminem invenietis: neque idem periculum est in iis rebus, quas tum cum voletis agere licebit, consilia sæpe mutare, et in iis propter quas bellum erit gerendum, sed in hujusmodi rebus sententiæ mutatio non est aliud quam consilii et instituti clades. Ne vero tale quippam committite, sed, quicquid acturi estis, id generosis et paratis animis decernite; et ubi semel decreveritis, ductu et auspiciis tum Dodonæi Jovis tum reliquorum deorum, qui multa vobis et præclara et bona et vera oracula reddiderunt, illorumque ope implorata, votisque pro victoria iis omnibus nuncupatis, adjutrice fortuna propitia libertatem Græcis restituite. Valete.

II.

DE SUO REDITU.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

EXISTIMABAM pro meis in Rempublicam meritis, me non modo insontem non ita tractatum iri, sed mediocrum etiam peccatorum, si quam forte culpam contraxissem, veniam impetraturum. Postquam vero ita accidit, dum videbam a vobis, nullis criminibus per senatum aperte demonstratis et probatis, ex istorum arcanis consiliis condemnari omnes, non minus vos de vestro jure concedere quam me fraudari existimans, ferendum æquo esse animo putavi: nam iis assentiri juratos judices, quæ senatus sine ulla probatione affirmarit, de reipublicæ jure concedere fuit. Quia vero jam pro vestra prudentia eum principatum, quem in senatu quidam sibi parare conabantur, animadvertisistis, et in judicandis causis argumenta spectastis, istorumque arcana digna esse reprehensione deprehendistis, decere censeo, si quidem id vestra etiam voluntas feret, me quoque ita restitui in integrum, ut ii restituti sunt qui in simili crimine fuerunt, ne solus ego falsum ob crimen patria fortunisque, et conjunctissimorum consuetudine caream. Jure autem vobis, Athe-

nienses, salus mea curæ fuerit, cum quod nulla vobis a me ortæ injuria ita sum tractatus, tum propter vestram apud exterros existimationem. Neque enim putetis, si nemo vobis in memoriam redigit ea tempora easque occasiones, quibus ego maximas utilitates attuli Reipublicæ, reliquos etiam Græcos ignorare aut oblitos esse rerum a me pro vobis gestarum, quas ego nunc duabus de causis scribere vereor singulatim: tum quod invidiam reformido contra quam in veritate orationis præsidii nihil est, tum quod multa et indigna illis rebus propter reliquorum Græcorum ignaviam nunc tolerare cogimur. Summatim vero illiusmodi ea sunt, quæ pro vobis ego suscepī, ut et omnibus felicitas, virtusque vestra admirationi esset, et ego summorum a vobis præmiorum spem propositam haberem. Cum vero inevitabilis illa quidem, sed iniqua fortuna, non ex æquitate, sed pro sua libidine, susceptum pro libertate Græcorum, quod vos gessistis, bellum dijudicasset, nec rclquo tempore meam erga vos benevolentiam abjeci, nec eam ulla re mutavi, non gratia, non spe, non divitiis, non potentia, non securitate. Quanquam videbam omnia hæc iis contingere, qui contra vos rempublicam gerere vellent. Quod vero in multis et magnis rebus, quibus mihi jure gloriari licet, maximum existimari, non dubitabo scribere ad vos, cum Philippus inter eos qui ab omni ævo memorantur solertissimus fuerit ad hominum voluntates comitate et affabilitate sic sibi devinciendas, ut ad nutum paratos haberet, et largitionibus omnes quorum aliqua esset in Græcis urbibus auctoritas corrumpendos, me solum ab horum neutro esse victimum: id quod etiam nunc vobis gloriosum est: quanquam sæpe congressus et collocutus sim cum Philippo iis de rebus propter quas vos me legatum mittebatis, et magnam pecuniam quam ille offerebat repudiasse, quarum rerum consciï multi etiam hodie vivunt. Quos quid de vobis judicare consentaneum sit, cogitate: quod enim talem ita tractastis, id meæ quidem calamitati scilicet tribuetur, sceleri nequaquam, vestræ autem iniquitati, quam infamiam consilii mutatione delebitis. Jam ea quæ dixi omnia minora puto continente et quotidiana reipublicæ administratione, in qua ita me gessi, ut neque ulli iracundiæ, neque simultatibus, neque injusto quæstui, vel publico vel privato, servierim, neque ullum unquam vel civem vel hospitem sim calumniatus, neque contra vos privatim facultate mea usus, sed, si quid opus esset, publice pro vobis in procinctu stcterim. Quod cum natu grandiores norint, æquum est ut junioribus concionem adversus Pythonem Byzantium habitam indicetis, cum adductis Græcorum legatis affuit, injurias nostræ urbis ostensurus: et contrarium ejus quod sperarat expertus recessit, ubi ego solus oratorum illius temporis vestram causam defendi. Omitto quot legationes pro vobis obierim, in quibus om-

nibus nullum unquam vel minimum detrimentum cepistis. Ea enim, o Athenienses, in Republica ratio mea fuit, non ut vos alios alii vinceretis aut ut civitatem contra semetipsam acuerem, sed ad ea vos incitavi, unde gloriam et magnanimitatis opinionem relaturos vos arbitrarer. Quæ cum omnes, tum vero adolescentes, admirari debent, nec eum requirere solum qui captator auræ popularis vulgique cupiditatum administer omnium in republica sit—talium enim nulla unquam penuria futura est—, sed eum etiam qui bono studio vestra errata reprehendat. Quin et alia multa prætereo, propter quæ alius, qui nullam aliam navasset operam, jure suæ salutis haberi rationem postularet, ut ædilitia munera, ut triremium instructiones, ut largitiones pecuniarias, omnibus necessariis temporibus: quibus me non modo primum succurrisse constabit, sed alios etiam esse adhortatum. Quorum singula cogitate, Athenienses, quam ea calamitate indigna sint quæ me oppressit. Cum vero plurimis nunc in malis verser, quid primum deplorem dubito. Utrum ætatem, qua periculoso exsilium experiri præter consuetudinem et dignitatem cogor? an ignominiam, quod nullius criminis convictus et reus peractus damnatus perii? an spem, qua frustratus, hæreditatem eorum malorum, quæ aliis debebantur, cepi? Neque enim ego vel Harpali amicus fui, vel propter priora mea acta in republica pœnas dare debedo, cum et ea quorum accusabar probata non sint: et ex omnibus de Harpalo factis decretis sola ea quæ ego egi civitatem omni crimine liberarint. Ex quibus omnibus perspicitur, me temporibus circumventum, non scelerum datum, injuste eam qua in omnes reos uti soletis iracundiam experiri, propterea quod ego primus in judicium veni. Nam quid ego æqui pro mea defensione non attuli, ex iis quæ postea cæteros reos conservarunt? aut quid amplius vel nunc dicere quisquam possit? Nemo certe: nam quæ facta non sunt, ea facta ut sint efficere nemo potest. Sed de his quanquam scribere multa possem, desino, quod innocentiae conscientiam experientia me docuit ad juvandum parvas habere vires, ad augendum autem animi dolorem omnium esse acerbissimam. Postquam vero pro vestra sapientia reis omnibus reconciliati estis, et mihi reconciliamini, o Athenienses: neque enim, testor deos et heroes, ulli vestrum injuriam feci,—et mihi omnis anteacta vita mea testimonio est, cui merito plus fidei haberetur a vobis quam isti crimini, quod nunc in me conjectum illud quidem est, sed probatum et demonstratum non est—, neque me pessimum aut minimæ fidei esse inter eos quos calumnia impetiit deprehendetis. Jam ob discessum meum jure irasci mihi non potestis: neque enim ideo abii, quod aut de vobis desperarem aut uspiam alio respicerem, sed primum carceris ignominiam animo ferebam graviter, deinde propter

ætatem afflictionem illam corporis perpeti non poteram. Denique et vos non nolle putabam illam contumeliam me effugere, quæ neque vos quicquam juvabat et me perdebat. Me autem vestri neque cuiusquam alterius fuisse studiosum, multis indicis deprehendetis. Nam et in urbem me contuli, non in qua me splendidissime victorum confiderem, sed quo etiam majores nostros, Persici belli discriminibus circumventos, venisse sciebam, et quam vobis esse benevolentissimam intelligebam. Est autem ea Trœzeniorum, cui precor ut dii potissimum immortales tum ob benevolentiam erga vos tum ob collata in me benefcia bene velint omnes, deinde ut et ego a vobis conservatus gratiam referre possim. In qua cum quidam gratificandi mihi studio, vos ob istum in me admissum errorem reprehendere conarentur, ego summa qua me decuit æquitate vos defendi. Eamque ob causam in primis factum esse arbitror, ut mihi honos publice haberetur. Cum vero hominum benevolentiam insignem quidem illam, sed vires in præsentia esse minores, cernerem, digressus in Neptuni templum in Calauria me contuli, non modo quod propter numinis religionem me ibi tutiorem fore spero—nec enim id exploratum habeo: nam quæ res in aliorum potestate sitæ sunt, eæ spem tenuem et obscuram periclitanti suppeditant—, sed eo etiam quod hinc quotidie patriam intueor, in quam tantæ mihi sum benevolentiae conscius, quantam utinam a vobis consequar. Ne igitur, Athenienses, diutius etiam his malis angas, ea mihi decernitote, quæ jam aliis quoque nou-nullis tribuistis, ut neque indignum vobis aliquid mihi usuveniat, neque aliis supplicare cogar: id quod nec vobis honestum esset. Nam, si vestra iracundia placari mihi nulla ratione potest, mori me præstiterit. Jure autem hoc animo esse me neque sine re hæc jactare credetis: nam et vestram auctoritatem subii et judicium non detrectavi, ut neque veritatem indefensam desererem neque vestrum quisquam in me potestatem non haberet, sed ut vestro arbitratu de me statueretis: arbitrabar enim eos, qui omnia in me ornamenta contulissent, etiam erga me si ita vellent, delinquendi habere potestatem oportere. Quia vero justa fortuna, ita uti decuit, injusta superata bis vobis iisdem de rebus statuendi facultatem dedit, propterea quod nihil in me cui mederi non liceat statuistis, servatote mc, Athenienses, et quæ tum vobis ipsis tum me digna sunt decernitote. Nihil enim a me perperam et scelerate factum reperietis, neque me commeritum ut vel dignitate vel vita spolier, sed et multitudiniis ita esse studiosum ut qui maxime, ne quid invidiosum scribam, et pulcherrima ex his qui adhuc vivunt pro vobis gerenda suscepisse, maximaque e meis æqualibus benevolentiae erga vos indicia reliquisse. Neque vero quisquam vestrum putet, Athenienses, me vel ex imbecillitate animi vel ulla alia turpi de causa

per totam epistolam lamentari. Nam ego nunc iis confector rebus, quod utinam esset aliter, eo modo quo quisque talibus in malis sibi indulget, ut doloribus et lacrymis et patriæ vestrique désiderio et ærumnarum mearum consideratione, quæ omnia mihi querelas elicunt: quæ si cum æquitate reputabitis, in nullis meis vestrarum rerum administrationibus vel mollitiei vel timiditatis argui me posse reperietis. Et hæc hactenus ad omnes vos: privatim vero cum iis qui me lacescant coram vobis volo disputare. Nam ea, in quibus vestræ ignorationi subservierunt, propter vos ab eis facta sunt, neque ego accuso quicquam. Postquam vero cognovistis vos illa cuiusmodi sint, si, ut reliquos missos faciunt, ita et me quiescere sinent, recte facient: sin exagitare me instituerint, peto ut vos omnes opem mihi feratis, neque committatis ut istorum odiā plus valeant quam vestra benevolentia. Valete:

III.

DE LYCURGI LIBERIS.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

QUÆ meis in rebus jure a vobis tribui mihi putarem, superioribus exposui literis: quæ cum vobis videbitur, mihi concedetis. Hæc autem de quibus nunc scribo, non negligi a vobis, neque adversandi sed æquitatis studio cognosci, velim. Contingit enim mihi, quanquam peregre degenti, multos audire qui vos ob ea quæ Lycurgi liberis acciderunt reprehendant. Ac literas hasce missem propter r̄s etiam ab eo vivente gestas, de quibus æque mecum omnes, si voletis officio fungi, gratiam ei habebitis. Qui ut primum ad Rempublicam accesserat, in curatione vectigalium urbano-rumque munerum se collocavit, de statu Græciæ ac sociorum nihil scribere solitus; cum vero eorum etiam, qui præ se populi studium ferebant, plerique vos deseruissent, populi partibus se addixit, non quod inde munera et redditus capere liceret—nam adversæ factioni hæc omnia proposita erant—, neque quod has partes magis extra periculum esse videret—multa enim et manifesta pericula res habebat, quæ ei, qui populi auctoritatem dicendo agendoque tueretur, adire necesse erat—: sed quod natura popularis et vir bonus fuit. Quanquam autem coram videbat tam eos, qui populo opem ferre

cuperent, propter acceptam cladem esse infirmos, quam adver-sarios viribus ab omni parte suffultos: nihilominus tamen ipse in ea quæ populo commodarent incumbebat; ac postea strenuc palam et dicebat et agebat ea quæ conveniebant: ob quæ statim, ut omnes norunt, ad supplicium deposcebatur. Scripsissem igitur, ut principio dixi, et in illius gratiam: sed tamen cum et vobis ex-pedire putem, ut convicia quæ apud exterorū in vos dicuntur sciatis, multo magis ad literas mittendas sum incitatus. Peto autem, ut qui privatim illi iniqui sunt, vera et æqua de eo audire non graven-tur. Nec enim, Athenienses, ignorare debetis, existimationi urbis ex his quæ in ejus liberos facta sunt labem adspergi. Nemo enim Græcorum ignorat, vos viventi Lycurgo summos honores habuisse, cumque ei plurima crimina ab ejus invidis impingerentur, nullum unquam verum deprehendisse, tantam autem fidem habuisse et præ omnibus popularem judicasse, ut de multis causis e sola Ly-curgi affirmatione sententiam ferretis, eaque vobis satis esset: id quod minime fecissetis, nisi vobis visus fuisset homo integerimus. Nunc igitur omnes, qui filios ejus in vinculis esse audiunt, et de-functum miserantur, et liberorum ejus ut cum quibus inique agatur vicem dolent, vos vero tam acerbe insectantur, ut ego scribere non ausim: nam ea quæ invitus audio et propter vos defendendos quan-tum possum refuto, eatenus ut vobis indicem multos esse a quibus reprehendamini, quod scitu vobis esse utilia judicabam, scripsi, ac-curate autem edisserere molestum judico. Quæ vero sine convicio a quibusdam dicuntur, et auditu fore utilia vobis arbitror, signi-ficabo. Nemo vos per errorem et ignoratione veri ita de ipso Lycurgo statuere existimat. Nam et longum temporis spatium, quo exploratus nihil unquam contra vos vel cogitare vel agere injustum deprehensus est, et illud quod mortalium nemo ullis aliis in rebus vos stuporis arguit, merito istam tollit ignorantiae suspicionem. Restat igitur, quod omnes haud frugi hominum esse dicant, ut tantisper cujusque curam, dum ejus vobis usus est, agere videamini, post nullam rationem habeatis. Quam enim aliam vos defuncto gratiam relaturos consentaneum est, cum ejus liberos et existima-tionem lædi videamus, quæ sola, ut in tuto collocentur, etiam morientibus omnibus curæ sunt? Jam nec illud bonorum virorum est ut ista pecuniæ gratia facere videantur: id quod neque magnitudini animi vestræ, nec reliquo vitæ instituto congruere apparebit. Nam si vobis illi tanti ab aliis redimendi essent, e vestro ærario deprompta pecunia, id vos omnes cupide facturos existimarem: de eo vero, quod per calumniam et ex invidia factum sit, non habeo quid statuam, nisi prorsus acerbe insectari et proturbare populares ho-mines instituistis. Quod si ita est, neque recte neque utiliter facere

decrevistis. Miror autem, si nemo vestrum cogitat, turpe esse ut populus Atheniensis, sapientiae doctrinæque opinione præstans omnibus, ad quem in calamitatibus tanquam ad commune asylum confugi solet, Philippo inhumanior videatur, qui (ut in potestate regia educatum probabile est) a nemine admonitus, tamen cum secundissima fortuna usus esset, humanitatis se maxime esse memorem oportere censuit, et ab iis qui adversus ipsum in acie steterant, et cum quibus de summa rerum depugnarat, qui et cujates essent neque perquirere neque prodere ausus : etenim, ut apparet, non ut plerique vestri oratores, eadem in onines esse vel justa vel honesta putabat, sed ratione habita dignitatis etiam talia concludebat et decernebat. Vos autem, qui estis Athenienses, et liberali doctrina perpoliti, quæ stupidos etiam efficere tolerabiles putatur, primum, quod omnium iniquissimum est, quarum rerum patrem accusant quidam, ob eas filios in vincula conjecistis ; atque ita agere perinde esse dicitis, ac si æqualitatem in ponderibus aut mensuris quæretis, et non de virorum instituto vitae et ratione reipublicæ consultaretis : in qua quidem inquisitione, si bona et popularia et studio Reipublicæ juvandæ suscepta Lycurgi acta videbuntur, non modo nullo affici malo, sed quibusvis a vobis ornari beneficiis ejus liberos, æquum est ; sin contraria, illum, dum vivet, pœnas dedisse oportuit, hos vero ne sic quidem, propter objecta patri a quibusdam crimina, per iracundiam plecti. Omnibus enim omnium delictorum quasi meta est obitus. Quod si hoc critis animo, ut aliqui populi studiosis irati ne cum mortuis quidem in gratiam redeant, sed inimicitias etiam ad liberos usque propagent tradantque posteris, populus autem, cuius causam quique populares agunt, dum horum opera utitur, beneficiorum meminerit, postea floccifaciat, nihil erit miserius quam populi tueri partes. Quod si Mœrocles respondet, hæc argutiora esse quam quæ intelligat, se vero eos, ut ne effugerent, in carcerem compiegisse, quærítote ex eo, cum Taureas et Patæcus et Aristogiton atque ipse in carcerem traditi non modo vinceti non fuerint sed et conciones habuerint, cur istam æquitatem non perspexerit. Sin se tum magistratu quidem esse functum dicet, sed orationes in publico non habuisse, idque permissum sibi fuisse legibus : æquum esse qui potest, ut magistratu fungantur hi, quibus verba facere non licet, illi vero in vinculis teneantur, quorum de vobis sæpe bene meritus fuit pater ? Ego quidem hæc conjungere et concludere non possum : nisi hoc publice vultis ostendere, et væcordiam et impudentiam et affectationem improbitatis in civitate valere et majorem habere spem incolumentatis, ac, si quid secus acciderit, tales absolvi ; meliorem autem tueri partem vitamque modestam et popularem instituere periculosum esse, ac,

si quid erretur, nullam veniæ spem esse propositam. Ad hæc non esse justum omnino, aliter quam de vivente sentire, decereque ut defunctorum potius quam viventium rationem habeatis, et quæ sunt ejus generis, omnia missa faciam: quod ea in confessio esse apud omnes existimo. Sed quam multos ob paterna beneficia honorastis, tam multis etiam aliorum posteris similem referri gratiam vellem. Neque vero hæc quod reprehenderem attuli. A quo tantum absum, ut eam rem maxime esse e republica ducam: incitatis enim omnes ista ratione ad populum colendum, quippe qui videant, tametsi viventibus obstet invidia quo minus honores meritos consequantur, suis tamen liberis digna præmia esse apud vos reposita. An non igitur absurdum atque adeo turpe est, vos quibusdam aliis, licet ex quo usui fuerunt multum temporis intercesserit, judicio de illorum beneficiis ex fama non ex iis quæ vidistis facto, tamen justam benevolentiam constanter tribuere: Lycurgum autem, qui nuper adeo et reipublicæ præfuit et vitam cum morte commutavit, ne in iis quidem vos, quæ superiori tempore hominibus perditis quoque et in vos injurijs tribuebatis, misericordia dico et humanitate, similes eosdemque experiri, præsertim cum in ejus liberös supplicium redundet, quorum etiam hostem, si moderatus sit et mente utatur, miseresceret. Quin illud etiam demiror, si quis vestrum hoc ignorat, non esse e republica palam fieri eos, qui aliorum quorundam amicitiam sibi adjunixerunt, et cum res prospere cedunt, in omnibus esse meliore conditione, et cum fortuna reflatur, facile periculis liberari: cum his vero, qui toti a populo pendent, non modo aliis in rebus pejus agi, sed solis etiam his firmas permanere calamitates. Atque hoc ita fieri, ostendi facile potest. Quis enim vestrum ignorat accidisse ut Laches Melanopi filius similiter judicio vinceretur, ut etiam nunc Lycurgi liberi, sed propter Alexandri literas omne debitum ei esse condonatum? Et rursus Mnesibulum Acharnensem æque convictum et judicum sententia damnatum, ac Lycurgi liberos, esse tamen (quod equidem gaudeo) ut merebatur absolutum? Neque quisquam istorum qui nunc clamitant, propterea leges everti, queri potuisset. Idque merito. Nec enim evertebantur, cum onnes leges propter aequitatem et salutem bonorum et frugi hominum ferantur, cumque nec calamitates effici immortales nec ingratos videri expediat. Atqui si hæc ita, ut pronunciamus, se habere conduceat, non modo leges non evertebatis, cum illos absolveretis, sed vitam etiam civium, quorum leges auctoritate sanciuntur defendebatis, Lachete ad preces Alexandri absoluto, Mnesibulo propter vitæ frugalitatem et modestiam conservato. Ne igitur ostendite utilius esse externas parare amicitias, quam populi fidei semetipsum committere, neque præ-

stare ignoto alicui esse notum quam rempublicam ex utilitate populi administrare. Nam, ut is, qui suadet aliquid aut magistratu fungitur, placeat omnibus, fieri non potest: tamen, si quis populi rebus ex animo consultum cupit, dignus est qui conservetur. Quod nisi fiet, docebitis omnes, alias potius esse colendos, quam populum, et cavendum esse nequis aliquid utile vobis gessisse intelligatur. Omnino autem commune probrum est, Athenienses, et totius civitatis calamitas, quod invidia plus valere apud vos quam gratiae putatur: cum praesertim illa morbus sit, hæc in deorum numerum referantur. At nec Pytheam prætermittam qui pro sug- gesto duntaxat popularis est, postea vero paratus ad omnia quæ vobis adversantur. Quem, dum vestras in gerenda republica et concionibus habendis partes tuebatur, quis nescit ut servum agitari et peregrinitatis accusari solitum propeque vœnundatum ab istis, quibus nunc inserviens orationes illas contra me scripsit? Postquam autem ipse nunc ea facit, propter quæ tum alias criminabatur, ita esse locupletem, ut et duas meretriculas alat, quæ ad tabem eum usque, optimæ sane mulieres, redegerunt; et quinque talenta mulctæ nomine facilius nunc solverit, quam olim totidem drachmas solvere potuisset, et præter hæc a vobis non modo admissum ad gubernacula civitatis, quod commune probrum est omnibus, sed et patria sacra Delphis pro vobis fecisse? Quod si talia et tanta exempla viderint omnes, de quibus nemo est quin populi diligere et tueri partes perniciosum esse judicet, vereor ne aliquando nulli futuri sint qui causam vestram tueantur, si præsertim alios naturæ debitum et fortuna et ætas sustulerit, ut Nau-siclem, ut Charetem, ut Diotimum, ut Menestheum, ut Eudoxum, prætereaque Eudemum et Ephialtem et Lycurgum, alios ipsi pro-jeceritis, ut Charidemum et Philoclem et me, quibus vos nec ipsi ullos vestri esse stodiosiores putatis: si vero quosdam æque studiosos, non invideo. Velle autem, si vos ita ut æquum est eos tractabitis, neque ita ut nos male mulctabitis, eos esse posthac quamplurimos. Sin talia, qualia nunc, exempla edideritis, quis est, qui se toto animo in istum ordinem dare velit? Qui quidem simulent, ut hactenus, sic etiam deinceps, non deerunt. Absit autem ut eorum animi sic palam conspiciantur, ut istorum, qui quæ tum palam inficiabantur, ea nunc ita agunt, ut neminem vestrum vel metuant vel revereantur. Hæc igitur cogitanda sunt, Athenienses, neque vel benevoli negligendi, vel iis qui civitatem ad acerbitatem sœvitiemque impellunt auscultandum. Nam hic rerum status multo magis benevolentiam et humanitatem flagitat quam tumultus et similitates, quas quidam in immensum exag- geratas usurpantes contra vos operam locant ad ea negotia con-

ficienda, quæ dii prohibeant ne ad exitum perducantur. Si quis autem vestrum hæc cavillatur, is est magna vœcordia refertus. Qui, cum ea facta esse videat, quæ nemo futura metuebat, et olim etiam facta sunt, cum populus per homines insidiatores impulsus eos a quibus defendebatur suspectos habere atque odisse cœpit, nunc esse futura non putat, nonne insanit? Hæc, si adessem, coram vobis explicarem: postquam vero mecum ita agitur, ut cum eo velim agi, cuius mendaciis effectum est ut ego perierim, per literas vestri et honoris et commodi ratione in primis habita significavi, secundo loco æquum esse censeo ut, qua benevolentia Lycurgum viventem sum prosecutus, eandem erga ejus quoque liberos præ me feram. Si cui vero fortasse in mentem venit, mihi multum esse otii a rebus meis, illi ego respondere non dubitem, me de vestra utilitate et omnium amicorum defensione non minus esse, quam de mea salute sollicitum. Nulla igitur curiositate hæc facio, sed ut idem studium idemque institutum teneo, sic et hæc et illa pari animo suscipio. Otii vero tantum mihi superest, quantum illis qui vobis male volunt superesse velim. Ac de his quidem satis. Velim autem pro benevolentia et amore meo nunc breviter queri vobiscum, id quod paulo post per longas literas, quas, si vixero, a me exspectabitis, faciam, nisi prius a vobis jus meum fuero consecutus. Quos, o—quid dicam ut neque errare neque mentiri videar?—nimirum negligentes, neque aliorum neque vestri ipsorum pudet, ob ea Demosthenem ejecisse, propter quæ Aristogitonem indemnem dimisistis: quæque iis, qui vos floccifacere audent, non accepta a vobis tenere licet, ea non dare mihi, ut et ære alieno redacto et liberalitate amicorum sublevatus vobis satisfacere possim, ut ne senectutem et exsilium mercedis loco pro meis vestra causa exantlatis laboribus accipiens, commune probrum eorum qui me læsere injuria, peregre in hominum conspectu verser. Quum autem ego velim vestro beneficio et pro magnitudine animorum vestrorum ab exilio domum revocari, eaque infamia quæ me immerentem obruit liberari, fidemque publicam non diutius petam quam quantum mihi temporis ad solvendam mulctam præfinivistis: et hæc denegatis, et interrogatis, ut mihi renunciatur, quis ergo me prohibeat venire et hæc agere? Quod vereri didici, Athenienses, et longe alia fortuna sum, quam mea in vos et rempublicam facta merebantur, et quod rei familiaris propter quosdam jacturam feci, ne illi duplum solvere cogerentur, cum simplum non possent, satis dare initio pro mea facilitate pollicitus: a quibus adjutrice vestra benevolentia reversus, partem saltem, si non totum, recuperarem, ut reliquum vitæ tempus citra dedecus exigere liceret; quod si vero ita, ut isti qui jactant talia jubent, venero, simul et ignominia

et inopia et metu conflictabor. Quorum vos nihil consideratis, sed verba et humanitatem mihi invidentes, me vestra culpa, si fors ita tulerit, interire sinetis: neque enim aliis quam vobis supplex esse possum. Ac tum sortem meam, satis scio, miseraturi estis, cum querelæ neque mihi neque vobis quicquam proderunt. Nam alias opes, præter eas quæ notæ et eruptæ mihi sunt, habere ne me exspectetis. Reliquias igitur, si omissa contentione id pro humanitate vestra mihi tuto facere concesseritis, conquiram. Neque enim ab Harpallo me aliquid accepisse ostendetis: nam neque convictus sum, neque accepi. Si vero senatus obscuram auctoritatem aut vicum Martium intuemini, judicii de Aristogitone facti recordati erubescite. Non enim aliud habeo levius quod mandem iis qui ad istum modum in me deliquerunt. Nec enim iisdem rationibus utique ab eodem senatu promulgatum, illum dimitti æquum esse dicetis, me vero interire: non adeo vos incogitantes estis. Neque enim mereor neque dignus neque illo deterior sum, sed infelicem quidem vestra causa. Confiteor: quis enim infelicem me esse neget, cui ad mala cætera id quoque accedit ut cum Aristogitone me comparem, præsertim perditum cum incolumi? Neque hæc iracunde a me dici putetis (neque enim ego vobis irasci queam); sed ut suspiria dolentibus, sive affectis injuria conquestiones levamenti aliquid afferre solent: nam vobis quidem tam bene cupio, quam vos mihi optarim. Et hoc in omnibus rebus et declaravi, et declarabo: nam initio statim animum induxi meum, quisquis ad rempublicam accesserit, modo bonus civis esse velit, eum sic erga omnes cives affectum esse decere, ut liberos erga parentes, ut eos quidem quam æquisimidos experiri optet, sed qualescumque fuerint ferat æquo animo. Ita enim vinci præclarum est et a prudentibus victoria conveniens existimatur. Valete.

IV.

ADVERSUS THERAMENIS MALEDICTA.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

AUDIO de me Theramenem, cum alia dixisse contumeliosa, tum vero exprobrasse infelicitatem. Eum igitur ignorare, convicio, quo nulla ejus, cui fit, declaretur improbitas, apud homines cordatos nihil profici, non miror. Nam et in vita confidentem, et non natura civem, et a puero in prostibulo educatum, nescire hæc quam intelligere facilius credi potest. Cum eo igitur, si quando rediero, et mansero incolumis, disputare conabor de ipsis et in me et in vos contumeliis, eumque spero me, quamvis ab omni vèrecundia sit alienus, modestiorem effecturum: vobis autem publici boni causa volo per literas, quæ hisce de rebus dicenda habeo, significare. Quæ vobis diligenter animadvertenda sunt, ut mea quidem sententia non tantum auscultatione digna, sed etiam memoria. Ego vestram urbem omnium urbium fortunatissimam existimo et diis carissimam: et hæc testari de vobis et Jovem Dodonæum et Dionen et Pythium Apollinem perpetuo, et obsignare insuper bonam fortunam esse in urbe vestra. Jam quæ de futuris rebus significant dii, ea eos prædicere perspicuum est: a præteritis autem petitas appellationes rebus quæ factæ sunt tribuere. Ego autem quæ apud vos egi in republica, ex iis sunt quæ jam præterierunt, ob quæ dii vos felices nominarunt. Quo igitur pacto æquum est vos qui paruistis felices dici, eum vero qui suasit contrarium cognomen sortiri? Nisi quis hoc fôrtasse dixerit, communem felicitatem, cuius ego fui suasor, deos esse qui nominent, quibus mentiri nefas est: privatum autem convictionem, quo in me usus est Theramenes, hominem audacem et impudentem et rationis etiam expertem jactasse. Neque vero solum e deorum oraculis bonam esse qua estis usi fortunam reperietis, sed ipsis etiam eventibus, modo recte judicare libeat, consideratis. Vos enim, si ut homines negotia considerare vultis, felicissimam e meis consiliis urbem esse factam reperiatis: sin, quæ dii soli eximia tenent, vos consequi postulatis, ea quæ fieri nequunt affectatis. Quid igitur dii eximum hominibus negatum habent? Ut bona omnia in sua manu et potestate teneant eaque tum servare ipsi tum donare cæteris possint, utque mali nihil ab omni ævo vel passi vel passuri sint. Jam his jactis fundamentis, quemadmodum decet, vestrum statum considerate et cum cæterorum fortuna conferte. Nemo enim ita vœcors est, qui vel

quæ Lacedæmoniis accidere, quibus ego nihil consului, vel quæ Persis, ad quos ego nunquam perveni, isti vestro statui dicat anteferenda. Omitto Cappadoces et Syros et Indicæ regionis homines in ultimis terris habitantes : quibus omnibus usuvenit ut multa et acerba et gravia sustinerent. At Hercule felicius agi vobiscum quam cum hisce omnibus fatebuntur omnes, deterius autem quam cum Thessalis et Arcadibus et Argivis, et quibusdam aliis quibus accedit ut Philippi societatem colerent ? At minore quam hi ipsi etiam incommodo recessistis, non eo tantum quod non serviistis—quo quid majus fieri queat?—, sed ob illud etiam quod istis omnibus clades a Philippo illatae Græcis et oppressio libertatis imputatur; unde merito in odio sunt: vos autem pro salute Græcorum et corpora et opes et urbem et agros in discrimen adduxisse constat; unde consentaneum est et vos florere gloria et apud homines æquos et gratos gratiam inisse immortalem. Fuit igitur hic meorum consiliorum eventus, ut vestra urbs ex his quæ restiterunt prosperrima fortuna utatur, illis quæ Philippum adjuverunt gloria præstet. Proinde ob hæc dili vobis bona illa oracula reddunt, iniquum autem maledictum in convicatoris caput retorquent. Quod ita intelligetur, si quis ejus quotidiane vitæ consuetudinem spectare instituerit. Nam quæ illi impreceris, ea ipse de industria facit: qui parentes odio, Pausaniam pædiconem amore, prosequatur: qui insolenter se ut virum jactet, cum muliebria patiatur: patre superior, turpitudine inferior: qui earum rerum propter quas illum omnes aversantur, obscœna commemoratione suum ipse animum oblectet, iisque narrandis recreetur, quæ nauseam audientibus moveant: neque tamen, ut homo simplex atque ingenuus, desistere potest. Hæc ego non scripsisse, nisi commovere vestram qua comprehensa latent ejus flagitia memoriam voluisse. Nam, quæ dictu parum verecunda sunt, ea nec satis honeste scribi possunt; atque vel hæc vobis arbitror auditu fuisse molesta: his enim admonitus unusquisque vestrum multa ejus et atrocia et fœda flagitia meminit. Fit igitur, ut nec ego quicquam turpe dixerim, et iste, quoties in publicum prodierit, suarum fœditatum omnibus monimentum exhibeat. Valete.

AD HERACLEODORUM.

DEMOSTHENES HERACLEODORO S.

Quæ mihi Menecrates nunciavit, iis ego nec tribuere fidem nec abrogare possum. Dixit enim Epitimum ab Arato et delatum et abductum esse in carcerem, te vero causam agere et omnium esse acerrimum ejus hostem. Te igitur per Jovem Hospitalē omnesque deos obtestor, ne quam mihi molestiam et dolorem parias. Præterquam enim quod Epitimi salus mihi curæ est, et quod si quid ei accideret magnum mihi ipsi malum dari videretur, tuque ejus calamitatis auctor ei esses, puderet me etiam eorum qui consciū sunt, quid ad omnes homines de te dixerim, confisus me vera loqui, re non quidem e familiaribus congressibus comperta, sed quod te et auctoritate præditum et eruditionem amplexum esse videbam, eam præsertim quæ in schola Platonis traditur, quæ omnino ab avaritia et violentia cæterisque callidis aucupiis abhorret, ad summam autem bonitatem et justitiam omnia refert: qua doctrina qui eruditus est, huic, ita me dii ament, non colere simpli-
cem veritatem et in omnes esse benefico nefas esse duco. Quin illud etiam molestissimum mihi esset: si magno benevolentiae erga te quasi impetu concitatus, mutare sententiam ac alio in te esse animo cogerer, quibus igitur in rebus me despectum et neglectum esse putem, etsi non dixero, eas tamen ita se habituras putato. Quod si nos ideo contemnis, quod nondum e principibus sumus, cogita, te quoque olim adolescentem et ea qua nos ætate modo sumus fuisse, et corsiliis atque actionibus tuis ad tantum fastigium adscendisse. Id quod nobis etiam contingere poterit. Nam recta quidem voluntas adest, cui si fortunæ benignitas suffragetur, res ipsa confici queat. Nihil autem melius collocari potest recte tributo officio; quod et tu nobis præstare debes: neque ab ullo væcorde vel abduci in deterius vel vinci velis, sed illos tute in tuam perducito sententiam: itaque te gerito ut ne quid e pactis et conventis nostris desideretur, utque Epitimus periculis eripiatur et liberetur. Adero autem et ipse eo tempore, quod tu tempestivum esse dixeris. Id igitur mihi per literas significa, vel etiam pro amicitia impera. Vale.


VI.

AD SENATUM POPULUMQUE
ATHENIENSEM.

DEMOSTHENES SENATUI POPULOQUE S.

REDDITÆ sunt ab Antiphilo literæ senatui sociorum, bona quidem exspectare volentibus scriptæ commode, sed quæ Antipatri ministris multos et difficiles sermones suppeditent, qui acceptis ab Antipatro literis ad Dinarchum Corinthum missis omnes Peloponnesi urbes iis sermonibus impleverunt, quos in illorum capita dii convertant. Cum vero huc pervenisset iste qui nunc adest cum meo tabellario literas ferente a Polemæsto ad Epinicum fratrem, virum vestri studiosum et mei amantem, atque ab illo ad me perductus esset, ego auditio nuntio eum ad vos mittendum censi, ut, perspicue rebus omnibus quæ in castris acciderunt ex eo qui tum prælio interfuit auditis, et in præsentia bonis animis sitis, et reliqua diis bene fortunantibus talia fore, qualia vultis, exspectetis. Valete.

LATINÆ INTERPRETATIONIS
OPERUM DEMOSTHENIS
FINIS.



ÆSCHINIS
ORATIONUM
INTERPRETATIO LATINA.

ARGUMENTUM ORATIONIS CONTRA TIMARCHUM.

CUM Atheniensibus post bellum Olynthiacum visum esset pacem cum Philippo facere, societate ipsi et posteris ejus decreta, deceun ad eum legatos, inter quos Æschines etiam et Demostheues fuerunt, exigendi jurisjurandi gratia miserunt. Reversa legatione, Demosthenes orator, et Timarchus Arizeli F. Sphettius, vir in republica illustris, et conciones habere solitus, qui amplius C. decreta scripserat, Æschinem perperam obitae legationis reuni faciunt. Receus autem senatusconsultum promulgarat, ut is qui ad Philippum arma veheret, capite plecteretur. Actione porro ad prætorem relata, antequam in judicium ventum esset, Æschius Timarchum accusavit, ut qui contra legum edictum conciones haberet: neque enim fas esse ei habere conciones, cum pudicitiam prostituerit. Itaque alii dicunt, Timarchum laqueo sibi necim consivisse, non exspectato judicio: alii, condemnatum, atque in ordinem coactum esse, ut Demosthenes in oratione falsæ legationis. Res autem hæc ita celebrrata est, ut ab hoc judicio, homines impudicos, Timarchos appellarent. Exordium velcimentiū est, in quo et sua modestia commendata, captandæ benevolentiae causa, et Timarcho in odium adducto, et disputatione de republica absoluta, transit ad capita, non propria causæ, sed communia in omnes eos, qui prostituta pudicitia accusantur. Sunt autem hæc: an veteres recte et accurate leges de modestia puerorum, et adolescentum, ceterarumque ætatum tulerint: an effeminatis recte interdixerint concionibus: et, an Timarchus, qui pudicitiam prostituerit, contra legum iinterdictum concionet: in quo illud etiam uest, utrum Timarchus impudicitia crimen in se, ni accusetur, admiserit: item, an apud Misgolam in hoc genere exercitatum, quæstum corpore fecerit: an apud Anticlem in gaueo versans, et alea ludens, receptus sit a Pittalaco ministro publico: et apud illum, atque etiam apud Hegesandrum Timomachi quæstorem, pro scorto ad tempus se gesserit.

ALITER.

CENSORIA est hæc Æschius in Timarchum oratio, hominem oratorem, et calumniatorem suum. Sunt autem late leges de oratoribus, qui sint a concionibus repellendi: velut ii, qui patrimonium profuderunt, qui pudicitiam prostituerunt: qui nisi iis legibus paruerint, cuivis licere judicio in eorum mores inquirere, utrum sint tales, ut ad populum verba facere possint. Quum autem duarum rerum Æschines Timarchum criminaretur, et pudicitia prostitutæ, et absumpsi per luxum patrimouii, oratio de impudicitia inscribitur, quod major ejus pars in eo crimine tractando consumitur. Vicit autem causam hanc, ut ex affirmatione veterum constat. Orationes vero post actas causas mihi esse scriptæ videntur.

ÆSCHINIS ORATORIS

CONTRA TIMARCHUM

ORATIO.

1. Ego, judices, nulli civium unquam vel in judicio periculum creavi, vel in referendis rationibus molestus fui, sed, ut mihi persuadeo, moderate me in rebus hujusmodi gessi: verum cum et rempublicam graviter a Timarcho lædi, contra leges habente conciones, viderem, et privatim ab eo calumniis agitarer—quo autem pacto, in orationis progressu ostendam—turpissimum facinus fore duxi, si nec universæ civitati, nec legibus, nec vobis, nec mihi ipsi opitularer. Cum autem iis eum teneri criminibus scirem, quæ paulo ante scriba recitante audivistis, hoc eum censorio judicio reum feci. Omnino enim, Athenienses, ea quæ in publicis causis dici solent de privatis inimiciis, per eas multa reipublicæ incommoda depelli, vera sunt. Neque vero totius hujus actionis culpam vel civitati, vel legibus, vel vobis, vel mihi Timarchus adscribere potest: sed sibimet ipsi tantum. Leges enim ei denunciarunt, cum flagitiose vixisset, ne conciones haberet; atque id ei edixerunt quod meo judicio ferre graviter non potest, sed id quod omnibus facile est: licuit etiam ei non lacessere me per calumniam, si sapuisset.

2. Ac de his satis me præfatum esse arbitror: non autem ignoro, Athenienses, ea quæ principio dicturus sum, ex aliis etiam ante vos audisse: sed tamen res postulare videtur, ut eadem et ipse utar oratione. Constat inter omnes, tres esse formas rerum publicarum, principatum unius, potestatem paucorum, et populare imperium. Ac duo priora genera eorum arbitratu reguntur, qui rerum potiuntur: liberæ autem civitates, usitatis legibus. Satis autem scitis, Athenienses, populi vitam et libertatem conservari legibus, principum et paucorum, diffidentia et armorum præsidisi. Paucis igitur, atque iis qui republica inæquali utuntur, ii sunt cavendi, qui manu et vi resplicas evertunt: nos autem decet, qui æqualem et legitimam rempublicam habemus, in eos qui contra quam leges jubent, aut dixerint, aut vixerint, animadvertere. Nam vires in eo vestræ sunt, si leges tueamini, neque cuiquam licentiam detis vitam legibus contraria et petulantem instituendi. Evidem illud existimo, in sanciendis legibus spectandum esse nobis, ut eæ justæ atque e republika sint: ubi autem eas sciverimus, legibus sancitis ut pareamus, et contumaces puniamus, si modo rempublicam incolumem et florentem esse volumus. Considerate Athenienses, quantam mode-

stiæ rationem habuerit Solo antiquus ille, et Draco, ceterique illius ætatis legumlatores. Primum enim leges de liberorum nostrorum disciplina tulerunt, planeque demonstrarunt, quæ puer ingenuus studia sequi debeat, utque sit educandus: secundo loco de adolescentibus: ac deinceps de reliquis ætatibus; neque vero ad plebeios duntaxat homines, sed etiam ad oratores hæc pertinere voluerunt. Et has leges in literas relatas apud vos deposuerunt, earumque custodiæ vos præfecerunt.

3. Quem igitur legum ordinem est secutus legislator, eundem et ipse præscribam orationi meæ. Primum cñim eas leges exponam vobis, quæ de puerorum vestrorum: deinde eas quæ de adolescentum: postremo eas quæ de reliquarum ætatum disciplina sunt latæ, nec privatorum duntaxat hominum, sed etiam oratorum. Sic enim orationem meam arbitror maxime perspicuam fore. Simul etiam disseram, Athenienses, quid edicant leges de gerenda republica, et rursus post hoc Timarchi mores cum iis conferam. Eum enim egisse vitam legibus omnibus contrariam reperietis. Legislator primum ludi magistris, quorum fidei liberos nostros necessario committimus, quorumque victus in temperantia situs est, inopia vero in contrariis rebus, tamen diffidit: ac plane definit, qua hora puerum ingenuum in ludum ire deceat, deinde, cum quot pueris ingredi, et quando abire: ac præceptores ludos, lanistas aperire palæstras vetat ante solis ortum, et claudere jubet ante occasum, ut qui solitudineni et tenebras maxime suspectas habeat: edicit item, adolescentulos ea loca frequentantes, quales esse oporteat, et qua ætate, et qui magistratus eorum habere curam debeat: et de pædagogorum diligentia, et de festo Musarum in ludis, et de festo Mercurii in palæstris, denique de congressibus puerorum et cœtuum solennium. Jubet enim ædilem, qui suis sumptibus vestris servire commodis studeat, id facere, ubi quadragesimum ætatis annum excesserit, ut is modestissima jam ætate liberos vestros accedat. Has igitur leges scriba vobis recitabit, ut sciatis, existimasse legislatorem, puerum recte educatum, virili ætate utilem fore civitati: si autem hominis ingenium malum disciplinæ initium cœperit, male institutos pueros, in viros evasuros Timarcho similes, censuisse. Recita leges has.

LEGES.

Puerorum magistri ludos ante solis ortum ne aperiunto, et ante occasum iterum claudunto. Neque fas esto iis qui puerilem ætatem excesserunt eo ingredi, dum pueri sunt intus, præter filium magistri aut fratrem aut generum: his exceptis si quis fuerit ingressus, capite muletator. Et gymnasiarchæ mercurialibus nullo modo quenquam adultum ingredi cum pueris sinunto: sin permiserit neque gymnasio excluderit, teneatur gymnasiarcha lege de corruptela ingenuorum puerorum. Choragi autem qui a populo constituantur annum ætatis quadragesimum excessisse debent.

4. Post hæc, judices, edicit de injuriis, magnis illis quidem, sed tamen fieri scilicet in urbe nostra solitis. Nam ea de causa leges a majoribus sancitæ sunt, quod quædam contra quam deceat committantur. Lex certe quidem aperte ait: si pater aut frater aut patruus aut tutor aut denique is cuius est auctoritas aliquem mercede prostituat, non licere puerum accusare: sed tam eum qui elocarit quam qui conducerit, illum quod elocarit, hunc, inquit, quod conducerit, et parem in utrumque pœnam statuit. Neque necessitatem imponit puero ubi adoleverit patrem alendi aut domicilio excipiendi, si fuerit ab eo ad turpem quæstum elocatus, defunctum tamen sepelire jubet ac cetera parentalia obire ut moris est. Considerate, Athenienses, quam recte, viventi ei eripiat fructum procreationis liberorum, quemadmodum ipse puero libertatem: defunctum tamen, cum is quidem qui beneficium accipit, non jam sentit commodum quo afficitur, legi vero et numini honos habetur, sepelire jubeat, et cetera de more præstare. Etiam aliam quandam legem tulit, nostrorum liberorum custodem, de lenocinio, maximis pœnis adscriptis, si quis ingenui pueri aut mulieris lenonem agat. Et quam aliam? Legem contumeliæ, quæ uno capite quæ sunt hujus generis omnia complectitur; in qua plane scriptum habetur, si quis puero contumeliam fecerit—facit autem utique contumeliam qui conduit—, aut viro, aut mulieri, sive ingenuo sive servo, aut aliquid legibus interdictum in horum aliquem commiserit, in eum contumeliæ actionem dedit et litis æstimationem eam fecit, ut statuendum sit, quid is luere debeat, aut solvere. Recita legem.

LEX.

Si quis Atheniensis puero ingenuo contumeliam fecerit, is in cuius potestate puer est illum apud sexviros accusato, ea litis æstimatione adscripta, qua judicium eum condemnari, qui si undecimviris fuerit traditus eadem die perimatur: sin ei mulcta pecuniaria irrogata fuerit, intra dies undecim post judicium solvat, si statim solvere non potuerit, donec vero solverit in carcere teneatur: iisdem porro criminibus tenentur ii etiam qui servilia corpora violarint.

Fortassis autem aliquis statim miretur, qua de causa legi contumeliæ etiam servorum nomen sit adscriptum. Id vero si considerabis, Athenienses, omnium rectissimum esse invenietis. Neque enim servantæ curæ fuerunt legislatori, sed quia nos consuefacere voluit, ut a contumelia ingenuorum magnopere nobis temperaremus, adscripsit, ne servis quidem contumeliam esse faciendam. Denique qui in libera civitate quacunque in re contumeliam ficeret, eum ad civilem consuetudinem minime idoneum judicavit.

5. Atque illud una mecum, Athenienses, memineritis velim, le-

gislatorem hic nondum loqui cuim puerō, sed cum pueri necessariis, patre, fratribus, tutore, magistris, denique iis in quorum is potestate est: ubi autem in album civitatis inscriptus fuerit, et leges civitatis didicerit ac cognorit, et jam inter honesta et turpia discernere potuerit, non jam cum aliis agere, sed etiam cum ipso Timarcho. Quomodo autem dicit? Si quis, inquit, Atheniensium corpore quæstum fecerit, ei non liceat in novemvirorum numerum cooptari—eo fortasse quod coronam gestat is magistratus—: neque sacerdotio fungatur—ut qui ne ore quidem puro loquatur—: neque publicæ causæ patronus esto: neque ullum magistratum unquam administrato, vel domi vel peregre, sive sortitione, sive suffragio mandari solitum: neque caduceatorem neque legatum agat, neque legatione functos accuset, aut calumnietur mercede conductus: neque unquam sententiam dicat, vel apud populum, vel in senatu, tametsi eloquentissimus fuerit Atheniensium. Qui secus fecerit, eum impudicitiae accusandi potestatem dedit, pœnasque gravissimas statuit. Recita et hanc legem, ut sciatis, cum tam honestas et modestas leges habeamus, Timarchum fuisse ausum verba facere pro concione, qui iis moribus est, quibus eum vos esse nostis.

LEX.

Si quis Athenensis se prostituerit, ei ne liceat in novemviros cooptari, nec rem divinam facere, non populi causam agere, nec ullo fungi magistratu sive domi sive peregre sive sortito sive suffragio mandari solito, neque faecialis mittatur, neque sententiam dicat, neque in publica fana ingrediatur, neque in festis solennibus de more coronam gestet, neque intra fori septa progrediatur: si quis autem haec fecerit, impudicitiae condemnatus, morte mulctetur.

6. Hanc legem in adolescentulos tulit, qui facile in sua corpora nefas admittunt: quas autem paulo ante recitavi, eae ad pueros pertinent: quas nunc dicturus sum, ad ceteros Athenienses. Absolutis enim his legibus, consideravit, quo pacto vos in concionem convenire, ac de rebus gravioribus deliberare deceat. Unde autem auspiciatur? Leges inquit de Disciplina. A modestia primum auspicatur: quasi, ubi optima disciplina sit, ibi civitatem maxime florere sit necesse. Et quo pacto jubet praesides de publicis negotiis agere? Ubi lustralia circumgestata fuerint, et praeco patria vota peregerit, in primis decernere jubet praesides de patriis sacris et caduceatoribus et legatis et publicis negotiis: deinde roget praeco, Quis eorum qui annum ætatis quinquagesimum excesserint verba facere velit? Ubi autem hi omnes dixerint, tum deum jubet ceterorum Atheniensium quemvis ex iis quibus liceat, dicere. Considerate, Athenienses, quam

recte. Non ignorabat nimirum legislator, in natu majoribus vigere prudentiam (audaciam autem incipere jam deficere in eis) ob usum rerum. Volens igitur prudentissimos quosque consuefacere, ut sententiam necessario sibi dicendam putarent: cum uniuscujusque nominatim appellandi facultatem non haberet, communi totius ætatis cognomine usurpato, ad suggestum eos vocat, et ad habendas conciones adhortatur: eademque opera etiam adolescentes reverentiam erga seniores adhibendam esse docet, cisque priorem in rebus omnibus locum concedendum, et honorem senectuti habendum, ut ad quam perventuri simus omnes, nisi nos fata interceperint. Itaque veteres illi oratores, Pericles, Themistocles, Aristides, qui dissimile Timarchio cognomen habet, quippe qui justus appelleatur, adeo modesti fuerunt, ut, quod nunc de more omnes facimus, ut prolata manu dicamus, id tum audaciæ tribuerint, et verecundati sint. Cujus ego consuetudinis me reipsa magnum vobis argumentum ostensurum arbitror. Satis enim scio, vos omnes trajecisse Salaminem, et Solonis spectasse statuam: itaque ipsi testari potestis, Solonem in foro Salaminiorum situm esse manu intra vestem condita. Illud est monumentum, Athenicenses, et simulacrum gestus Solonis, quonam pacto cum populo Atheniensium sermonem habuerit. Considerate autem, Athenienses, quantum inter Solonem et Timarchum intersit, et eos viros quorum paulo ante mentionem feci. Illos enim puduit extenta manu verba facere: iste autem non olim sed nuper aliquando abjecta veste nudus toto corpore pugilem agebat in concione: et quidem corpore ob ebrietatem et petulantiam ita male turpiterque affecto, ut homines cordati oculos velarent, verecundantes reipublicæ vicem, quæ talibus consultoribus uteretur.

7. Quibus rebus legislator perspectis, plane demonstravit, quibus conciones sint habendæ, et quibus apud populum verba facienda non sint. Neque vero a suggestu repellit quemquam qui viro prætorio natus non est, aut qui artem aliquam exercet victus parandi causa: sed hos vel maxime amplectitur, eaque de causa sœpe interrogat, quis dicere velit? Quos vero a dicendo repulit? Qui turpem vitam egerunt. Eos concessionari non sinit. Atque ubi id declarat? In capite *De Oratorum Exploratione*. Si quis, inquit, publice verba fecerit, qui patrem aut matrem verberat, aut non alit, aut eis domum non præbct, hunc verba facere non sinit. Idque recte mehercule, mea quidem sententia. Cur? Quod si quis erga eos officio non fungitur, qui pari cum diis immortalibus honore sunt afficiendi: is quo pacto alios homines tractabit, et totam civitatem? Quibus secundo loco habendis concessionibus interdixit? Si quis, inquit, imperatas sibi expeditiones non obierit, aut clypeum abjecerit. Recte. Cur tandem? Homo, ei civitati, pro qua arma non sumis, cuique ob ignaviam opem ferre

non potes, ne consilium quidem dare velis. Tertio cum quibus agit? Si quis, inquit, in eretrum quæstum fecerit aut pudicitiam prouidetur. Nam qui suum corpus ad ignominiam vendiderit, eum etiam reipublicæ negotia facile venditurum putavit. Quarto loco, cum quibus agit? Si quis patrimonium, aut hereditaria bona, per luxum absumperit. Nam qui suam familiam male administrarit, eodem modo rempublicam etiam curaturum censuit. Neque fieri posse existimavit legislator, ut idem homo et privatum esset improbus, et publice bonus: aut decere, ut orator suggestum concenderet, qui orationis habendæ prius quam degendæ vitæ rationem duxisset. Nam viri boni orationem quamvis nudam, quamvis simplicem, auditoribus profuturam: hominis autem improbi, qui et corpus suum risui exposuerit, et patrimonium turpiter devorarit, quantumvis ornatam, non e re fore auditorum. Hos ergo repellit a suggestu: his concionibus interdicit. Quod si quis contra hæc, non tantum verba faciat, sed et calumniam agat; et petulanter sese gerat, ut eum civitas diutius ferre non possit: in eum, inquit, civium quilibet, cui fas est, censoriam actionem instituat: vosque jubet de eo jam pro tribunali decernere. Ego itaque nunc ex ac lege venio ad vos.

8. Et hæc quidem olim sancita sunt, vos vero quid adjecistis? Novam legem, post bellam istius pro concione luctam. Summo enim ob istud facinus pudore affecti, legem tulistis novam: in singulis concionibus sortito decernendam esse tribum, quæ præsideat circa suggestum. Et quid legis auctor jussit? Sedere tribules et defendere leges atque rempublicam: quod nisi alicunde auxilia contra homines his moribus præditos accersiverimus, ne deliberandi quidem gravissimis de rebus facultatem simus habituri. Inanis autem opera sumitur, Athenienses, si tales homines clamoribus a suggestu depellere studeatis,—neque enim eos pudet,—, sed suppliciis eorum consuetudo est coercenda. Nam ita demum ferri possunt. Recitabantur igitur vobis leges de oratorum disciplina latæ, et ea quæ de præsidente tribu agit: quam Timarchus et alii hujusmodi oratores per conspirationem, quasi e republica non esset, abrogare studuerunt, ut eis suo arbitratu et facere et dicere omnia, et vivere liceret.

LEGES.

Si quis oratorum in senatu, aut pro concione, vel nou seorsim de re proposita, vel bis de eadem re apud eosdem dixerit, sive conviciando, sive maledicendo alicui, sive pede supplodendo, vel inter decernendum importune locutus fuerit de rebus a suggestu alienis, vel aliquem concitarit, vel præfectum traxerit, dimissa concione aut senatu, ejus multandi potestas esto penes præsides usque ad L drachmas, deinde una; quæque injuria inscribatur exactoribus: quod si graviorem meruisse poenam vide-

bitur, indicta mulcta usquo ad L drachmas deferunt ad senatum, aut primam concionem in curia: ubi autem citationes recensuerint, judicanto, quod si condemnatus fuerit, clam suffragia ferentibus senatoribus, praesides iis qui mulctas exigunt viatorum legum eum inscribunto.

Leges audivistis, Athenienses: neque dubito, quin eae vobis probandae esse videantur. Ceterum utrum eae leges ratae irritave sint, id penes vos est. Nam si quidem injurios homines punieritis, leges vobis et bonae et ratae erunt: sin absolveritis, bonae illae quidem erunt, ratae non erunt.

9. Volo autem, quemadmodum orationis initio proposui, postquam dixi de legibus, jam tandem Timarchi mores cum eis conferre: ut sciatis quantum ii discrepent a vestris legibus. A vobis vero peto, Athenienses, ut veniam mihi detis, si quid fuero dicere coactus de studiis, non quidem natura honestis, sed ab isto tamen usurpatiss, atque verbum aliquod mihi exciderit factis Timarchi simile. Neque enim jure me reprehendetis, si quid plane dixerim, quo vos edoceam: sed multo magis istum: qui adeo flagitiose vixit, ut qui facta ejus commemorat, suo arbitratu dicere non possit, nisi verba etiam quædam hujusmodi proferat. Dabo tamen operam, ut quam modestissime id faciam. Velim autem consideretis, Athenienses, quanta æquitate sim acturus cum Timarcho. Nam quæ delicta puer adhuc in suum corpus admisit, omitto (eaque nihil valeant, ut ea quæ sub triginta tyrannorum dominatu, aut ante præturam Euclidis acta sunt, aut si quod aliud hujusmodi præfinitum tempus exstitit) quæ vero jam sui compos, quæ adolescens, quæ legum civitatis gnarus admisit, ea demum accusabo, eaque vobis uti curæ sint, oro. Iste prium omnium pueritiam egressus, sedit in Piræeo, in Euthydici medici taberna: per speciem discendæ artis, cum, si res ipsa spectetur, se venditare instituisse: ut eventus declaravit. Qui porro mercatores, aut alii hospites, aut nostri cives illis temporibus Timarchi corpore fuerint abusi, hoc quoque ultro præteribo: ne quis fortasse dicat, me accuratius omnia persequi: quorum autem in ædibus, cum sui corporis et civitatis probro vixerit, quæstus ob eam rem faciendi causa: quam rem lex aut vitare aut concionibus abstinere jubet: his de rebus verba faciam.

10. Est quidam Colyttensis Misgolas, Naucratis F., Athenienses, vir cetera sane bonus, nec ullo nomine reprehendendus, ceterum istius rei impotenter studiosus: qui continenter secum habere solet aliquos citharœdos, aut citharistas. Hæc dico non arguendi luxus causa, sed ut noveritis quis sit. Is ubi animadvertis, quibus de causis Timarchus in taberna medica versaretur: cum non nihil nummorum insumpsisset, inde hominem abduxit ad se, ut et habitu corpore, et adolescentem, et petulantem, et aptum ad eam rem, quam et ipse perpetrare, et iste tolerare instituerat. Neque vero id recusavit Ti

marchus, sed recepit, cum nulla re mediocri egeret (permagnas enim opes ei pater reliquerat, quas iste decoxit, ut ego vobis in progressu orationis ostendam) sed ista fecit, ut turpissimis voluptatibus obsequeretur, deliciis ciborum, et sumptuosis cœnis, et tibicinis, et meretricibus, et tesseris, ceterisque rebus, quarum nulla vinci debet generosum et liberale ingenium. Neque nefarium istum in flore ætatis suæ puduit, relicts paternis ædibus apud Misgolam vivere: qui neque paternus ejus amicus, neque æqualis, neque curator erat: sed alienus, et ipso natu grandior, et in ejusmodi rebus incontinens.

11. Timarchus igitur cum alia deridenda fecit illis temporibus, tum unum quiddam, quod vobis narrabo. Agebatur urbanorum Bacchanalium celebritas. Una porro festum celebrabant Misgolas, istius hospes, et Phaedrus Calliae F. Sphettius. Cum autem Timarchus promisisset, se una cum iis festum acturum: illi dum ceteris rebus apparandis occupantur, iste non revertitur. Quam rem iniquo animo ferens Misgolas, una cum Phaedro eum inquirit: factoque indicio, deprehendunt in ædibus cum hospitibus quibusdam prandentem. Interminato autem Misgola et Phaedro hospitibus, et jubente, statim eos ambulare in carcerum, quod adolescentem ingenuum corrupissent: hospites perterriti, fugam arripuerunt, relicts epulis. Hæc vere a me dici, norunt omnes, qui iis temporibus Misgolam et Timarchum neverunt: unde gaudeo mihi rem esse cum homine vobis non ignoto, neque ex alia re ulla noto, nisi ex eo flagitio, de quo pronunciaturi estis. Nam ignotæ res accusatori fortassis perspicue sunt demonstrandæ: in confessis autem equidem non magni operis esse puto accusare. Nam excitanda duntaxat est auditorum memoria. Sed tamen ego, cum de re constat, quando in prætorio sumus, testimonium Misgolæ-scripto denunciavi: verum illud quidem, non tamen incivile, ut mihi persuadeo. Nam ipsius rei, quam cum isto patravit, nomen non inscribo, neque scripsi quicquam aliud, ob quod poena legibus vera non testificato infligitur: sed quæ et vobis audituris nota, et testificanti tuta sunt, ea scripsi. Quod si volet Misgolas hic progressus verum testificari, recte faciet: sin se citatione adigi, quam verum profiteri maluerit, tota res in conspectu vobis erit. Nam si is qui patravit, verecundabitur, et reipublicæ mille drachmas pendere maluerit, quam vestra ora intueri: is vero qui passus est, concionabitur: sapienter fecit legislator, qui tales a suggestu repulerit. Sin sese stiterit, et tamen ad rem omnium impudentissimam converterit, ad ejurandum veritatem, ut qui et Timarcho gratiam referat, et apud alios ostentet quam solerter hujusmodi facinora contegere possit: primum perjurio erga semetipsum delinquet, deinde nihil ea re proficiet. Nam aliud ego dictavi testimonium, iis qui sciunt Timarchum relicts paternis ædibus apud Misgolam habitasse. Ac video profecto, quam arduam rem aggre-

diar. Neque enim vel amici mei, vel ipsorum inimici, testes producendi sunt, neque ii etiam qui neutros nostrum norunt: sed amici istorum. Si vero iis etiam persuaserint ne testificantur,—quod non existimo, aut certe non omnibus persuasuros existimo—, eo tamen nunquam evertent veritatem, aut sparsam in urbe de Timarcho famam, cuius non ego isti sum auctor, sed ipse sibi. Vitam enim viri temperantis adeo puram esse decet, ut in eam nullius flagitii cadat suspicio. Verum illud etiam præfari volo, si forte Misgolas vobis et legibus parucrit: ea sunt naturarum humanaarum discrimina, ut ætas ex aspectu satis dijudicari non possit. Quidam enim adolescentes, proiectæ ætatis et senectutis speciem præ se ferunt: alii multos annos nati, omnino juvenes videntur. Quorum unus est Misgolas. Est enim æqualis meus, unaque mecum adolevit: atque annum nunc agimus quintum et quadragesimum. Ac ego quidem tot canos habeo, quot videtis: ille vero non item. Quamobrem igitur hoc prædico? Ne vel ex primo statim ejus aspectu miremini, et tale quippiam in mentem vobis veniat: mehercule iste ab illo non multum differt. Nam partim natura hominis talis est, partim cum eo jam adolescente consuevit. Ne vero moram faciam, voca mihi primum eos qui sciunt Timarchum versari solitum in Misgolæ ædibus: deinde Phædri testimonium lege: postremo ipsius Misgolæ testimonium sumito: ut et deorum immortalium metu, et conciorum, ceterorumque civium, et vestrum, qui pro tribunali sedetis pudore, verum perhibere testimonium velit.

TESTIMONIUM.

Misgolas Niciæ F. Piræensis testatur: Timarchum sibi fuisse familiarem, qui aliquando in Eutbydioi medici taberna sederit, seque pro notitia quæ cum eo intercesserit nunquam ejus summam habere curam destitisse.

12. Quod si Timarchus, Athenienses, apud Misgolam mansisset, neque ad alium se contulisset, rectius sibi consuluisset,—si quicquam tamen hujusmodi rectum esse potest,—, neque ego quicquam aliud ei objecisset, quam quod legislator aperte dicit, eum pudicitiam duntaxat prostituisse. Nam qui id cum uno perpetrat, ac mercedis ergo facit, eo ipso teneri mihi videtur. Sin refricata vestra memoria, omissis istis agrestibus viris, Cydonide, Autoclide, Thersandro, demonstraro ipsos, commemoratis iis in quorum fuerit ædes receptus: unde constet eum non solum apud Misgolam corpus suum mercede prostituisse, sed apud alium etiam, et rursus apud alium, atque ab illo ad alium venisse: non modo jam eum prostituisse pudicitiam apparebit, sed—nescio mediis fidius quomodo rem per ambages effram totum diem—pro scorto subagitatum esse. Qui enim petulanter hoc, et apud multos, et mercede facit, is eo ipso teneri mihi videtur. Postquam igitur Misgolas, sumptibus

exhaustus, istum a se dimisit, Anticles Calliae F. Euonymensis recipit. Ac is quidem Sami abest cum colonis. Ea igitur quæ secuta sunt, referam. Timarchus ut ab Anticle et Misgola recessit, non ipse in sese descendit, nec meliorem vitæ rationem est amplexus: sed in aleatorum circulis totos dies versatus, ubi tabula ponitur, et coturnices ac galli gallinacei committuntur, et alea luditur. Vestrum enim aliquos ea vidisse arbitror, quæ dico, aut saltem audivisse. Est autem ex ejus loci cœtu homo quidam Pittalacus, servus publicus nostræ urbis: qui cum argento abundaret, istum in ea palæstra visum, ad se recepit, et domi habuit. Neque vero impurus iste conditionem illam repudiavit, cum se probro affecturus esset apud hominem servum publicum: sed illud solum spectavit, an præbitorem petulantiae suæ inventurus esset, nulla unquam honestatis aut turpitudinis habita ratione. Talia porro delicta et tales contumelias audivi ego ab illo homine in istius corpus esse factas: quas ego ita me Jupiter Opt. Max. juvet, narrare apud vos non audeo. Quibus enim iste reipsa committendis non erubuit: iis ego aperte duntaxat a me nominatis, vivere recusarim.

13. Sub eadem tempora, quibus apud Pittalacum iste fuit, Hegesander ex Hellesponto huc appellit, qui istum ad se recepit: cuius satis scio mirari vos, cur non olim mentionem fecerim: adeo evidens est id quod dicam. Is igitur Hegesander rediit: quem vos nostis melius quam ego. Navigarat autem tum pro quæstore cum Timomacho Acharnensi, viro prætorio: et venit huc locupletatus, ut aiunt, illius simplicitate: nec minus quam LXXX. argenti minas attulit: et quodammodo non minima illi causa calamitatis fuerat. Tantis igitur opibus affluens, et Pittalaci in ludenda alea sodalis, ædes frequentans, isto statim viso gavisus est: eumque expetivit, et ad se recipere voluit, ut quem ab ingenio suo non abhorrere existimaret. Primum igitur ad Pittalacum verba fecit, orans, ut eum sibi traderet. Quo recusante, istum ipsum aggreditur: neque vero longa oratione est opus: persuadet statim. Nam ad istam rem conficiendam magnas vires habet improbitas, et auctoritatem; quamobrem vel ob hæc ipsa dignus est odio. Ut autem a Pittalaco discesserat, et ad Hegesandrum se contulerat, ægre ferebat scilicet Pittalacus, se tantum in istum argenti frustra, ut putabat, insumpsisse: et ea quæ gerebantur ferebat, ut rivales solent, et itabat ad ædes illius. Quia vero eis molestus erat, spectate quantum fuerit robur Hegesandri et Timarchi. Nam aliquando inebriati et ipsi, cum collusorum non nullis, et aliis, quorum nomina non dicam, noctu in ædes, in quibus habitabat Pittalacus, impetu facto: primum vascula contriverunt, et projecerunt in viam talos agiles et nexiles, et alia instrumenta aleatoria; et coturnices atque gallos, quos adamabat miserrimus ille homo, occiderunt. Tandem ad columnam alligatum ipsum Pit-

talacum immanibus flagris ceciderunt, idque tam longo tempore, ut vicini etiam clamorem exaudirent. Postridie Pittalacus id facinus indignissime ferens, nudus in forum venit, et in ara matris deorum sedet: cum autem, ut fit, turba hominum concurisset, metuentes Hegesander et Timarchus, ne sua petulantia per totam urbem proclamaretur,—instabat autem concio,—et ipsi et collusorum quidam accurrunt ad aram, ac circumsistentes orant Pittalacum ut surgat, cum dicerent, totam rem per ebrietatem factam: esse atque iste profecto nondum hirco et aspero vultu, ut nunc, sed adhuc utilis, hominem barba prehendit, et illius arbitratu sc omnia facturum promittit; tandem persuadent homini, ut ab ara surgat, ut cui aliquid æqui præstare vellent. Ut autem e foro discesserat, non jam eum curabant. Homo igitur injuriam eorum graviter ferens, diem utriusque dicit. Quod autem in jus vocasset—videte magnum robur Hegesandri—hominem a quo nulla sibi orta fuerat injuria, imo contra, quem ipse injuria læserat, eumque non ad se attinentem, sed servum publicum civitatis, abduxit in servitutem, suum esse seryum asserens. Pittalacus igitur malis undique oppressus ad genua accedit homini perquam bono. Est quidam Glaucus Cholargensis. Is eum asserit in libertatem. Post hoc sortitiones judiciorum fecerunt. Sed progressu temporis cognitorem sumpserunt Diopithem Suniensem, popularem Hegesandri, et per ætatem illius consuetudine usum. Diopithes suscepta re differt negotium, aliud ex alio tempus reis condonans. Ut autem Hegesander vestrum suggestum concenderat,—quo tempore Aristophontem Axeniensem oppugnabat, priusquam is ei actionem illam minatus esset apud populum, qua ego Timarchum réum feci,—, Crobylus item frater ejus conciones habebat: denique isti primi apud vos ausi fuerunt de republica Græcorum capessenda suadere: tum demum Pittalacus, repudiato suo consilio, et ratione inita, quis et ipse esset, et cum quibus bellum gereret, recte sibi consuluit—vera enim dicenda sunt—and quiescere statuit: bene secum agi putans, si nihil novi mali sibi daretur. Hic demum Hegesander pulcram istam victoriam adeptus, Timarchum apud se nulla cum molestia habuit.

14. Et hæc vere a me dici, scitis omnes. Nam quis vestrum est, qui nunquam in forum cupedinarium venerit, nec sumptus istorum spectarit? Aut quis, cum in istorum commissariosc incidenteret atque adulteria, reipublicæ vicem non doluit? Tamen, quando in foro sumus, voca mihi Glauconem Cholargensem, qui Pittalacum asseruit in libertatem: et reliqua testimonia lege.

TESTIMONIA.

Testatur Glauco Timæi F. Cholargensis. Ego Pittalacum asserui in libertatem, cum ab Hegesandro ad servitutem abduceretur. Ali quanto post me convenit Pitta-

Iacus seque dixit transigere velle eum Hegesandro, et misisse ad eum de tollendis actionibus, tam ea qua ipse reum fecisset Hegesandrum et Timarchum, quam illa qua se Hegesander de servitute, eodemque modo transegisse.

TESTIMONIUM.

Anphisthenes testatur. Ego Pittalacum in libertatem asserui cum ab Hegesandro ad servitutem peteretur—

Et reliqua. Igitur et ipsum Hegesandrum vocabo vobis. Dictavi autem ei testimonium modestius quam mores ejus postulent: sed paulo tamen evidentius quam Misgolæ. Neque vero nescio ejuratrum esse, et pejeraturum. Cur igitur eum cito ad dicendum testimonium? Ut vobis demonstrem, quales soleat homines reddere istud studium: quam et contemptores deorum, et despactores legum, et prorsus omnis verecundiæ negligentes. Voca mihi Hegesandrum.

TESTIMONIUM.

Hegesander Diphili F. Spiriensis testatur. Cum ex Hellesponto sum reversus, deprehendi apud Pittalacum aleatorem agentem Timarchum Arizeli F., atque ex illa notitia Timarcho usus sum, eadem cum eo versatus ratione qua prius etiam cum Laodamante.

Non ignorabam eum neglecturum esse jusjurandum, Athenicenses, sed prædixi vobis. Quin illud etiam prævideo, cum nunc testimonium dicere nolit, statim in defensione proditurum: idque profecto minime mirum. Ascendet autem hic, vita anteacta fretus, quippe vir bonus, et malorum osor: et ignarus qui fuerit Laodamas: ob quem vos inter legendum testimonium tumultum excitastis. Nunquid audebo evidentius, quam pro natura mea, dicere? Dicite mihi quæso, Athenienses: qui sese dedecore affect apud Hegesandrum, non videtur vobis scortatus esse cum scorto? Aut quid insignis improbitatis prætermissee, in ebrietate et solitudine? Non putatis Hegesandrum, ad pervulgata illa cum Laodamante acta defendenda, quorum vos omnes estis consci, superbe ei imperasse: ut ob imperiorum magnitudinem moderate se cum eo gessisse videretur?

15. Sed tamen videbitis ipsum, et fratrem ejus Crobylum, perquam accurate et oratoric statim hic prosilire ac dicere, quæ ego dicam, ea magnæ esse stultiæ: ac postulaturos, ut testes producam, qui aperte dicant, ubi egerit, quomodo fecerit, aut quis viderit, aut quæ ratio fuerit: impudenti utentes oratione. Neque enim ego vos tam oblivious esse arbitror, ut non memineritis legum, quas recitari paulo ante audivistis, in quibus scriptum est: si quis aliquem Atheniensium ad id negotium conduxerit, aut si quis sese elocarit, teneri maximis et paribus pœnis.

Quis ergo adeo miser est, qui perspicue velit talc perhibere testimonium, unde, si verum dixerit, ostendat se extreum supplicium commeruisse? Itaque illud est reliquum, ut qui passus est confiteatur. Verum ob hoc accusatur, quod his admissis contra leges conciones habeat. Vultis igitur, ut totam rem omittamus, nec inquiramus scilicet? Egregie profecto urbs incoletur, si quæ ipsi re ipsa fieri scimus, ea nisi quis nobis huc progressus, simul evidenter et impudenter suo testimonio confirmarit, propterea obliviscemur. Idque vel exemplis intelligite. Est autem necessarium scilicet, exempla esse consimilia Timarchi moribus. Videlis eos qui in prostibulis sedent, et scelus istud admittunt, ut inficias ire non possint. Tamen isti, cum ei necessitati est parendum, dedecus id velamento quodam tegunt, et foris occludunt. Quod si quis prætereuntium vos percontetur, quid homo ille tunc agat, statim dicatis nomen illius facinoris: quanquam non videritis quis fuerit ingressus, sed quæstum sciatis ab illo homine institutum, et rem intelligatis. Eodem igitur modo vos decet in Timarchum etiam inquirere: nec illud considerare, an aliquis viderit, sed an res ab eo perpetrata sit. Nam quid per deos, Timarche, dicendum est? Aut quid ipse tu dices de alio homine, qui eodem crimen accusaretur? Aut quid dicendum est, cum homo adolescens, paternis ædibus relictis, in aliena domo pernoctat, aliis vultu præstans: cum sumptuosis cœnis fruitur sine suo sumptu: cum et tibicinas habet, atque meretrices sumptuosissimas: cum alea ludit: nec ipse quicquam solvit, sed alius pro eo; nunquid adhuc ista divinationem requirunt? Non planum est, aliter fieri non posse, quin is qui tot res aliquibus imperet, et ipse pro his voluptates aliquibus suppeditet, qui etiam argentum insumunt? Neque enim, ita me Jupiter amet, qua alia ratione modestius turpium facinorum tuorum mentionem faciam, invenio.

16. Estimate autem rem, si vultis, e civilibus exemplis: iisque potissimum quæ nunc in manibus habetis. Suffragia lata sunt in municipiis: et quisque nostrum suffragium tulit de homine, quis vere sit Atheniensis, quis non sit. Atque ego cum accedo ad judicium, et reos audio, idem apud vos semper valere video. Nam cum dicit accusator: Judices, hunc populares condemnarunt, etsi mortalium nemo jurarit, aut accusarit, aut testimonium in eum dixerit— vos tamen, quippe consci, tumultuamini statim, quasi reus non habeat jus civitatis. Neque enim vobis opus esse videtur verbis aut testimoniiis, iis in rebus, quas quis ipse evidenter novit. Age vero, si quemadmodum de genere, sic de acta vita Timarchi suffragium ferendum fuisset, utrum teneretur, an vero non teneretur: et res in judicio disceptata, vobisque proposita fuisset, ut nunc: non licuisset autem per legem aut decretum vel mihi accusare, vel isti causam dicere: sed præco, qui nunc mihi adstat, vos legitimo illo præconio

hortatus esset: perforato cálculo suam sententiam declarèt is cui videtur scòrtum egisse Timarchus, integrò autem cui non: quidnam pronunciassetis? Satis scio, vos illum fuisse condemnaturos. Quod si me quis vestrum roget, unde ego sciam utrum vos istum condemnaturi fueritis? Dixerim, eo quod libere mecum egeritis, ac disserueritis: quando et ubi quisque id fecerit, ego vos commonefaciam. Cum iste apud populum suggestum concendisset: item, cum senatus anno superiore haberetur: præterea, cum mentionem fecisset mœnium reficiendorum, aut turris: aut ut aliquis quopiam abduceretur, cum dixisset: statim ridebatis, et clamabatis, et ipsi dicebatis cognomina rerum, quarum ei estis consciī. Ac multa quidem vetera omittam: quæ vero in ipsa concione acta sunt, cum ego Timarcho judicium hoc denunciavi, ea vobis in memoriam revocabo. Nam cum senatus Areopagiticus populum ex istius decreto accederet, quod iste fecerat de domiciliis in Pnyce: orationem nomine senatus Areopagitici habebat Autolycus: qui, ita me dii ament, bene honesteque et pro ejus concilii dignitate vixerat: sed ubi tandem in orationis progressu dixit, senatum Timarchi sententiam de solitudine hac et loco in Pnyce improbare: ne miremini, inquit, Athenienses, si Timarchus peritia senatum superat: ibi vos plausum excitastis, et Autolycum vera loqui dixistis; esse enim eum locorum illorum peritum. Autolycus autem plausu vestro non intellecto, severo admodum vultu post intervallum dixit: nos Areopagitæ, Athenienses, Timarchum nec accusamus, nec defendimus,—neque enim patrium id nobis est,—sed hanc veniam Timarcho damus. Tum iste, fortassis, inquit, putavit in hoc silentio parvum a nostrum unoquoque sumptum fieri. Rursus ob silentium et parvum sumptum, major vester eum exceptit cum risu plausus. Ut vero mentionem fecit arearum et canalium, risu pene emortui estis. Ibi Pyrrhander prodit vos objurgaturus: et rogat populum, an non puderet ridere præsente senatu Areopagitico. Vos autem repudiato eo respondistis: scimus, Pyrrhander, coram his non esse ridendum: sed res adeo fortis est veritas, ut omnes humanas cogitationes vincat. Hoc ego testimonium vobis esse perhibitum existimo a populo Atheniensi, quod mendacii coargui nefas est. Absurdum igitur fuerit, Athenienses, si me nihil dicente, ipsi proclamatis cognomentum facinorum, quorum isti estis consciī, me vero dicente obliti estis: sique nullo de re iudicio facto condemnatus esset, re vero convicta absolvetur.

17. Postquam autem suffragiorum memini, et actorum Demophili, aliud etiam his de rebus exemplum adducam. Idem enim hic vir prius etiam hujusmodi quippiam gessit. Conquestus est, esse quosdam qui instituerent corrumpere concessionem, ceteraque iudicia, quemadmodum etiam nunc Nicostratus; et his de rebus iudicia quædam:

olim facta sunt: quædam etiam nunc fiunt. Agite vero, per Deos immortales, si eadem qua nunc Timarchus ejusque patroni defensione usi fuissent, ac postulassent, ut aut aliquis perspicue testificaretur de crimine, aut judices non crederent: ea ratione omnino scilicet necessarium fuisse, illum testari se corrupisse, alium, se corruptum esse, cum in utrumque poena capitis legibus sancitum sit: quemadmodum hic, si quis aliquem Atheniensem ad contumeliam conduxerit, ac vicissim, si quis Atheniensis ultiro ad dedecus se prostituerit. Est vero aut testis qui testificatus sit, aut accusator qui factum eo pacto demonstrare instituerit? Nullus utique. Quid ergo? Absoluti sunt rei? Non mehercule, sed capite poenas dede-
runt: cum quidem eorum peccatum sit longe minus istius flagitiis. Nam illi miseri, cum non possent paupertatem simul, et senectutem tolerare, quæ gravissima in rebus humanis mala sunt, in eas calamitates inciderunt: iste eo quod suam petulantiam noluit coercere. Quod si causa hæc in alia urbe ageretur, vos ego testes citassem, ut qui optime sciretis, me dicere verum: sed cum Athenis agatur, atque iidein meæ sitis et judices et testes orationis, meum est vos admonere, vestrum credere.

18. Timarchus etenim mihi videtur, judices, non suum duntaxat negotium agere, sed ceterorum etiam, qui eadem cum ipso facinora commiserunt, nam si scelus ipsum, ut solet, clam committetur, atque in solitudine et in ædibus privatis: qui autem optime novit, atque civium aliquem probro afficit, si verum testimonium dixerit, in maximis periculis versabitur: reus autem suæ vitæ ac veritatis oppressus testimonio postulabit, ut de se judicium fiat, non ex sui notitia, sed ex testimoñis: tolletur et lex et veritas, et evidens monstrata erit via, qua homines maximis constricti facinoribus elabantur. Quis enim aut grassator, aut fur, aut adulter, aut homicida, aut gravissimorum scelerum designator, modo occulte faciat, dabit poenas? Inter hos enim, ii qui in ipso facinore deprehenduntur, et fatentur, statim occiduntur: qui autem clam fecerunt, et inficiando sunt, in judicium adducuntur. Veritas enim conjecturis quibusdam verisimilibus indagatur. In quo uti potestis exemplo senatus Areopagitici, quo nullum est urbe diligentius concilium. Multos enim ego vidi nuper in ea curia, cum optime dixissent, et testes produxisserunt, succubuisse: atque etiam aliquos, causa male perorata, et nullis testibus confirmata, viciisse. Neque enim ex oratione duntaxat, neque ex testibus, sed ex sua conscientia et indagatione suffragium ferunt. Itaque hoc concilium in urbe semper est cum auctoritate. Ad eundem igitur modum et vos, Athenienses, in hac facite controversia; ac primum nihil vobis sit credibilis eo quod ipsi scitis, ac persuasum habetis de Timarcho: deinde rem aestimate non ex praesenti, sed ex præterito tempore. Nam qui sermones superiori

tempore fiebant de Timarcho ejusque studiis, eo quod veri essent, fiebant: qui autem hoc die dicentur, propter hoc discrimen, vestri decipiendi gratia. Apponite ergo calculum longiori tempori, et veritati, et conscientiae vestrae.

19. Enimvero scriptor quidam orationum, qui defensionem eis concinnat, me ipsum pugnare tecum asserit. Neque enim ei posse fieri videtur, ut idem homo et quæstum corpore fecerit et decoxerit. Nam peccatum aliquod in suum corpus admisisse, id pueri esse ait: patrimonium autem per luxum absumpsisse, viri. Præterea eos qui semetipsos probris afficiant, ob eam rem exigere mercedes asserit. Proinde admirabundus circuit in foro, portenti esse simile dictitans, si idem et quæstum corpore fecerit, et decoxerit. Quæ si quis est qui nesciat quomodo se habeant, ego dabo operam ut verbis ea definitiam planius. Nam dum opes orbæ puellæ, quam Hegesander Timarchi maritus duxerat, sumptus tolerare poterant, et ea pecunia quam ex Timomachea peregrinatione retulerat: luxuriosissime lautissimeque vivebant. Sed cum et illa perissent, alea et cupediis exhausta: et iste jam exoletus esset: nemoque jam, ut fieri solet, quicquam ei largiretur: ingenium autem ejus importunum et nefarium eadem subinde postularet, et pro inexplebili intemperantiae siti aliud atque aliud imperaret, quod pro quotidiana consuetudine absumeretur: tum demum ad paternas facultates devorandas se convertit. Neque vero devoravit solum, sed si dici fas est, etiam exhausit. Neque enim justo quamque possessionem pretio distraxit, neque auctionatus est, aut utilitatis rationem ducere potuit, sed tanti vendidit, quantum in præsentia offerebatur. Tanto impetu ad voluptates ferebatur. Nam eas illi pater facultates reliquerat, unde alius etiam reipublicæ contulisset: eas vero iste ne conservare quidem potuit. Videlicet domum urbanam, fundum Sphettium, aliud prædium Alopecense: præterea servos sutoriæ artis peritos novem aut decem: quorum quisque binos isti obolos in dies singulos pendebat, opificii vero magister ternos: ad hæc mulierem byssi texendæ peritam, et subtilia opera in forum afferre solitam, et hominem phrygionem, et quosdam obæratos, suppœlectilia denique.

20. Et hæc ut vere a me dici constet, nunc demum eos producam, qui plane atque aperte re ipsa testificantur. Neque enim hic ullum periculum aut dedecus, ut illic, verum testimonium perlubenti accedet. Nam urbanas ædes Nausierati Comico histrioni vendidit; post autem eas a Nausicrate xx. minis emit Cleænetus, chori magister: fundum emit ab eo Mnesitheus Myrrhinusius, amplum illum quidem, sed istius culpa prorsus tribulis et sentibus obsitum: Alopecense porro prædium quod a mœnibus xi. aut xii. stadia distat, supplicantे et obtestante matre ut retineret, neque venderet, et, si non in aliud, saltem ad sepulturam suam reservaret, ne ab eo

quidem prædio abstinuit: sed id quoque duobus drachmarum milibus vendidit. Neque ancillarum aut servorum ullum retinuit, sed omnes yenundedit. Quæ non fingi a me ex eo intelligetur, quod testimonii declarabitur, hæc ei a patre reicta fuisse: quæ si se vendidisse negat, corpora servorum in conspectum producat. Eundem etiam isti æs alienum reliquisse, idque ab isto absumptum esse, Metagenis Sphettii testimonio probabo: qui quidem illi amplius xxx. minas debuerat: id vero quod reliquum fuerat, defuncto patre redidit, septem minas. Accerse mihi Metagenem Sphettium. Sed primum omnium lege Nausicratis testimonium, qui ædes emit, et cetera cape omnia, quorum in oratione mentionem feci.

TESTIMONIA.

21. Jam patrem ejus argenti non parum possedisse, quod iste dissipavit, hoc vobis demonstrabo. Veritus enim munera publica, possessiones quas habuit vendidit, præter prædia supra commemorata: videlicet alium agrum Cephisiensem, Amphitropenses officinas duas in argentifodinis: alteram in Aulone, alteram ad Thrasylum. Eas autem unde sit consecutus exponam. Tres fuerunt fratres: Eupolemus lanista, Arizelus istius pater, et Arignotus, etiam nunc superstes, senex, orbus oculis. Horum primus obiit Eupolemus, non diviso patrimonio: secundus Arizelus, Timarchi pater. Qui, dum vivebat, omnes facultates tractabat propter Arignoti morbum, et oculorum calamitatem, atque obitum Eupolemi: certamque Arignoto pecuniam, quam ei pro victu ordinarat, pensitabat. Ut autem Arizelus etiam, Timarchi pater obierat: primis quidem temporibus, dum iste puer adhuc erat, Arignoto a tutoribus æqua omnia præstabantur: posteaquam vero in album civitatis inscriptus est Timarchus, atque opes in suam redegit potestatem, repulso homine sene et calamitoso, eoque patruo suo, cum facultates occultavit, tum Arignoto nihil suppeditavit: sed in tantis opibus nomen inter inopes et causarios dare passus est. Denique, id quod est omnium gravissimum, cum senex inopum explorationi non interfuisset, atque senatui pro mercede impetranda supplicasset, iste cum et senator et præses co die esset, illi patrocinari noluit, sed amittere mercedem senatoriam passus est. Quæ ut vere me dicere constet, voca Arignotum, ejusque testimonium recita.

TESTIMONIUM.

At vero, dicet quispiam, eum paternis ædibus venditis, quasdam alias in urbe comparasse: ac pro fundo, et Alopecensi prædio, et opificibus, ac ceteris, in argentifodinas aliquid contulisse, ut et

patrem ejus olim. Atqui res se ita non habet. Nihil restat, non domus, non villa, non fundus, non servi, non æs alienum, non aliud quicquam, unde homines non malefici vivunt. Sed isti loco patrimonii superest improbitas, calumnia, confidentia, deliciæ, ignavia, impudentia, erubescendi ob turpititudinem inscitia: quibus e rebus civis pessimus et nequissimus conflari queat.

22. Neque vero patrimonium duntaxat absumpsit, sed publica vestra, quibus unquam potitus fuit. Nam is quem ea sit ætate, quam vos videtis, nullus magistratus est omnium, quem non gesserit, non illum quidem sorte oblatum, aut suffragio mandatum, sed omnes pretio contra leges redemptos. Quorum ego plurimis omissis, duorum duntaxat aut trium faciam mentionem. Censor factus, plurimum reipublicæ nocuit, cum muneribus ab iis accipiendis, qui rem male gesserant, tum iis maxime calumniandis, qui rationes referebant, et nihil peccarant. Imperavit etiam Andri, imperio xxx. minis redempto, ac novenis obolis in minam pecunia mutuo sumpta: ut vestrorum sociorum opibus suam improbitatem expleret. Tantumque petulantiam in hominum ingenuorum uxores ostentavit, quantam nemo aliis unquam: quorum ego neminem huc voco, ad suam calamitatem, quam silentio tegere statuit, publice testandam: sed id vobis relinquo cogitandum. Quid vero exspectatis? Qui se Athenis insolenter gerit, non in alios duntaxat, sed et in suum ipsius corpus, cum leges sint, cum vos videatis, cum inimici ei immineant: eum licentiam nactum, et auctoritatem atque imperium, quis speret ullum prætermisso spurcissimum facinus? Ac mihi profecto sæpe subiit felicitatem nostræ urbis mirari, cum ob alia multa, tum ob illud maxime, quod eo tempore nullus urbis Andriorum emptor exstitit.

23. Sed fortassis per se magistratus fuit improbus, cum collegis autem moderatus. Unde? Iste, Athenienses, senator factus est prætore Nicophemo. Omnia porro ejus facinora illo anno edita, exigua dieculæ parte velle recensere, absurdum fuerit: quæ autem criminis hujus judicii maxime sunt affinia, ca exponam breviter. Eodem igitur prætore, cum iste senator esset, Minervæ quæstor fuit Hegesander, Crobyli frater. Furabantur autem clam, et magna cum fide amicitiæ m. drachmas civitati. Qua re vir bonus, Pamphilus Acherdusius, cui cum isto simultatis aliquid intercedebat, animadversa, commotus in concione surrexit, ac dixit: Athenienses, furantur vobis communiter maritus et uxor mille drachmas. Vobis autem admiratis, quo pacto maritus et uxor, et quid ea sibi vellet oratio, paulo post: ignoratis quid dicam? Maritus nunc est, inquit, Hegesander ille, qui uxor olim et ipse fuit, Leodamantis: uxor, Timarchus. Quo autem pacto pecunia surripiatur, ego dicam. Ac deinde rem exponebat, eamque valde probabiliter dilucideque. His

commemoratis, Quid ergo, inquit, consilii do vobis? Si senatus istum injuriæ condemnatum, et frondium suffragio repudiatum iudicio tradiderit, præmium de more eis datote: si vero non punierint, ne datote, sed illo die recordamini. Post senatus in curiam reversus frondium quidem suffragio istum ejecit, sed dicenda sententia recepit. Quia vero nec iudicio tradiderat, nec e curia ejecerat (equidem cum dolore dico, sed dico necessario) præmio caruit. Nolite igitur committere, Athenienses, cum senatui succensueritis, et quingentis civibus coronas ademeritis propter istum non punitum, ut eundem ipsi non puniatis: et oratorem qui senatui non profuit, populo conservetis.

24. At in magistratibus sorte obvenientibus est talis: in iis autem qui electione creantur, melior. Equis vero vestrum ignorat, quanta cum infamia peculatus sit convictus? Missus enim a vobis ad habendum delectum peregrinorum Eretriae militum, solus collegarum se argentum accepisse fatebatur: neque causam dicebat, sed statim injuriam confitens, mulctam graviorem deprecabatur. Vos autem eorum cuique qui inficias ierant mulctam talento æstimas, isti triginta minis: cum leges jubeant furem confidentem capite plecti, negantem in judicium adduci. Proinde ita vos contempsit, ut in ferenidis de jure civitatis suffragiis bis mille drachmas acceperit. Nam cum Philotadem Cydathenæensem, hominem civem, libertum esse suum asseruissest, ac popularibus persuasissest, ut eum repudiarent: suscepta in iudicio accusatione, sacrisque in manus acceptis, dato que jurejurando testatus, se dona nec cepisse, neque capturum esse, deos jurisjurandi præsides obtestatus, et exitium sibi ipsi impetratus, celare non potuit, se a Leuconide Philotadis affine per Philemonem histrionem xx. minas accepisse, quas exiguo tempore in Philoxenam meretricem impendit. Sic et prævaricatus est, et pejoravit. Ac ut vera dicere me constet, voca mihi Philemonem, qui argentum Timarcho dedit, et Leuconidem Philotadis affinem, et pactionis exemplum recita, ut videant quo pacto causam vendiderit.

TESTIMONIUM. PACTIO.

25. Qualis igitur in cives et cognatos suos fuerit, et patrimonium quam turpiter absumpserit, et ut suum corpus affici probris non recusarit, id quidem scivistis, prius etiam quam ego dixisset: sed et mea vos oratio, quantum satis est, commonefecit. Reliqua porro mihi duo sunt accusationis genera: de quibus ut et ego ita dicere queam pro republica, ut institui, deos immortales precor: et vos ea quæ dicturus sum, attente atque intelligenter audire vellem. Continet autem prior mea oratio prænarrationem defensionis, quam institutam esse audio: ne ea prætermissa, is qui se dicendi artem ad-

lescentes edocturum pollicetur, fraude aliqua injecta, id vobis eripiat quod est e republica. Altera, cohortationem civium ad virtutem. Multos enim et adolescentes et senes adstare judicio video: neque paucos etiam e reliqua Græcia ad audiendum convenisse: quos adesse non mei, sed vestri potius spectandi causa, putare debetis: ut intelligent, an non modo bonas leges sancire sciatis, sed etiam, quæ honesta, quæ inhonesta sint, rite dijudicare queatis: et an honorem habere sciatis viris bonis: et an velitis eos punire, qui sic vitam instituerunt, ut ea in reipublicæ ignominiam redundaret. Dicam autem primum apud vos de defensione. Nam eloquentiæ copiis affluens Demosthenes ait, vobis aut delendas esse leges, aut non dandum esse locum orationi meæ. Admiratur enim, si vos omnes non memineritis, senatum quotannis vendere vectigal mere-tricum: ejusque vectigalis redemptores non conjectare, sed compertum habere, qui faciant eum quæstum. Postquam igitur ego ausus sim ad prætorem referre, Timarcho non licere conciones habere, ut qui pudicitiam prostituerit: postulare hoc negotium non crimen accusatoris, sed testimonium redemptoris, qui vectigal istud a Timarcho collegerit. Ego vero, Athenienses, considerate, an ad hæc simpliciter liberaliterque sim responsurus. Nam me civitatis pudebit, si Timarchus, qui populo sit a consiliis, qui legationes in Græcia obire audeat, non totam rem a se amovere studuerit, sed de locis interrogavit, ubi sederit, et publicanos, an se unquam meretricium vectigal exegerint. Hac igitur defensione vestra causa cedat. Ego vero aliam rationem tibi suggestam, honestam et æquam: qua utaris, si nullius tibi turpitudinis es conscientis. Audeto judges intuitens ea dicere, quæ dicenda sunt viro modeste ætatis flore uso: Athenienses, ego a pueritia et adolescentia sum apud vos educatus: neque vero studiis obscuris occupor, sed vobiscum conspicior in concionibus. Arbitror autem, si id crimen, cuius arguor, apud alias mihi defendendum esset: vestris testimoniis me. accusatoris orationem facile fuisse refutaturum. Neque enim tum duntaxat, si quid istorum egi, sed si vobis egisse videor vitam ab istis criminibus non abhorrentem: vitam posthac acerbam mihi existimans, non recuso quo minus civitas de me supplicium sumat, ut se apud Græcos excusare queat: neque ad vos deprecandi causa venio, imo interficitote me, si talem existimatis.—

26. Hæc, Timarche, defensio fuerit viri boni et modesti, et vita anteacta freti, et omnia maledicta non sine ratione contemnentis: quæ vero dicendi Demosthenes tibi auctor est, ea non sunt hominis ingenui, sed scorti, de locis contendentis. Quoniam autem ad cognomenta domiciliorum confugis, et rem ostiatim coargui postulas, ubi sederis: auditis iis quæ dicturus sum, eandem orationem si sapis non repetes. Neque enim domicilia aut habitationes cogno-

menta faciunt habitatoribus, sed habitatores suorum studiorum cognomenta locis induunt: id quod pluribus exemplis ostendi supervacaneum est. Nam si in earum tabernarum quae in viis sunt quapiam medicus habitarit, ab eo cognomen sumit: ubi is emigrarit, ac faber aerarius immigrarit, amisso priore aliud accipit; eodemque modo si fullo, aut alias opifex, aut leno. Quod si lupae, ab eo quæstu lapanar appellatur. Tu igitur, qui in isto genere tam fueris expeditus et facilis, multa tibi lapanaria effecisti. Ne igitur, ubinam feceris interroga: sed hoc te fecisse nega.

27. Afferetur porro alia quoque oratio ab eodem rhetore composita. Ait enim fama nihil esse iniquius, circumforanea argumenta et vitae sue omnino consentanea proferens. Primum aedes in Colono, quae Demonis dicantur, falsum habere cognomen: neque enim esse Demonis. Deinde Mercurium, qui Andocidis vocetur, non esse Andocidis, sed Aegeiae tribus donarium. Interseret etiam se ridiculi gratia, quippe homo suavis, et in privatis congressibus facetus: nisi me quoque inquit, moveri oportet turbæ dictorio, ut qui non Demosthenes nominer, sed Batalus, quod id cognomen per nutricis cuiusdam blanditias tributum mihi fuit. Quod si Timarchus formosus fuit, atque ob ipsius formæ crimen, et non propter facinora sua, male audit: non ideo profecto, inquit, eum plecti oportet. Ego vero, Demosthenes, de donariis et ædibus et possessionibus, omnibus denique rebus multis, multas ac varias, neque unquam inter se consenteientes orationes haberi audio. Neque enim eis insunt vel honestæ vel turpes actiones, sed quisvis qui eas attigerit, quique illo accesserit, pro magnitudine sue opinionis, famam de iis spargit: de vita autem hominum et oratione et actionibus, vera quidem et minime fallax ultra fama per urbem oberrat, et vulgo actiones privatas nunciat: multa etiam de rebus futuris vaticinatur. Atque id quod dico, adeo est evidens, et non commentitum, ut inventuri sitis nostram civitatem et maiores nostros aram Famæ, ut maximæ deæ, consecrassæ: et Homerum in historia Trojani belli, saepè dicere, antequam aliquid eveniat quod futurum est,

Fama in castra venit.

Euripidem item pronunciare, deam hanc non viventes tantum posse ostendere quales sint, sed et defunctos, cum ait:

Bonum vel imis Tartari recessibus
Vetat latere Fama.

Hesiodus autem plane deam illam esse demonstrat, idque perspicuis verbis, si quis scire cupiat. Ait enim:

Quam populi serim celebrat creber, irrita nunquam
Fama cadit penitus: dea quædam eum sit et ipsa.

Et haec poemata laudari ab iis omnibus qui honeste vixerunt repe-

rietas; omnes enim honoris publici appetentes, gloriam se a bona fama consecuturos arbitrantur: quorum autem vita turpis est, ii non honorant hanc deam, ut quam immortalem habituri sint accusatricem. Recordamini ergo qualem de Timarcho famam audiatis. Nonne statim audito nomine rogatis, quis Timarchus? Num ille impudicus? Jam si de re aliqua testes produxissem, crederetis mihi: at ubi deam produxero testem, non credetis? In quam vel solam falsi testimonii actio non competit. Nam quod etiam ad Demosthenis cognomentum attinet, non male certe quidem is, haud sane a nutrice, verum a fama Batalus appellatur: nomen id ex' mollitie quadam, et indignis viro modesto gestibus assecutus. Si quis enim tibi elegantes istas lœnas avulsas, et molles tuniculas, in quibus illas in amicos orationes scribis, allatas judicibus in manus tradat, equidem arbitror eos, nisi præmoniti fuerint, dubitatueros, virine an mulieris vestem accepissent.

28. In causæ porro dictione adscendet etiam imperator quidam, ut audio, resupinato vultu sese respectans, ut in palæstris et hujusmodi exercitationibus versatus: qui constitutionem totius causæ convellere nitetur, me non judicium dictasse, sed magnæ inscitiae principium apportasse dicens: ac primum commemorabit viros de vobis benemeritos, Harmodium et Aristogitonem, eorumque fidem mutuam, et consecutas ex ea reipublicæ utilitates: neque etiam, ut aiunt, Homeri versibus abstinebit, aut heroicis nominibus, sed et Achillis et Patrocli ortam ex amore amicitiam, ut fertur, celebrabit, et formam, quasi vero ea non olim in felicitatis numero ponatur cum modestia conjuncta, nunc laudabit. Nam si calumnia quorundam efficiet, ut corporis decor aliquibus calamitati sit, non ea vos publice decreturos dicent, quæ privatum exoptetis. Absurdum enim videri sibi, cum omnes vos liberis operam daturi, vota faciatis, ut filii nondum nati forma præstantes, et civitate digni evadant: eos qui jam nati sunt, quos rempublicam laudi sibi ducere conveniat, si formæ elegantia præstantes, aliquos in sui admirationem convertant, et contentione quadam amoris expetantur, a vobis Æschini obsecutis ignominia notari. Et hoc in loco, ut audio, me quoque perstringet, rogitans, an me non pudeat, cum ipse in gymnasiis frequens, et plurimorum amore captus fuerim, eam rem efficiam ignominiosam et periculosam; postremo, ut quidam mihi nunciant, vos ad risum etnugas cohortans, se vobis monstraturum dicet, quam multa in quosdam amatoria poemata fecerim: ac testes producturum pollicebitur, de conviciis ac verberibus ob eam rem mihi factis. Ego vere nec honestum amorem reprehendo, neque homines forma præstantes impudicitiae arguo, nec ipse inficias eo, me propensum esse ad amores, neque etiam æmulationes et pugnas cum aliis, hodie quoque ex ea re oriri solitas, et mihi accidisse nego. De poematis autem quæ me

fecisse dicunt, eorum quædam agnosco, quædam ita esse, ut ab istis corrupta proferuntur, non concedo. Amorem porro honestorum et modestorum, humani affectus et liberalis animi esse statuo : sed pecunia redimendi aliquem petulantiam, viri injurii et insciti munus esse arbitror. Atque etiam citra corruptelam amari, honestum esse affirmo : sed mercede adductum se prostituere, turpe. Quantum autem inter horum utrumque intersit, quantoque opere differant, post vos edocere conabor. Patres enim vestri, cum de vitæ ratione, iisque tum malis leges ferrent, quæ naturæ afferret necessitas, tum bonis quæ ingenuos affectare deeret, hæc servis interdixerunt : servus, inquit lex, non exerceatur nec pulvere aspergatur palæstris. Neque vero adscripsit etiam : ingenuus autem ungatur et exerceatur. Nam ubi legumlatores perspecta exercitationum honestate, ab earum usu servos repulerunt, eadem lege putarunt, qua illos prohiberent, se ingenuos exhortari ad exercitationes. Rursus idem legislator edixit, ne servus ingenuum puerum vel amet vel assectetur, aut publico flagello L. plagis afficiatur. Ingenuo autem non interdixit, ne vel amaret, vel colloqueretur, vel assectaretur : neque id puero incommodare, sed integratatis testimonium perhibere putavit. Nam cum idem nondum sit eo judicio prædictus, ut verum amatorem a falso possit discernere, ipsum amatorem castigat, et amicitiae dijudicationem ætati prudentiori et graviori asservat: assecrationem porro et inspectiōnem, modestiæ custodiam esse maximam existimavit. Proinde viros de republica bene meritos, et virtute præstantissimos, Harmodium atque Aristogitonem, modestus ille ac legitimus, sive amor sive mos est appellandus, sic erudiit, ut qui eorum facta celebrant, laudes rerum ab illis gestarum non assequi videantur.

29. Quando autem Achillis et Patrocli meministis, atque Homeri, aliorumque poetarum, quasi judices nullis disciplinis sint erudit, vos autem gravitatem quandam affectatis, et populo majorem eruditioñem : ut videatis nos quoque jam aliquid audivisse ac didicisse, hisce de rebus et ipsi aliquid disseremus. Postquam enim eruditorum hominum facere mentionem, et ad expositas versu sententias confugere instituunt, videte, Athenienses, poetis omnium consensu præstantibus et bonis consideratis, quantum interesse existimarint inter modestos, ac sui similium amantes, et inter immodestos, qui ea desiderant quæ non decet, ac contumeliosos. Primum autem de Homero dicam, quem in antiquissimis et sapientissimis poctis numeramus. Qui cum multis locis Patrocli et Achillis meminerit, amorem et cognomentum amicitiae illorum dissimulat, cum insignem illam benevolentiam eruditis auditoribus esse conspicuum existimet. Quodam enim loco Achilles Patrocli necem deplorans, ut rem earum rerum quæ sibi acciderint omnium acerbissimam :

dum recordatur, se invitum fefellerisse fidem Menœtio, Patrocli patri, datam : cui promisisset, se Patroclum, Opuntem salvum reductum—fuit enim Opuntius—, si eum secum ad Trojam ablegasset, et fidei sue commisisset : unde apparet eum amoris causa illius curam suscepisse : eos versus posuit, quos ego nunc recitabo :

Heu quam stulta meæ venit sententia menti,
Quo spondere die potui tibi, clare Menœtî,
Incolumem, illustremque ad Opuntia mœnia natum
Eversa Troja, spoliis insignibus auctum,
Victorem? Sed non deus omnibus omnia vota
Indulget : siquidem sic impia fata tulerunt,
Nos eadem ut tegeret tellus, utriusque cruento
Sparsa ruberet humus.

Neque vero hic duntaxat lamentatur, sed eum adeo vehementer luget, ut cum a Thetide matre audisset, se, si hostes non persequeretur, sed inultam Patrocli nccem pateretur, domum reversum, senem in sua patria obitum : sin ultus esset, celeriter vitam cum morte commutaturum, fidem erga mortuum suæ prætulerit incolumentati. Tantaque animi magnitudine ad ulciscendum illius interfectorum properarit, ut omnibus eum consolantibus, et lavare ac cibum capere jubentibus, abjurarit se quicquam illorum facturum, priusquam caput Hectoris ad Patrocli sepulcrum attulisset. Ei porro in rogo dormienti, ut ait poeta, simulacrum Patrocli obversatum, hujusmodi r̄erum memoriam refricat, et ea mandat Achilli, quæ nobis lacrymas excutere possint, et efficere, ut virtutem eorum atque amicitiam admireremur. Nam eum jubet, præfatus in primis illum etiam non longe a morte abesse, si quo modo fieri possit, dare operam, ac providere, et quemadmodum una sint educati et versati, sic eorum ctiam defunctorum ossa eodem in loculo reponantur. Præterea lamentans, et actam una vitam recensens, ait, se posthac maximis de rebus, ut soliti prius fuerint, in eodem consessu, scorsim a ceteris non esse deliberaturos : fidem, opinor, et benevolentiam, rem summi esse desiderii existimans. Ut autem poetæ s̄ententias versibus inclusas audiatis, recitabit vobis scriba versus quos his de rebus fecit Homerus. Eos primum narrâ, quos de Hectoris supplicio fecit.

Nunc postquam, Patrocle, tuæ sum postera vitæ
Tempora sortitus, non ante ego debita solvam
Funere justa tuo, quam hoc Hectoris arma superbi
Et caput attulero.

Recita ergo ea quæ Patroclus in somnis illi dicit de communī sepulitura, et de vitæ actæ una consuetudine :

Non dabitur tecum posthac de rebus agendis
Consulere, ut nuper viventes fecimus ambò :

Sed moletiferi cohibet vis ferrea fati,
 Quod mibi nascenti sævæ statuere sorores.
 Hoc quod te quoque, Achille, manet, sub mænibus altis
 Laomedontæ parvo post tempore Trojæ.
 Hoc quoque te repetens itcrumque iterumque precabor,
 Ne procul a nostris tua mandes ossa reponi
 Ossibus : et quoniam primos simul egimus annos,
 Cum puerum pater ex Opoente Menœtius olim
 Me tulit ad vestros studio properante penates,
 Tempore quo infelix natum Amphidamante peremí
 Ludendo invitox : tum me domus inclyta Pelei
 Suscepit, cura et tecum nutritivit eadem :
 Nunc etiam nostra ossa una condantur in urna
 Coniuncta aurcola, sed quæ capere utraque possit,
 Quam tibi (nam memini) dono dedit inclyta mater.

Licuisse porro ei esse incolumi, nisi Patrocli necem ultus esset, ea legito quæ Thetis ait :

Et te, sicut ais, cita mors manet, inclyte fili :
 Sed prius Hectoreo tinges in sanguine dextram,
 Cni vitam eripes, cuius tu fata sequeris
 Temporis exigui spatio. Sic dixit, at illi
 Reddidit ex ino suspiria pectore ducens
 Filius Æacides : equidem, carissima mater,
 Sicut ais, moriar, quando jacet iste meorum
 Optimus, et longe huic animo carissimus idem,
 Cui non auxilio potui, non esse saluti,
 Ne procul a patria, Trojæ sub mænibus altis,
 Hostili caderet perfossus pectora ferro.

30. Jam qui nulli poetarum sapientia cedit Euripides, in rebus honestissimis amorem modestum numerans, quodam eum loco votis exoptans, sic ait :

Amor modestus, et virtutis assecula,
 Est expetendus, isque contingat mihi.

Rursus idem poeta in Phœnlice, de calumnia qua delatus fuerat apud patrem, pronunciat, se defendens et homines consuefaciens, ne ex suspicionibus aut criminacionibus, sed ex anteacta vita judicium faciant :

Jam sæpe lectus acris litis arbiter,
 Cum multa concurrensen dicta testium,
 Statui diversum, causa adductus unica.
 Et ego quidem sic (ratio ut ipsa postulat)
 Inquiero vera, mores intuens viri, et
 Quotidiaue vitæ consuetudinem.
 Namque improborum cni placet sodalitas,
 Is qui siet vir, non rogo : sciens satis,
 Sodalium illum convenire moribus.

Considerate sententias, Athenienses, quas pocta profert. Ait se jam multarum rerum fuisse disceptatorem, ut et vos nunc judices: seque asserit judicia non e testimoniis, sed e studiis et familiaritatibus fecisse: illuc respicientem quæ fuisse reo quotidianæ vitae consuetudo, et ut suam familiam gubernasset: quasi eodem modo et rem publicam esset administraturus: et quorum commercio gavisus esset, denique pronunciare non dubitat, talem eum esse, quales ii sint, quorum consuetudine delectetur. Æquum igitur est, vos de Timarcho etiam iisdem cum Euripide uti rationibus. Quomodo suam rem familiarem curavit? Patrimonium et suum et amicorum per luxum absumpsit, prostituta mercede pudicitia, acceptisque ob rem judicandam muneribus omnia strenue confecit, ut nihil ei sit reliquum præter dedecus? Cujus autem consuetudine delectatur? Hegesandri. Hegesandri porro studia quæ sunt? Ea, propter quæ legibus a concionibus habendis repellitur. Ego vero de Timarcho quid dico? Et quænam ad prætorem retuli? Ne conciones habeat Timarchus, pudicitia prostituta, et per luxum absumpto patrimonio. Vos quid jurastis? De iis rebus pronunciatiuros, quæ in accusatione præscriptæ sint.

31. Ne vero poetarum auctoritate inculcanda sim prolixior, virorum dicam seniorum, notorumque vobis nomina, adolescentum item et puerorum, quorum alii ob formæ venustatem multos habuerunt amatores, alii per ætatem nunc etiam habent: quorum nemini unquam eadem quæ Timarcho crimina sunt objecta. Vicissimque vobis commemorabo nomina hominum, qui libidini turpiter aper-teque indulserunt: ut vos eorum recordati, Timarchum in convenientem ei ordinem reponatis. Primum autem commemorabo ingenuorum nomina, qui ætatem honeste exegerunt. Nostis, Athenienses, Critonem Astyochi, et Periclidem Perithœdæ F., et Polemagenem, et Pantoleontem Cleagoræ F., et Timesitheum cursorem, qui non civium duntaxat, sed et Græcorum omnium formosissimi fuerunt, atque amatores plurimos et modestissimos habuerunt: tamen nemo unquam eos vituperavit. Rursus ex adolescentibus, et iis qui etiam nunc inter pucros censemur, primum Iphicratis ex fratre nepotem, Tisiæ Rhamnusii F., Timarcho nunc reo cognominem, qui cum sit decorus adspectu, tantum abest a turpitudine, ut nuper, cum in suburbanis Bacchanalibus comœdiæ in Colytto agerentur, et Parmeno comicus histrio dixisset ad cœtum versum anapesticum: esse quosdam magnos catamitos, Timarcho similes: nemo id in adolescentem, sed in te omnes dici putarint. Adeo illius studii crevisti hereditatem. Anticlem porro cursorem, et Phidiam Milesii fratrem. Cum autem multos adhuc haberem commemorandos, desinam, ne de industria gratiam illorum videar aucupari. Jam de illis qui sunt Timarcho similes, quamvis inimicitias fugiam, tamen eorum quos

minime curo faciam mentionem. Quis enim vestrum Diophantum, qui orbus appellatur, non novit? Qui hospitem ad prætorem traxit, cuius assessor fuit Aristopho Azeniensis: conquestus se quatuor ab illo drachmis ob eam rem promissis, fraudari: et leges recitavit, quæ prætorem pupillorum curam gerere jubent: neglectis iis, quæ modestiæ tuendæ causa latæ sunt. Eum ergo quis non oderat? Quis civium non aversabatur Cephisodorum, qui Molonis F. nominabatur, quod pulcherrimi adspectus elegantiam summis probris contaminarat? Aut Mnesitheum, qui Magiri (coqui) F. dicitur, aut multos alios, quorum ultro obliscor? Neque enim eorum quemlibet acerbe et nominatim recensere volo: sed multo magis optarim, in oratione me talium factorum inopia laborare, pro mea erga urbem benevolentia. Sed quia utrorumque quosdam delectu habito commemoravimus, seorsim eos qui ob modestiam diliguntur, eos item seorsim, qui semetipsos violent: vos jam ad quæstionem hanc respondeatis mihi velim, in utro Timarchum ordine collocetis? Eorumne qui diliguntur, an qui pro scortis subiguntur? Ne igitur ea quam delegisti classe relicta, pro transfuga in cœtus ingenuorum irrumpto.

32. Quod si dicere instituerint, non in scortorum numero habendum esse, qui non ex syngrapha fuerit mercede elocatus, ac postularint, ut tabulas et testes exhibeam: vos primum memineritis legum de impudicitia, in quibus nullam pactionum mentionem fecit legislator. Neque enim an aliquis ex syngrapha se coinquinarit, id spectavit, sed omnino, quoctunque modo res acta fuerit, eum qui fecerit, administratione reipublicæ abstinere jussit. Idque merito. Nam qui adolescens ob turpes voluptates gloriam honestatis neglexisset, eum non censuit legis auctor, ætate provectiore ullum oportere honorem consequi. Deinde rationis istius ineptias facile est ostendere. Omnes enim fatemur, nos pactiones inter nos ex diffidentia facere: ut qui eas servarit, judicio pœnas de eo sumat, qui fidem fregerit. Igitur si impudicorum actio judicium ex syngrapha postulat, si injuriis afficiantur: earum legum quas isti profierunt, præsidium eis est reliquum. Ecquæ autem utriusque possit esse oratio? Putate enim vos, rem non a me narrari, sed a vobis aspici. Esto enim conductor æquus in contractu, conductus autem iniquus, et inconstans: aut contra conductus æquus, et stans consentis, alter natu grandior, et conductor fallax. Vos ipsis autem pro tribunali sedere fingite. Itaque natu major, dato sibi tempore dicendique potestate, seriam accusationem instituet, vos nimirum intuens: conduxi, Athenienses, Timarchum, ut meum scortum esset, ex tabula, quæ sita est apud Demosthenem,—nihil enim prohibet ita dici—, neque vero ille stat pactis, eaque jam exponit scilicet, ac judicibus narrat, quæ tali homini facienda sint. Nonne vero is qui

Atheniensem contra leges conduxerit, lapidibus obruetur, atque e judicio discedet, non sexta duntaxat aestimatæ litis parte condemnatus, sed et ob contumeliam punitus? Verum non ille, sed conductus litem intendat, et sapiens iste Batalus causam illius agat: ut videamus quid dicturus sit. Conduxit me, judices, ad libidinem pecunia sua, quicunque sit,—nihil enim interest, si ita dicatur,—, ac ego omnia et feci, et adhuc facio, ut tabulæ jubent, quæ scorto facienda sunt. Iste autem fidem frangit. Nonne vero magnum clamorem tollent judices? Quis enim non dicet: et adhuc in forum prodit? Aut coronam gestat? Aut aliquid eorum agit quæ non agimus? Itaque nulla est syngraphæ utilitas. Unde autem inoleverit consuetudo illa, ut dicatur, quosdam ex tabulis sui fecisse copiam, jam explicabo. Quidam civium—nomen taceo, vitandæ offensionis causa—nulla earum rerum habita ratione, quas paulo ante apud vos commemoravi, fertur contra pactionem, apud Anticlem sitam, se prostituisse: et is quidem non homo plebeius, sed rempublicam administrans: qui cum dicteriis incessi soleat, effecit, ut hæc oratio de more usurparetur in urbe: eaque de causa quidam interrogent, an res ex syngrapha sit peracta? Legislator autem non curavit, quo pacto res facta sit: sed si ullo pacto locatio intercesserit, eum condemnavit, qui dedecus in sese admisit.

33. Quæ quamvis tam aperte constituta sint, tamen a Demosthene multæ verborum cavillationes interponentur. Ac eæ quidem imposturæ, quas rei natura postulat, æquiore animo ferri possunt: quas vero extrinsecus infarciet, ad jura civitatis corrumpenda, eæ demum dignæ sunt iracundia. Frequens enim erit Philippi mentio: admiscebitur etiam nomen pueri Alexandri. Nam præter cetera mala, iste a musis alienus et rufus homo est. Nam oratione Philippum perstringere, est illud quidem inscitiae et importunitatis: minus tamen delictum eo quod dicturus sum. Nam ei quem virum esse constat, convicia dicet, cum ipse vir non sit. Cum vero excogitatis in puerum translationibus verborum, turpes suspicione injecerit, ridiculam faciet civitatem. Quasi enim rationes obitæ legationis, quas redditurus sum, læsus ait: cum ipse nuper apud senatum de pueru Alexandro dixisset, eum in compotatione nostra citharam pulsasse, et dicta quædam recitasse, et cum alio pueru esse æmulatum: cumque de his quid sentiret, apud senatum exposuisset, doluisse me, non ut legationis collegam, sed ut pueri cognatum, ob illa dicteria. Ego vero cum Alexandro non collocutus sum ob ætatem illius, Philippum autem nunc ob orationis commoditatem laudo: qui si re ipsa sic erga vos se gesserit ut nunc benigne pollicetur, tutam et facilem efficiet laudandi sui rationem. Objurgavi autem Demosthenem in curia, non pueri demerendi causa, sed, quod ex-

istimabam, vos si talia probaretis, similem fore de civitate atque de dicentis immodestia opinionem.

34. In universum denique, Athenienses, a re alienas defensiones repudiatote, primum ob jusjurandum quod dedistis, deinde ne fallamini ab homine artifice dicendi. Sed paulo altius incipiam docere vos. Demosthenes, cum patrimonium absumpsisset, per totam urbem circumibat, ut pupillos adolescentes divites venaretur: quorum patribus defunctis, matres familiam gubernabant. Multis autem præteritis, unius mentionem faciam, cum quo inique actum est. Cum enim locupletem domum conspexisset, quæ non recte gubernabatur, ut cuius dux esset mulier, superba illa quidem, sed minime cordata, adolescentis autem pupillus vcsanus, opum administrator, Aristarchus Moschi F., hujus se amatorem esse simulavit: ad eamque amicitiam adolescentem invitavit, et vana spe inflavit, pollicens, eum, quod ad eloquentiam attineret, brevi oratorum principem futurum. Talium autem ei operum auctor et magister factus est, ob quæ et ille patria exsulat, et iste tribus eum talentis exsilio viatico spoliavit: et Nicodemus Aphidnæus violenta morte ab Aristarcho occubuit miser exsectis etiam oculis ambobus, et lingua præcisa, qua libere locutus fuerat, legibus fretus et vobis. Et vos, Athenienses, Socratem sapientem illum occidistis, quod Critiam instituisset, unum xxx. virorum, qui populum oppresserunt: Demosthenis autem precibus, qui ab hominibus indoctis et popularibus propter æqualitatem juris tantas pœnas sumit, condonabitis alios? Ad quem audiendum, rogatu ejus, quidam adolescentes veniunt. Pollicetur enim eis, quæstu in vestram fraudem instituto, ut ego audio, se occultis artificiis mutaturum et causam et auscultationem vestram, atque effecturum, ubi ipse prodierit, ut et reus bono animo sit, et accusator percellatur, et de se ipso sit in metu: et tot ac tantos tumultus a judicibus evocaturum, meis concionibus inserendis, et pace per me et Philocratem facta reprehendenda, ut ne in judicium quidem venturus sim ad mei defensionem, cum obitæ legationis rationes reddendæ mihi erunt: sed mediocrem mulctam æqui bonique facturus, modo ne capitatis condemnner. Nullo igitur pacto, judices, contra vos ipsos isti rhetori risum et ludum præbueritis: sed putate videre vos e foro domum reversum, et gloriantem in adolescentulorum cœtu, et commemorantem, quam commode judicibus causam extorserit. Nam abduxisse eos a criminibus Timarcho objectis, et magna vi ad accusatorem et Philippum et Phocenses traduxisse; et eum metum auditoribus injecisse, ut et reus accusaret, et accusator causam diceret: et judices, cujus rei essent judices, obliti essent, ea vero audirent, quorum judices non essent. Vestrum autem officium est, ut istis vos artibus opponatis, ut ubique

istum assetemini, neque usquam aberrare patiamini, aut rationibus alienis a causa niti: sed, quemadmodum in decursionibus equestribus, in ipsum negotii cursum compellatis. Quæ si feceritis, non contemnemini, sed iisdem animis eritis in sententiis dicendis, quibus estis in legibus ferendis: sin minus, existimabunt, vos, cum committenda erunt maleficia, præsentire atque irasci, ubi commissa fuerint, nihil ea curare. Ac ut summatim dicam, si puniveritis maleficos, leges vestræ et honestæ erunt et ratæ: sin absolveritis, honestæ duntaxat, non item ratæ.

35. Quibus autem de causis hæc dicam, non dubitabo libere apud vos exponere, idque adducto exemplo. Cur putatis, Athenienses, leges vos habere bonas, decreta vero deteriora, et sententias judiciorum aliquando reprehendi? Ego causas ostendam. Quod leges sancitis, omnis æquitatis habita ratione, non injusti lucri causa, non ex inimiciis, sed in ipsam justitiam duntaxat et utilitatem intuentes; cum autem dexteritate ingeniorum aliis antecellatis, non mirum est, vos pulcherrimas sancire leges: in concionibus autem et judiciis, sæpe neglectis ipsorum negotiorum rationibus, ab impostoribus et ostentatoribus in fraudem illicimini: consuetudine in controversias omnium injustissima introducta. Permittitis enim, ut ii qui causas dicunt, recriminentur eos, a quibus accusantur. Itaque avulsi a defensione, animisque ad alia traductis, in accusationis oblivione impulsi, e prætoriis disceditis, de neutro pœnis sumptis: neque de accusatore, —calculus enim contra eum non datur—, neque de reo. Aliis enim criminandis, objectasibi crimina propulsando effugit ejudicio: leges autem abrogantur, et respublica interit, et consuetudo hæc late vagatur. Facile enim sæpenumero absque vita honesta probatis orationem. Lacedæmonii vero non ita faciunt: honestum autem est, etiam exterorum virtutes imitari. Nam cum quidam apud illos concionem habuisse, vir ut vitæ flagitiosæ, ita summæ eloquentiæ, atque Lacedæmonii, ut aiunt, in ejus sententiam ituri essent, senum quidam prodiit, quos illi et verentur, et metuunt: est enim moris eorum, summum magistratum, illius ætatis cognomento honestare: deliguntur autem homines, qui a pueritia usque ad senectutem modeste vixerunt: horum igitur unus prodiisse fertur, et acriter objurgasse Lacedæmonios, ac tale quoddam in eos maledictum jecisse, non diu Spartam fore ab hostili violentia incolumem: si talibus in concione suasoribus uterentur. Eademque opera accersisse alium quendam Lacedæmonium, virum haud sane disertum, sed rebus bello gestis illustrem, justitiaque et continentia præstantem: ac jussisse, ut easdem sententias, quas prior ille orator dixisset, pro sua virili utcunque repeteret: ut, inquit, Lacedæmonii de viri boni sententia decernant, ignavorum autem atque improborum hominum ne vocem quidem auribus admittant. Hæc senex ille, a puerō tem-

peranter acta ætate, suis civibus consuluit. Qui num Timarchum, aut cinædum Demosthenem, rempublicam administrare passus esset?

36. Ne vero Lacedæmoniis assentari videar, majorum etiam nostrorum mentionem faciam. Hi enim tam inquis animis probra ferebant, suorumque liberorum modestiam tanti faciebant, ut civium quidam, deprehenso filiæ suæ stupro, cum puella formam suam usque ad nuptias non diligenter custodisset, eam una cum equo in desertam domum incluserit: a quo in illo carcere citra dubitationem fame efferato interitura esset. Ac solum illius domus etiam nunc in vestra urbe exstat, et locus ille *Ad equum et puellam* appellatur. Solo autem, legumlatorum celeberrimus, scripsit more antiquorum, et graviter de disciplina matronarum. Mulierem enim, apud quam adulter fuerit deprehensus, ornari non sinit, nec in fana publica ingredi, ne suo interventu integras matronas corrumpat: quod si intraverit, aut sese ornaverit, quemvis dilacerare ejus vestimenta, et ornatum diripere jubet, et eam verberare, hactenus tamen, ne vel occidat, vel mutilet: sic talem mulierem omni dignitate privat, et vitam ei acerbam reddit, ac morte duriorem. Lenones item accusari jubet, et convictos capite plecti: propterea quod, mercede locata sua impudentia iis, qui quidem delinquere cupiunt, et tamen inter se colloqui dubitant ac verentur, efficere solent, ut periculum faciant et colloquantur.

37. Patres igitur nostri sic de turpibus rebus et honestis statuerunt: vos autem Timarchum turpissimis studiis obnoxium absolvetus? Qui cum vir sit, et masculo corpore, muliebria in se probra admisit. Quis ergo vestrum uxorem in scelere deprehensam ulcisetur? Aut quis non rudis existimabitur, si ei succenseat, quæ secundum naturam deliquerit: cum ejus consiliis auscultet, qui scelere, a quo natura abhorret, se contaminarit? Quo porro animo quis vestrum e prætorio domum revertetur? Neque enim reus obscurus est, sed nobilis: neque lex de oratorum exploratione mala, sed pulcherrima: jam pueri etiam et adolescentuli statim necessarios suos cupide interrogare solent, quo pacto causa sit dijudicata. Quid ergo dicetis, qui nunc cum potestate ferendæ sententiæ estis, ubi vos liberi vestri rogarint, utrum eum condemnaveritis, an vero absolveritis? Nonne eadem opera, vos Timarchum absolvisse fatebimini, et publicam disciplinam evertetis? Quæ porro utilitas erit alendi paedagogos, aut lanistas et magistros præficiendi pueris, ubi ii, quorum fidei leges commissæ sunt, probris ad misericordiam flectentur? Illud etiam in vobis miror, Athenienses, si lenones odistis, eos autem qui pudicitiam ultro prostituerunt, absolvetus. Igitur idem iste vir nullius dei sacerdotium sortietur, ut qui non puro corpore sit, quemadmodum leges jubent: in decretis autem, vota pro

republica faciet severis deabus. Quid ergo miramur publice nihil rite geri, cum istiusmodi oratorum nomina plebiscitis inscribantur: cum eum qui domi turpiter vixit, legatum extra urbem mittamus, eique de rebus maximis fidem habeamus? Quid autem non venderet is, qui corporis dedecus pecunia addixit? Cujus ille miserebitur, qui sui ipsius misertus non est? Cui porro vestrum non satis nota est Timarchi improbitas? Ut enim pugiles, tametsi in gymnasii non adfuerimus, considerato habitu corporum cognoscimus: sic profligatae libidinis homines, tametsi facinoribus eorum non interfuerimus, ex impudentia atque audacia et quotidianae vitae consuetudine agnoscimus. Qui enim maximis in rebus leges et modestiam despexit, habitum quandam animo suo impressit, qui ex immodestia morum elucet. Invenietis etiam plurimos ex isto hominum genere, qui et urbes everterint, et in maximas ipsi calamitates inciderint. Neque enim putetis, Athenienses, facinorum initia a diis, non ab hominum petulantia proficisci: aut impios homines, ut in tragœdiis, a furiis agitari, et facibus ardentibus puniri: sed temerariæ corporis voluptates, et inexplebilis cupiditatis sitis, hæc demum sunt unde latrocinia existant: hæc in myoparones piraticos impellunt: hæc unumquemque cruciant: hæc adolescentes inducunt ad ciues occidendos, ad tyrannos custodiendos, ad rempublicam opprimendam. Neque enim aut ipsius rei dedecus, aut suppliciorum atrocitatem considerant, sed spe successuum deliniti ruunt in facinus.

38. Exscindite igitur, exscindite, Athenienses, talia ingenia, et indolem adolescentum ad virtutis admirationem excitate. Unum autem quiddam satis scitote,—atque id quod dicturus sum, in memoria reponite,—si facinorum suorum pœnas Timarchus dederit, disciplinam civitatis erigetis: sin fuerit absolutus, præstitisset causam hanc in judicium non venisse. Nam priusquam Timarchus in judicium adduceretur, terrorem aliquibus incussit lex, et nomen judiciorum: si autem princeps improbitatis et nobilissimus, in judicium adductus evaserit indemnis, multos ad peccandum incitat, ac tandem vestram iracundiam non oratio, sed tempus ipsum commovebit. Ne vero eam in multos, sed in unum exserite, eorumque apparatum et advocationes cavete: de quorum ego nemine dicam nominativum, ne hoc orationis suæ principium sumant, se prodituros non fuisse, nisi nominativum compellati fuissent. Illud autem faciam, nominibus dissimulatis, eorumque studiis commemoratis, etiam personas reddam notas. Quod ut fiat, quisquæ ipse in causa erit si huc adscenderit, et frontem perfriuerit. Adsunt isti tria advocationes genera: alii, qui luxu quotidiano patrimonia sua exhauserunt: alii, qui flore ætatis et corporibus suis non recte usi sunt, nec de Timarcho sollicitantur, sed de semetipsis, suisque studiis, ne

quando in judicium adducantur: alii homines libidine perdit, quique istiusmodi hominibus ad satietatem sunt abusi, ut eorum auxiliis freti facilius quidam delinquent. Quorum defensionem antequam audiatis, qualem vitam egerint, recordamini. Ac eos quidem, qui sua corpora dedecorarunt, non vobis obturbare, sed concionibus abstinere jubete,—neque enim lex hæc in homines privatos, sed in magistratu præditos inquirit—: eos porro qui decixerunt, rem facere, et aliunde victimum quæritare jubete: qui vero adolescentulos venantur, qui facile se in fraudem sinunt illici, ad peregrinos et inquilinos converti jubete, ut nec ipsi suam cupiditatem non expleant, et vos nihil detrimenti capiatis.

39. Quæ igitur a me præstari fuit æquum, ea præstita sunt omnia; exposui leges, vitam rei excussi. Nunc vos estis meæ judices orationis, statim autem ego vester spectator ero; tota enim res jam a vestris pendet voluntatibus. Quod si vos voletis ea quæ justa sunt, atque expediunt, agere, excitabitur nostra alacritas ad eos inquirendos, a quibus leges violentur.

ARGUMENTUM ORATIONIS DE MALE GESTA LEGATIONE.

GESTO bello cum Philippo, Aristodemus tandem, Neoptolemus et Ctesipho, autores fuerunt Atheniensibus, pacis cum eo faciendæ. Itaque bis legatos miserunt, principio propter pacem, deinde ad exigendum jusjurandum. Inter quos utroque tempore Demosthenes et Æschines fuerunt. Ut igitur ex posteriore legatione ad jusjurandum exigendum missa reversi fuerunt, Æschinem Demosthenes et Timarchus perperam obitæ legationis accusarunt. Ac Timarchum quidem, antequam in judicium veniret ea causa, Æschines prostitute pudicitia convictum, in ordinem coegit: contra Demosthenem autem se defendit. Sunt qui dicant, utrumque has orationes scripsisse, sed non habuisse: sunt qui etiam habitas esse affirment, et Æschinem xxx duntaxat calculorum præsidio evasisse, atque absolutum esse Eubuli opera, viri in republica magnæ auctoritatis, non tamen ab omnibus liberatum ea sußpicio, quasi cum Philippo faceret, ut et ipse in exordio innuit, et Demosthenes in oratione de Corona. In primi exordii initio benevolentiam captat judicum, adversario et accusatione criminanda, et magnitudine periculi ac falsitate calumniæ conquerenda. In altera sententia, partem quandam accusationis perstringit, et magna gravitate confirmat, eam ipsa etiam judicum conscientia esse falsam. Quod et ipsum ad criminatioem adversarii pertinet. Referuntur et cetera deinceps, tum ad benevolentiam ipsi comparaudam, tum ad odium adversario conflandum.

ÆSCHINIS ORATORIS DE MALE GESTA LEGATIONE ORATIO.

1. Oro vos, Athenienses, ut me dicentem benevole audire velitis, considerata et periculi magnitudine, et multitudine criminum, quæ refutanda mihi sunt, et accusatoris artibus, insidiis atque crudelitate: qui non dubitarit eos viros exhortari, qui sacramento adacti sunt se æquis animis utrumque adversarium audituros, ut rei ne vocem quidem tolerent. Idque dixit, non per iracundiam,—nemo enim mentiens iis irascitur, qui iniquo crimine petuntur, et qui vera dicunt, ii dicendæ causæ potestatem non admunt reo, neque enim accusatio prius apud auditores valet, quam reus defensionis facultate concessa, objecta crimina refellere non potuerit; sed illud in causa est, quod Demosthenes veris orationibus non delectatur, ne-

que ita se paravit—, sed vestram iracundiam inflammare voluit, meque acceptorum munerum accusavit, homo ad eam suspicionem inferendam ineptus. Nam qui judices hortatur, ut largitionum corruptelis irascantur, eum oportet ipsum ab ejusmodi factis plurimum abhorrere.

2. Sic autem accidit, Athenienses, ut audita Demosthenis accusatione, neque unquam sic ut hoc die pertimuerim, nec magis indignatus sim quam nunc, neque etiam pari lætitia exultarim. Timui enim, idque nunc etiam me turbat, ne qui vestrum me ignorent, delimiti insidiosis istis et malitiosis contrapositis. Et extra me ipsum raptus sum, crimenque graviter tuli, cum me contumeliæ et prottervitatis in mulierem ingenuam et genere Olynthiam admissæ accusaret. Delectatus autem sum, cum eum id crimen tractantem ejecistis, quo facto, vitæ modeste actæ gratiam mihi persolutam esse existimo.

3. Vos igitur laudo, et singulari amore prosequor, qui vitæ reorum magis credatis, quam criminationibus inimicorum, ipse tamen hac defensione non cedam. Nam sive foris circumstantis coronæ,—fere autem maxima pars civium adest—, sive vestrum qui pro tribunali sedetis cuiquam persuasum est, me tale aliquid commisisse non tantum in hominem ingenuum, sed vel in quemlibet, reliquum vitæ mihi tempus acerbum puto. Quod nisi in defensionis progressu, et crimen illud esse falsum demonstraro, et qui id afferre ausus fuit, nefarium calumniatorem, etsi cetera omni criminе vacaro, mori non recuso.

4. Admirabilis illa etiam mihi visa est oratio, et supra modum injusta, cum vos percontaretur, num fieri posset, ut in eadem civitate Philocrates capit is condemnaretur, quod facinorum conscientia perterritus, judicio se non stitisset: ego vero absolverer. Ego vero ob idipsum maxime conservandum esse me arbitror. Nam si is qui ipse sese condemnavit, atque e medio excessit, peccat, is nimis qui sese absolvit, et corpus suum legibus et civibus tradit, non peccat.

5. De reliqua accusatione vos oro, Athenienses, si quid prætermisero, et silentio præteriero, ut me sciscitemini, et significetis, quid ex me audire velitis, meque sine præjudicio ullius delicti, sed pari benevolentia audiatis. Dubito autem unde mihi primum sit ordiendum, ob accusationis confusionem. Cujus dubitationis an causam habeam, sic considerate. Ego nunc in capit is discriminem sum adductus: accusationis autem maxima pars consumpta est criminando Philocrate, Phrynone, et reliquis legatis, Philippo item, et pace, et Eubuli actis. Atque iis omnibus ego sum insertus. Solum autem in tota oratione de rep. sollicitum esse appetet Demosthenem: ceteri omnes sunt proditores. Nunquam enim nos probris

afficere destitit, et falsa maledicta jacere, non in me duntaxat, sed etiam in ceteros. Quem vero sic deprimit, rursus mutata sententia, quasi Alcibiadem aut Themistoclem accusaret, quorum summa fuit inter Græcos auctoritas, criminatur, ut qui et Phocenses civitates everterim, et Thraciæ locum a vobis alienarim, et Cersoblepten etiam regno ejecerim, virum amicum et fœderatum civitatis: quin et Dionysio Siciliæ tyranno me comparare instituit, et bellua vos magna severitate et clamore multo est hortata, ut vobis caveretis, et Siculæ sacrificulæ somnium recitavit. Cum autem rem tantopere exaggerasset, invidit meis criminationibus, et causam rerum gestarum adscripsit non meis verbis, sed Philippi armis.

6. Contra igitur tantam audaciam et præstigias hominis, difficile est vel meminisse singula, et cum periculo dicere contra inexspectatas calumnias. Sed tamen qua ratione meam orationem dilucidissimam, vobisque notam et æquam fore arbitror, inde auspicabor: videlicet ab oratione de pace et delectu legationis. Sic enim ego maxime et meminero, et dicere potero, et vos rem cognoscetis.

7. Vos omnes illud ipsum meminisse arbitror, legatos Eubœensium, cum de pace a sese cum populo facienda egissent, dixisse, etiam Philippum nunciari jussisse vobis, se velle transigere vobiscum, et pacem agere. Non multo autem post, Phrynonem Rhamnusium a prædonibus esse captiuum in Olympicis induciis, ut ipse querebatur: eumque cum hoc rediisset redemptus, orasse vos, ut se legatum ad Philippum decerneretis, an forte pecuniam suam recuperare posset. Vos obsecuti, legatum ei adjunxit Ctesiphontem. Is hoc a legatione reversus, ea vobis renunciavit, ob quæ furerat missus, prætereaque dixisse Philippum, se et invitum vobiscum gessisse bellum, et nunc eo velle liberari. Quæ cum dixisset Ctesiphon, et magnopere humanitatem regis prædicasset, populus item eam rem valde probasset, ac Ctesiphontem collaudasset, nemo autem adversatus esset: ibi demum decretum facit Philocrates Hagnusius, et populus uno animo decernit, licere Philippo caduceatores hoc mittere, et legatos de pace. Prius enim id ipsum etiam a nonnullis prohibebatur quibus ea res studio erat, ut res ipsa declaravit. Isti autem id decretum ut contra leges factum accusant, Lyccino accusatore inscripto, et mulcta c. talentis æstimata. Deinde causa in foro agebatur. Philocrates, cum adversa valetudine laboraret, Demosthenem sibi patronum advocavit, non me. Progressus Philippi osor Demosthenes, in defensione totum diem contrivit. Denique Philocrates absolvitur, accusator autem quintam suffragiorum partem non accepit. Etiam hæc vos omnes scitis.

8. Sub eadem tempora Olynthus capta est, in eaque multi nostrorum civium sunt comprehensi. Quorum fuit Stratocles Ergocharis frater, et Eucratius Strommichi filius. Horum cognati vos ro-

garunt suppliccs, ut curam eorum susciperetis. Iis Demosthenes et Philocrates patrocinati sunt, non Æschines. Et legatum ad Philippum mittunt Aristodemum histrionem, ob notitiam et artis gratiam. Ut autem a legatione versus Aristodemus, propter occupationes quasdam non accedebat senatum, Stratocles eum antevertit, profectus ex Macedonia, ubi captivus fuerat, et sine pretio dimissus a Philippo, ibi multi indignabantur, quod Aristodemus legationem non renunciasset, cum eadem de Philippo a Stratocle referri audirent. Postremo senatum ingressus Democrats Aphidnæus, senatui auctor est Aristodemi revocandi. Fuit autem tum senator Demosthenes, accusator meus. Progressus Aristodemus, magnopere prædicavit Philippi benevolentiam, quam erga nostram urbem haberet, et adjecit, Philippum etiam societatem cum republica coire velle. Neque in curia duntaxat hæc, sed et pro concione dixit. Atque ibi nihil contra dixit Demosthenes, sed et coronam Aristodemo decrevit.

9. His apud populum dictis, decrevit Philocrates, x legatos a vobis esse creandos, qui cum Philippo de pace agerent, et iis rebus quæ ex æquo Atheniensium et Philippi interessent. Decretis x legatis, ego designatus sum a Nausicle, Demosthenes a Philocrate, quem nunc accusat. Ea porro alacritate rem gerendam suscepit, ut in senatu scribebat quo citra suum detrimentum nobiscum iret Aristodemus, legatos creandos esse in eas urbes, in quibus Aristodemo certandum esset, qui mulctas pro eo deprecarentur. Quæ ut vera esse constet, sume decreta, et scriptum Aristodemi testimonium recita, et eos voca, qui hoc eum testificantur audierunt, ut sciant judices, quis fuerit Philocratis amicus, quis item qui polliceretur, se munera Aristodemo impetraturum esse a populo.

DECRETUM. ALIENA FIDE RECITATA TESTIMONIA.

Prima igitur totius rei institutio, non a me, sed a Demosthene et Philocrate est profecta.

10. In legatione porro mensa eadem nobiscum uti studuit, idque non a me obtinuit, sed a meis convictoribus, ab Aglaocreonte Tenedio, quem a sociis delegeratis, et ab Iatrocle. Jam in itinere ait me sibi auctorem fuisse belluae communiter cavendæ, nimirum Philocratis: commentum referens. Quo pacto enim ego Demosthenem contra Philocratem concitassem, quem scirem et patrocinatum esse Philocrati in violatarum legum actione, et legatum a Philocrate designatum? Præterea non in hujusmodi duntaxat verbis nos legati, sed in toto itinere tolerare coacti sumus Demosthenem, hominem intolerabilem et molestum. Nam cum nos legati meditaremur, quid nobis dicendum esset, et Cimo dixisset, vereri se, ne Philippus jure

suo defendendo nos superaret, iste se fontes eloquentiae uberrimos habere pollicebatur, ac de jure Amphipolis bellique principio talia dicturum dicebat, ut os Philippi grandi siccoque junco consueret, ac persuasurum, ut et Athenienses Leosthenem reciperent, et Philippus Amphipolim Atheniensibus restitueret.

11. Ne vero longus sim istius arrogantia recensenda, cum pri-
mum in Macedoniam venissemus, constituimus inter nos, cum Philippum accessuri essemus, ut natu maximi primi verba facerent, et reliqui pro ætate. Erat autem nostrum natu minimus, ut aiebat, Demosthenes. Ut intro vocati sumus—haec diligenter velim vos animadvertere. Hinc enim perspicietis hominis invidiam immensam, ingentem timiditatem simul et malitiam, et tales insidias contra ejusdem et mensæ et legationis socios, quales non facile quisquam vel contra inimicissimos compararet. Nam cum salem civitatis et mensam publicam maximi se facere dicat, non est ex nostro solo (dicitur enim) neque nostri generis. Nos vero, qui sacra et monu-
menta majorum habemus in patria, et commercia atque familiaritates vobiscum liberales, et legitima connubia, et affines et liberos, Athenis quidem fuimus digni, quibus fides a vobis haberetur, (alioquin enim nos non legassetis), in Macedoniam autem profecti, subito sumus facti proditores. Ipse vero, qui nullam partem corporis non venalem habet, ne cam quidem unde vocem emitit, quasi Aristides esset qui tributa Græcis ordinavit, et justus cognominatur, aversatur et despuit largitiones.—

12. Audite igitur eas orationes, quas nos habuimus pro vobis ac vicissim eas, quas magnum reipublicæ munimentum Demosthenes recitavit, ut ordine ac pedcentim singula capita accusationis dis-
solvam. Laudo autem supra modum omnes vos, judices, quod cum silentio, et ut æquum est, nos auditis. Itaque si quod crimen non refellero, me ipsum, non vos culpabo. Cum igitur natu majores pro legatione verba fecissent, ad nos pervenit series orationis. Ea porro singula quæ illic a me dicta sunt, et vicissim quæ a Philippo sunt responsa, pro concione perspicue renunciavi apud universos Athenienses: nunc per capita duntaxat vobis in memoriam ea re-
vocare conabor.

13. Primum apud eum commemoravi paternam benevolentiam, et beneficia quæ in Amyntam patrem Philippi contulissetis, nihil prætermittens, sed ordine omnia commemorans: et deinde merita, quorum ipse testis erat. Nam Amynta recens defuncto, et Alexandro fratribus natu maximo, Perdicea et Philippo pueris, Eurydice autem matre eorum ab iis quos amicos sibi esse putabat destituta, et Pausania in imperium eorum invadente, qui quamvis exsul, tamen propter tempora multum poterat, ut qui et multorum studia haberet, et Græcis copiis munitus esset, et Anthemunem, Therman, Stre-

psam, et alia quædam oppida cepisset, Macedonibus non consentientibus, sed plerisque Pausaniæ faventibus; his igitur temporibus Athenienses, Iphieratem ad Amphipolim misisse cum imperio, cum ipsi Amphipolitæ urbem tenérent, et agri fructus perciperent. Cum igitur in ea loca venisset Iphicrates, principio cum paucis navibus explorandarum rerum causa magis, quam obsidendæ urbis, tum, inquam; eum accersivit mater tua et—ut ii dicunt qui affuerunt omnes —Perdicca fratre tuo in manus Iphicratibus tradito, te autem, qui puer esses adhuc, in genua illius imposito, dixit, Amyntas, pater horum puerorum, dum vixit, et te adoptavit, et urbe Atheniensium familiariter usus est, unde fit, ut et privatim horum puerorum sis frater, et publice nobis amicus. His dictis, vehementer eum obtestata est, tum pro vobis, tum pro se, tum pro regno, denique pro incolumitate. Quibus Iphicrates auditis, Pausaniam Macedonia expulit, et vobis imprium conservavit.

14. Post hæc, locutus sum de Ptolemæo, ejus auctoritati summa rerum commissa fuerat, quam is ingrate et improbe se gessisset, docens primum, eum de Amphipoli adversatum fuisse nostræ urbi, et cum Thebanis, Atheniensium hostibus, fœdus icisse. Ac rursus, ut Perdiccas suscepto regno, de Amphipoli bellum gessisset cum nostra urbe, et vestram, quanquam injuriis affectorum humanitatem narrans, commemorabam, ut, quamvis Perdicca bello superiores, Callisthene Atheniensium duce, inducias tamen cum eo fecissetis, subinde sperantes, vos tandem æqui aliquid impetraturos. Et calumniam illam refellere studebam, docens, Callisthenem a populo non propter inducias fuisse interfectum cum Perdicca factas, sed ob alias causas. Ac rursus contra eum dicere non dubitabam, Philippum increpans, quod belli contra urbem nostram gerendi successor exstitisset. Atque omnium eorum quæ referebam, testes proferebam literas ejus, et plebiscita, et Callisthenis inducias. Ac de prima regionis illius acquisitione, et novem viarum, ut vocabantur, et de Thesei filiis, quorum Acamas doti accepisse ferretur eam provinciam, hæc et tunc dici conveniebat, et dicta sunt quam fieri potuit accuratissime; nunc autem fortassis opus est verba conferre in compendium. Quæ vero signa non in antiquis fabulis posita erant, sed nostra ætate facta, eorum mentionem faciebam. Referebam, ut congressa Lacedæmoniorum ceterorumque Græcorum societate, eorum unus Amyntas, pater Philippi, misso assessore, suique suffragii jure prædictus, decrevisset, Amphipolim Atheniensium urbem, esse Atheniensibus reliquorum Græcorum auxiliis expugnandam, et restituendam. Et hoc commune Græcorum decretum, eosque qui decrevissent, e publicis monumentis testata proferebam. Jam quibus rebus Amyntas, tuus pater, coram Græcis omnibus cessit, non oratione duntaxat, sed etiam suffragio, eas,

aiebam, te ex illo natum tibi vindicare, non est æquum. Sin ut bello captam, jure te habere censes, siquidem bello adversus nos gesto vi cepisses urbem, sine controversia teneres eam, quippe jure belli partam: sed si Amphipolitis urbem Atheniensium eripuisti, non ea quæ illorum fuerunt, habes, sed regionem Athenicnsium.

15. His et aliis orationibus habitis, legationis vices jam Demosthenis erant: atque omnes intenti ora tenebant, ut invictam excellentis eloquentiae vim audituri. Nam et ipsi Philippo—ut post audire licuit—, et amicis ejus enunciata fuerat pollicitationum ejus magnitudo. Sic autem affectis omnibus ad auscultationem, sonat bellua ista exordium tenebricosum, et præ metu exanime, et cum in rerum commemoratione paulum processisset, subito obticuit, inops consilii: tandem excidit oratione. Philippus autem cum vidisset, ut affectus esset, eum et bono animo esse jussit, et non existimare, ut in theatris, sic sibi propterca mali aliquid accidisse; sed per otium ac paulatim redire in memoriam, et pro suo instituto verba facere. At iste ut semel fuerat conturbatus, et a scriptis aberrarat, ad sese redire non potuit, sed et rursus dicere aggresso, idem accidit.

16. Ut autem silentium erat, secedere nos præco jussit. Deinde cum nos legati soli essemus, bonus iste Demosthenes vultu admodum tetrico, perdidisse me urbem et socios aiebat. Perculso autem non me tantum, sed et ceteris legatis omnibus, ac causam sciscitantibus, cur id dixisset, me rogabat, an oblitus essem, ut se res Athenis haberent, et ut populus esset defatigatus, et quantopere pacem expeteret, non meminisse. An vero animos, inquit, tibi faciunt *l.* triremes, decretæ illæ quide[m], sed nunquam complendæ? Sic enim irritasti Philippum, et ea fecisti verba, unde non bellum in pacem mutetur, sed pax in bellum infestissimum. Incipiente autem me hæc refutare, accercebant nos ministri Philippi. Ut venimus, et denuo consedimus, Philippus ad singula quæ dicta fuerant, responderé aliquid parabat, neque vero mirum fuit, eum in mea oratione diutissime fuisse immoratum,—fortassis enim nihil quod dici poterat, ut arbitror, prætermiseram,—, et sæpe nominatim me compellavit, contra Demosthenem autem, qui tam ridicule discesserat, ne ulla quidem de re disseruit scilicet. Quæ summa isti crux et molestia fuit. Ut autem Philippi oratio tandem in fine ad humanitatem conversa est, et iste calumniam, qua me prius apud collegas onerarat, quasi belli et dissidiij auctor futurus essem, amiserat, ibi vero satis apparebat, eum nec animi jam esse compotem; adeo ut ad hospitium nobis invitatis, ineptissime se gereret.

17. Cum autem a legatione jam nos ad redditum pararemus, subito in itinere, præter opinionem nostram, humaniter cum singulis colloquebatur. Quid igitur esset Cercops, aut Vertumnus, aut Cha-

mæleo, aut si quid aliud est ejusmodi nominum, prius ignorabam: nunc istum totius malitiæ nactus interpretem, didici. Nam unoquoque nostrum seducto, alii collectam se collaturum pollicebatur, et de suo laturum esse opem; alium ad imperium evecturum, me vero asseetans, et ingenii mei felicitatem prædicans, atque habitam orationem celebrans, multus erat me laudando, et molestus.

18. Cum autem nos omnes Larissæ concœnaremus, se ipsum ludebat, ac dicendi qua usus erat inopiam: Philippum autem eorum qui sub sole essent eloquentissimum esse asserebat. Ut autem et ego tale aliquid pronunciaram, quam memoriter nostris orationibus respondisset, et Ctesipho qui nostrum erat natu maximus, insigñem senectutem suam et annorum multitudinem narrasset, atque adjecisset se tanto temporis spatio nullum hominem adeo suavem et festivum vidisse, Sisyphus iste cum plausu manuum hæc quidem, inquit, Ctesipho, neque tu, neque iste—me autem intelligebat—ad populum dicere audebit, fuisse Philippum eloquentem, et memoria valuisse. Nos autem qui illa non intelligeremus, neque insidias prospiceremus, quas statim audietis, pactione quadam conclusit, ut apud populum eadem omnes diceremus, me vero vehementer etiam obtestatus est, ne prætermitterem quin dicerem, etiam Demosthenem aliquid dixisse de Amphipoli. Hactenus igitur testes mihi sunt legationis collegæ, quos per totam orationem exagitare non destitit: orationes autem, quæ pro suggestu apud vos habitæ sunt, ipsi auditivitis. Quare mihi mentiri non licebit.

19. Oro autem vos, ut id laboris capiatis, ut et reliquam audiatis narrationem. - Nam queinque vestrum de Cersoblepte et Phocensi criminе audire cupere, satis scio, et ad illa festino. Verum nisi ea quæ antecedunt, audiveritis, illa etiam minus accipietis: sin periclitanti mihi arbitratu meo dicendi potestatem dederitis, et conservare me, si innocens sum, poteritis satis edocti, et ex iis quæ in confessò sunt etiam controversa perspicietis. Ut enim huc reversi, apud senatum capita legationis exposuimus, et literas Philippi reddidimus, laudator noster fuit Demosthenes apud senatores, et per aram curialem juravit, sc̄ gratulari civitati, quæ tales legatos misisset, qui et eloquentia et fide se republica dignos, dicendo, agendoque præbuissent: de me autem hujusmodi quippiam dixit, me spem eorum, qui me legatum creassent, non fefellisse. Postremo omnium scripsit, nostrum unumque inque sacræ oleæ corona ornandum esse, ob benevolentiam erga populum, et ad cœnam in curiam in crastinum invitandum. Ut autem constet, me nihil falsi dixisse apud vos, capiat scriba decretum, et collegarum testimonia recitet.

SENATUSCONSULTUM DEMOSTHENE REFERENTE
FACTUM.TESTIMONIA COLLEGARUM DE IIS QUÆ DICTA
SUNT.

20. Postquam igitur legationis acta apud populum exposuimus, Ctesipho primus inter nos, propter ætatem, cum alia dixit, tum ea quæ dicturos esse nos, cum Demosthene pepigeramus, item de affabilitate Philippi, et forma ejus, et dexteritate in compotationibus. Post hunc, cum Philocrates et Dercyllus pauca dixissent, ego prodii. Recitatis autem ceteris legationis actis, ad eam etiam commemorationem, quæ cum collegis mihi convenerat, cum accessisscm, dixi Philippum memoriter et eloquenter respondisse. Neque oblitus precum Demosthenis adjeci, ei partes dicendi de Amphipoli attributas fuisse, si quid nos prætermisissemus. Post omnes nos postremus surgit Demosthenes, et vultu, ut solet, præstigiis factis, atque capite perfrieto, cum populum videret gestu dare signum, et meam approbasse orationem, utrosque se mirari dixit, tum qui audirent, tum qui legationem obiissent, quod omissio tempore, illi deliberandi, hi in medium consulendi, moram facerent, nugis peregrinis contenti in rebus domesticis; nihil enim esse facilius, quam legationem recensere.

21. Demonstrabo autem, inquit, vobis, quæ ratio hujus rei esse debeat. Ac simul recitari jussit plebiscitum. Quo recitato, dixit, nos ex hoc ablegati sumus, et quæ hic scripta sunt, ca egimus. Cape ergo etiam literas, quas a Philippo afferimus. Quibus lectis, habetis, inquit, responsum, restat ut deliberetis. Excitato autem tumultu, ab aliis, quod brevis et acutus, a pluribus, quod improbus atque invidus videretur, videte porro (inquit) quanto compendio et cetera omnia sim renunciaturus. Visus est memoria valere, et eloquentia Philippus Æschini. Mihi vero non item. Nam si quis fortunam ei ademptam alteri tribueret: is non multo esset illo inferior. Visus est Ctesiphonti splendido esse vultu? Mihi vero illo non deterior Aristodemus histrio, qui nostræ legationi interfuit. Memoria eum pollere, ait aliquis? Sunt et alii. Egregius compotor fuit? At Philocrates, qui nobiscum fuit, longe illum superat. Dicendi de Amphipoli se mihi reliquisse locum ait aliquis? At nec vobis orator iste dicendi locum daret, nec mihi. Verum istæ nugæ sunt, inquit, ego vero decretum scribam, et cum caduceatore a Philippo misso inducias faciam, et cum mittendis hac legatis: curiones porro jubebo, ubi legati venerint, eis bidui concessionem convocare, qua deliberetur, non de pace tantum, sed etiam de societate, et nos legatos, si digni videamus, laudare, et vocare ad cœnam in curiam in crastinum. Ut

autem me vera dicere constet, cape decreta: ut videatis inconstantiam ejus, et malignitatem, et actionum cum Philocrate societatem, et mores insidiosos ac perfidos. Voca ergo mihi legatos, eorumque testimonia recita, et decreta Demosthenis.

DECRETA.

Neque vero hæc duntaxat scripsit, sed post etiam in senatu dixit: spectandi locum Bacchanalibus assignandum esse Philippi legatis, ubi venerint. Recita etiam hoc decretum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Recita etiam legatorum testimonium ut videatis, Athenienses, Demosthenem non posse verba facere pro republica, sed declamitare contra convictores, atque arctissima necessitudine devinctos.

TESTIMONIUM.

22. Tractationem igitur pacificationis, non meam et Philocratis, sed Demosthenis et Philocratis fuisse, reperietis: et argumenta eorum quæ dixi me fide digna reor attulisse. Nam eorum quæ renunciavi, vos mihi testes estis: eorum quæ in Macedonia dicta sunt, atque in itinere nobis acciderunt, collegarum testimonio vobis demonstravi: accusationem autem modo a Demosthene allatam audistis, et meministis, cuius initium sumpsit a concione, quam de pace habui. Cum autem in ea parte accusationis ementitus fuerit omnia: in eo articulo vehementer est conquestus. Ea enim verba coram legatis ait esse facta, quos Graeci ad nos misissent, a populo accersiti, ut communiter et bellum gererent contra Philippum, si esset opus, cum Atheniensibus: et pacis, si id expedire videretur, essent participes. Considerate igitur, quantam rem homo surripuit, quantaque sit impudentia, nam eo tempore legati creati sunt quos in Graeciam ablegastis, quo bellum vobis adhuc cum Philippo intercedebat: ac tempora, quibus designabantur, et legatorum nomina quidem in publica relata sunt monimenta: eorum autem corpora non sunt in Macedonia, sed Athenis: et senatus de adducendis ad populum peregrinis legationibus decernit. Iste autem ait, missas fuisse Graecanicas legationes. Igitur consenso hoc suggersto, Demosthenes, dum meæ sunt dicendi partes, cuiusvis Graecanicæ urbis nomen profer, ex qua tum legatos advenisse dicis, earumque senatus consulta e curia dato legenda, et Atheniensium legatos citato testes, quos ablegavit ad civitates: qui se affuisse, nec peregre profectos fuisse testificati fuerint: si accessum eorum ad senatum et decreta exhibueris, co facta tempore, quo tu aie: descendo, et capit is ipse me condemnno. Lege et sociorum decretum,

quid in eo dicatur. In quo aperte scriptum est: cum dcliberet populus Atheniensis de pace Philippica, legati autem nondum ad-sint, quos ablegarit populus in Græciam, qui urbes ad tuendam Græcorum libertatem exhortentur: visum esse sociis, ubi redierint legati, et acta sua renunciarint Atheniensibus, eorumque sociis, ut curioncs duas conciones secundum lges indicant, atque in iis de pace dcliberent Athenienses. Quicquid autem populus decreverit: id fore commune sociorum decretum. Recita ergo decretum asses-sorum.

DECRETUM ASSESSORUM.

Confer cum hoc etiam Demosthenis decretum, quo jubet curiones, post urbana Bacchanalia, et concessionem in Bacchi æde haberi soli-tam, indicere duas conciones, alteram die XVIII., alteram XIX., de-finiens tempus, et conciones præripiens, ante legatorum ad Græcos missorum redditum. Ac sociorum quidem decretum jubet, quod me quoque defendisse fateor, vos de pace duntaxat deliberare: Demo-sthenes autem, etiam de societate jubet. Recita decretum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Decretum utrumque audivistis, Athenienses, unde convincitur, - Demosthenem affirmare, legationes eas quæ abfuerunt, affuisse: et cum vos audire velletis, irritum fecisse decretum sociorum. Nam illi quidem pronunciarant: Græcanicas legationes esse urbi ex-spectandas: Demosthenes autem non verbis tantum obstitit, quo minus cxspectarentur, qui illud omnium turpissime ac celerrime im-mutavit, sed re ipsa et decreto, quippe qui statim deliberari juss erit.

23. Dixit autem, me priore concione, cum verba fecisset Philocrates, post eum suggestu consenso reprehendisse pacem, cuius auctor ille fucrit: eamque turpem et civitate indignam judicasse: postridie autem suffragatum Philocrati, et concessionem magno aplausu in sententiam meam perduxisse: cum suaderem vobis, ne auscultaretis iis, qui prælia et triumphos majorum commemorarent, neve Græcis auxiliaremni. Id vero crimen non tantum esse falsum, sed etiam fieri sic non potuisse, primum ipsius Demosthenis, deinde omnium Atheniensium, tertio loco, vestro, si admoneamini, denique viri magnæ in republica auctoritatis, Amyntoris, cui Demosthenes decretum ostendit, quemque consuluit, utrum id daret scribæ: cum quidem non contrarium, sed idem quod Philocrates scripsisset, te-stimonio, atque ipsins calumniæ absurditate ostendetur. Cape De-mosthenis decretum, et recita: in quo eum priore concione scripsiisse constat, licere cuvis in medium consulere, posteriore præsidibus recensendas esse sententias: et non dicendi potestatem esse dandam, quo tempore ipse me ait Philocrati esse suffragatum.

DECRETUM DEMOSTHENIS.

Itaque decreta ut principio scripta sunt, ita manent, calumniatorum autem verba in dies pro tempore mutantur. Facit autem concionem meam accusator geminam : decretum et veritas, unam. Cum enim posteriore concione dicendi potestas data non esset, sed præsides prohiberent, verba facere non licuit. Quid vero mihi voluisse, si Philocratis sectam sequebar, eo pridie apud eosdem auditores accusando, et post intervallum noctis unius defendendo ? Utrum ut ipsi mihi accederet auctoritas ? An ut illi commodum aliquod per me compararetur ? Verum non licuit utrumque consequi : sed illud restabat, ut et omnium voluntates a me alienarem, et nihil promoverem. Voca mihi Amyntorem Erchiensem, et ejus testimonium recita. Quo autem pacto id scriptum sit, in primis exponam vobis. Testimonium perhibet Amyntor Æschini, cum populus de societate cum Philippo ineunda de sententia Demosthenis in posteriore duarum concionum deliberaret, ac verba facere non liceret : sed decreta, de pace et societate facta, comprobanda aut improbanda essent, in ea concione Demosthenem assidentem sibi ostendisse scriptum decretum, cui nomen Demosthenis præscriptum esset, ac consuluisse, an daret scribæ, ut præsidibus offerret : in quo scripsisset, pacem et societatem iisdem conditionibus esse faciendam, quibus Philocrates scripserat. Voca mihi Amyntorem Erchiensem, et citato, nisi huc prodire voluerit.

TESTIMONIUM AMYNTORIS.

Testimonium quidem audivistis, Athenienses. Considerate igitur, utrum videatur vobis Demosthenes me accusasse : an contra sub meo nomine semetipsum ?

24. Quoniam autem concionem quoque meam criminatur, et habitas a me orationes male narrando depravat : ego nec defugio eorum quæ tum dixi, neque negarim quicquam : quorum adeo me non pudet, ut ea laudi quoque mibi ducam. Revocabo autem vobis in memoriam temporum conditionem, quibus deliberabatis. Bellum principio suscepimus pro Amphipoli. Res autem eo redierat : noster imperator fœderatas urbes v. et lxx. amiserat, quarum Timotheus Cononis f. potitus erat, quasque nostro concilio adjunxerat,—decrevi enim nihil dissimulare, et libere simul vereque loquendo conservari, sin aliter senseritis, animo tamen meo obsequi, neque enim tergiversabor : et cum cl. triremes e navalibus accepisset, xlviii. reduxerat,—atque haec vobis accusatores in Chærtis periculis subinde ostendunt : et nd. talenta non in milites, sed in ducum insolentiā insumpta erant: in Deiarem, Deipyrum, Polyphontem, qui

fugitivos homines ex Græcia collegerant, ac seorsim in mercenarios istos, qui in suggesto et concionibus versantur: qui a miseria insularibus quotannis sexaginta talenta exigebant tributi nomine: qui naves et Græcos in communī navi deprædabantur: nostra vero urbs loco auctoritatis et principatus Græcorum, eandem opinionem, quam Myonnesus et piratæ, consecuta erat. Philippus porro ex Macedonia progressus, non ut hactenus de Amphipoli nobiscum pugnabat: sed jam de Lemno et Imbro et Scyro, nostris possessionibus: et Chersonnesum cives nostri deserebant, quæ citra controversiam est Atheniensium. Erant autem plures necessario indictæ conciones cum tumultu et metu habendæ, quam statæ ac legitimæ, res porro ita labefactatæ ac periculosæ erant, ut Cephisopho Paeaniensis, amicus et familiaris Charetis, decretum scribere cogeretur, ut Antiochus actuariis navigiis præfectus, quam primum solveret, imperatorem quæsitum, cui commissus esset excitus. Quod si in eum incidisset: ei narraret, mirari populum Atheniensem, Philippum Chersonnesum, quæ sit Atheniensium, invadere: Athenienses autem nescire, nec dux nec copiæ quas miserint, ubi sint? Ut autem vera me loqui intelligatis: decretum audite et belli recordamini et pacem a belli ducibus, non a legatis repetitote.

DECRETUM A CEPHISOPHONTE FACTUM.

Ac tempora quidem civitatis, quibus de pace verba fiebant, erant hujusmodi. Oratores autem isti factiosi, cum ad dicendum surgebant, de civitatis quidem incolumitate nihil in medium afferebant, sed vos arcis vestibulum intueri jubebant, et Salaminiæ pugnæ contra Persas, et sepulcrorum et majorum nostrorum et triumphorum meminisse. Ego vero horum sane omnium recordandum esse dicebam, sed tamen prudentiam majorum esse imitandam, peccata vero et intempestivam contentionem vitandam, pedestre prælium ad Plataeas contra Persas, et contentiones de Salamine, et Marathoniam pugnam, et navale prælium ad Artemisium, et Tolmidæ imperium jubebam imitari, qui cum haberet mille delectos Athenienses, infestis armis secure per medianum Peloponnesum pervasisset, expeditionem autem Siciliensem cavendam esse, qua Leontinis auxilia misissent, cum hostes in nostrum agrum impetum fecissent, et Decelea contra nos munita esset, postremum item temeritatem illam cavendam, cum bello victi, postulantibus Lacedæmoniis ut pacem agerent, et præter Atticam, etiam Lemnum, Imbrum et Scyrum tenerent, et constituta legibus libertate uterentur, horum nihil admittere voluerunt, sed bellum quod gerere non poterant, prætulerunt: cum quidem Cleopho lyram faber, quem multi compedibus vincutum meminerant, per fraudem ac turpiter in

civium album inscriptus, populo largitionibus corrupto, se gladio collum ei præcisurum minitaretur, qui pacis mentionem fecisset: tandem eo rem illi perduxerunt, ut cupide pacem amplectenterentur, cedentes omnibus possessionibus, mœnibus dejectis, præsidio recepto, et præfecto Lacedæmonio, et populi auctoritate ad xxx. tyrannos translata, qui MD. cives indicta causa occiderunt. Talem temeritatem esse cavendam, monuisse me profiteor, ea vero quæ paulo ante dixi, esse imitanda. Neque enim ab alienis illa, sed ab omnium conjunctissimo audiebam. Nam Atrometus pater noster —cui tu maledicis, cum eum ignores, neque videris quisnam sua ætate fuerit, idque Demosthenes, cum maternum tuum genus a vagabundis Scythis originem trahat—sub xxx. tyrannis profugit, et populum restituit. Et matris nostræ frater, avunculus noster, Cleobulus, Glauci Acharnensis f., cum Demæneto Buzigo, Chilonem Lacedæmonium navalí prælio vicit. Itaque domesticum mihi est, et usitatum, urbis adversos casus auribus accipere.

25. Objicis mihi præterea concessionem in Arcadia apud x. m. viorum habitam, et legationem illam, meque immutatum esse dicis, cum sis ipse mancipii similis, et tantum non Threiciis notis compunctus transfuga. Ego vero in bello, quantum fieri potuit, Arcadas et ceteros Græcos contra Philippum concitavi, cum autem mortaliū nemo reipublicæ opem ferret, sed alii eventum otiose exspectarent, alii nos oppugnarent, urbani autem oratores ex bello quotidiano suo luxui sumptus suppeditarent, populo me suasisse fateor, ut cum Philippo reconciliaretur, et pacem jungeret, quam tu nunc turpem existimas, cum arma nunquam attigeris. Ego vero eam longe honestiorem bello esse affirmo. Sunt autem, Athenienses, legati spectandi ex eo tempore, quo legationem obiverunt: duces e copiis, quibus cum imperio præfuerunt. Etenim et statuas erigitis, et principem locum assignatis, et coronas, et victum in curia datis, non iis qui pacem renunciarint, sed iis qui hostes prælio superarint. Quod si bellorum rationes a legatis reposcentur, præmia ducibus tribuentur, efficietis, ut nulla unquam bella vel humaniter gerantur, vel placide componantur. Nemo enim legatus ire volet.

26. Nunc reliquum est, ut de Cersoblepte et Phocensibus, ac ceteris objectis mihi criminibus dicam. Ego, Athenienses, et in priore et in posteriore legatione, quæ vidi, ut vidi, quæ audivi, ut audivi, renunciavi. Quæ igitur hæc utraque fuerunt, quæ et vidi et audivi de Cersoblepte? Vidi ego, et legati omnes, Cersobleptis filium, obsidem Philippo datum: idque etiam nunc ita se habet. Accidit autem, dum priore legatione fungebamur, ut ego cum collegis hoc redirem, Philippus autem in Thraciā egredetur, qui nobiscum pepigisset, dum vos de pace deliberaretis, se Chersonesum armis non invasurum. Illo igitur die, quo vos pacem decre-

vistis, nulla facta est mentio Cersobleptis. Jam vero nobis ad exigendum jusjurandum delectis, nondum vero ad posteriorem legationem profectis, concio fit, in qua Demostheni, qui nunc me accusat, obvenit ut præsideret. In ea concione Critobulus Lampsacenus progressus dixit, se missum esse a Cersoblepte, qui peteret ut jusjurandum Philippi legatis daretur, et Cersobleptes inter vestros socios inscriberetur. Hac oratione habita, Aleximachus Galea decretum præsidibus legendum dat, in quo scriptum erat, ut is qui a Cersoblepte venisset, jusjurandum Philippo cum ceteris sociis daret. Recitato decreto,—et hoc vos omnes arbitror meminisse,—, surrexit Demosthenes a præsidibus, seque id decretum approbaturum esse negavit, neque factam cum Philippo pacem irritam redditurum, neque agnosceré socios, qui tanquam in libationibus, manus sacris admoverent: sed de his aliam esse concionem indicendam. Clamantibus autem vobis, et præsides ad suggestum vocantibus, sic invito isto comprobatum est decretum. Quæ ut vere a me dici constet, voca mihi Aleximachum, qui decretum scripsit, et collegas Demosthenis, ac testimonium recita.

TESTIMONIUM DEMOSTHENIS COLLEGARUM.

27. Is igitur, qui modo hic ad Cersobleptis mentionem illacrymavit, societate illum exclusit. Ut vero ea concio dimissa fuit, fœderatos Philippi legati jurejurando in vestro prætorio obstrinxerunt. Ausus autem est ad vos dicere accusator, me Critobulum, Cersobleptis legatum, a sacris repulisse, cum et socii adessent, et populus scivisset, et duces assiderent. Unde tantas vires accepi? Aut quo pacto res tacita est? Quod si istud ego facinus non reformidassem, tu passus esses, Demosthenes? Non vociferationibus et clamoribus forum complesses, cum videres me, ut modo aiebas, a sacris legatum repellere? Accersat mihi duces præco, et sociorum assesores, ut eorum testimonia audiatis.

TESTIMONIA.

Nonne intolerabile est, Athenienses, si quis contra hominem civem, non suum, sed vestrum—hoc enim in primis distinguo—, tanta non veretur mendacia comminisci, quibus in capitibus discrimin adducatur? Maximam igitur appobationem meretur is mos, cuius in capitalibus ad Palladium causis patres nostri auctores fuerunt: cum victimis secundis, eos qui suffragio superiores sunt, jurejuringo obstringunt—idque vobis etiam nunc patrium est—eos iudices vere justeque pronunciassse, qui suffragium pro se tulerint, et nullum dixisse mendacium: quod ni ita fit, sibi et familiæ suæ existium imprecantur: judicibus autem optima quæque et faustissima

optant. Idque rectissime, ac civiliter, Athenienses. Nam si nemo vestrum est, qui justæ cædis in se piaculum admittere vellet, quanto magis injustam cavebitis, erepta alicui vita, aut re familiari, aut dignitate? Ob quas res alii sibi manus attulerunt, alii publice perierunt.

28. Non igitur veniam mihi dabitis, Athenienses, si cum cinædum appellaro, et hominem polluto corpore, ea etiam parte unde vocem edidit, ac deinde reliquam accusationis partem de Cersoblepte evidenter falsam esse ostendero? Iis enim, qui vocantur in crimen, res apud vos contingit mea opinione pulcherrima et utilissima. Etenim tempora, et decreta, eorumque suffragatores in publicis monumentis perpetuo asservatis.

29. Dixit autem iste, eam esse causam, cur Cersobleptis res perierint, quod ego legationis dux, et secunda aura vestra usus, se nos in Thraciam ire jubente, cum Cersobleptes ob sideretur, et contestari apud Philippum, ea facere noluerim, sed Orei sederim, ceterique legati, hospitia nobis conciliantes. Audite igitur Charetis literas, quas misit ad populum, quibus continetur, Cersobleptem imperium amisisse, et sacrum montem a Philippo occupatum esse **xxvi. Februarii:** Demosthenes autem cum ex legatis esset, præses pro coneione fuit ejusdem mensis die **xxvii.**

LITERÆ.

Neque vero reliquos duntaxat mensis dies morati, sed Martio demum profecti sumus: cuius rei testem vobis senatum exhibebo. Senatusconsultum enim est, quod legatos ad exigendum jusjurandum abire jubet. Recita mihi senatusconsultum.

SENATUSCONSULTUM.

Etiam tempus recita, quodnam id fuerit.

TEMPUS.

Auditis, hoc fuisse decretum **III. Martii.** Cersobleptes autem quot diebus ante imperium amiserat, quam ego discederem? Ut Chares imperator, et literæ indicant, priore mense, si modo Februarius Martio prior est. Ergo ne Cersobleptem ego conservare potui, qui ante me domo egressum perierat. Et putatis istum aliquid dixisse veri de rebus, sive in Macedonia, sive in Thessalia actis, qui contraria curiam, contra publica monimenta, contra tempus, contra populi conventus mentiatur? Tu Cersobleptem Athenis foedere excludebas, cum præses esses: ejusdem Orei te miserescebat. Nunc me corruptelæ accusas: prius autem mulctam ab Areopagitico senatu inflictam tolerasti, non persecutus vulneris actionem, qua reuin fe-

ceras Demomelem Pæaniensem, consobrinum tuum, cum ipse tuum caput incidisses. Tamen verba fundis apud nos sapientia, quasi hi ignorant, te filium adulterinum esse Demosthenis gladiorum fabri.

30. Præterea dicere ausus es, me legatione Amphictyonica etiam ejurata, officio non esse functum : ac decretum aliud recitasti, aliud transiliisti. Ego vero legatus ad Amphictyones creatus, quamvis infirma valetudine, magna tamen cum alacritate, eam, unde redieram, legationem apud vos renunciavi, legationem autem non ejuravi, sed promisi me obitum, si ullo modo possim : cum autem collegæ mei senatum accederent, fratrem meum ejusque filium, et medicum misi, non meo nomine cjuratos—neque enim lex sinit, populi suffragiis decreta munera in senatu ejurare—, sed infirmitatem meam indicaturos. Cum autem collegæ mei, Phocensi excidio auditio, revertissent, habita concione, jam præsens, et corpore confirmato, cum populus nihilominus nos omnes qui primum delecti fueramus ad obeundam legationem adigeret, non dandæ esse verba Atheniensibus existimavi. At illam quidem legationem, me rationes referente, non accusabas, hanc autem invadis, qua ad jusjurandum profectus sum ; quam ego perspicue et jure optimo defendam. Nam tibi quidem, et mentientibus omnibus est accommodatum, transferre tempora : mihi vero, ordine disserere, orationis initio repetito a profectione, et legatione propter exigendum jusjurandum suscepta. Primum quum legati essent decem, atque undecimus accederet, is quem fœderati nobiscum miserant, nemo cum isto cibum capere, cum secunda legatione exiremus, voluit, neque in itinere, ubi vitari potuit, in eadem caupona divertere, quippe qui vidarent, eum priore legatione omnibus insidiatum esse. De itinere porro in Thraciam suscipiendo, nulla facta est mentio—neque enim decreto id nobis injungebatur, sed id duntaxat, ut jusjurandum exigeremus, ac alia quæpiam—, nec si voluissemus, agere nobis licuisset, cum ita Cersobleptis res sesc haberent, ut modo audivistis, neque iste quicquam veri dixit, sed mentitur, et quia verum nullum crimen objicere potest, præstigias agit.

31. Sequebantur autem eum homines duo, sarcinas lectulorum ferentes, in quarum altera, ut ipse aiebat, talentum argenti inerat. Itaque collegæ veterum ejus cognominum recordabantur. Nam puer dum esset, ob flagitium quoddam, aut mollitiem, Batalus est vocatus, cum pueritiam excessisset, et in suos tutores denum talentum actiones instituisset, Argas est appellatus, vir porro factus, commune omnium improborum cognomentum assumpsit, ut calumniator vocaretur. Ibat autem, captivos ut aiebat, redempturus, ut modo apud vos etiam dixit, cum sciret, Philippum a nemine Atheniensi captivo pretium unquam postulasse, et ex ejus amicis omnibus audiret, eum etiam reliquos, pace facta, dimissurum ; ferèbat

autem talentum, cum multi ea calamitate conflictati essent, quo unus vir, nec is admodum locuples, redimi potuisset.

32. Ut autem in Macedoniam venimus, ac congressi sumus, et Philippum ex Thracia reversum deprehendimus, recitatum est decretum, ex quo legati missi eramus, et quæ in mandatis acceperamus de jurejurando exigendo, enumeravimus. Cum autem maximarum rerum mentionem fecisset nemo, sed de rebus minutioribus egissent omnes, orationem ego habui, quam necesse est apud vos exponi. Obtestor autem vos, Athenienses, quemadmodum accusationem audivistis, ut ipse accusator verba facere voluit, ita etiam reliquum defensionis audiatis ordine, eademque attentione operam mihi detis, qua superiora audivistis. Dixi enim, ut modo posui, Athenienses, in conventu legatorum, eos mihi visos esse præcipuum populi jussum omnino ignorare. Nam jusjurandum exigere, et ceteris de rebus agere, et de captivis eloqui, etiamsi ministros urbs misisset, data eis auctoritate, tamen illos videri mihi rem omnem fuisse conjecturos: summæ autem rerum recte consulere, quatenus eæ ad nos aut Philippum attinerent, id vero cordatorum legatorum munus esse. Dico autem, inquam, de expeditione, quam in Pylas apparari videtis; atque ostendam vobis magna signa, unde intelligatis, me ea de re non male conjectare. Nam et Thebanorum legati adsunt, et Lacedæmoniorum adventant, et nos ex plebiscito advenimus, in quo scriptum est, Legati autem quicquid præterea boni possunt, agunto. Omnes porro Græci exspectatione eventus sunt suspensi. Quod si populus se decere censuisset, libere in decreto promulgare, ut Philippus Thebanorum insolentiam compesceret, et Bœotias civitates instauraret, hæc etiam in decreto petiisset: nunc id sibi reliquit, ut rem ad incertum eventum referre possit, si non persuaserit, nostro autem periculo rem explorandam censuit. Decet igitur eos, qui suam industriam reipublicæ probatam cupiunt, non eorum legatorum occupare locum, quos Atheniensibus nostro loco mittere licuisset, nos ipsos autem vitare offensionem Thebanorum. Quorum unus Epaminondas imperator, non perterritus auctoritate Atheniensium, apud Thebanos dixit, Athenensis arcis propylæa transferenda esse ad Cadmeæ ornamentum.

33. Hæc me dicente, maxima voce exclamat Demosthenes, ut sciunt omnes collegæ: nam præter cetera mala, etiam Bœotis favet. Hæc certe quidem ab isto afferebantur: homo iste est tumultus et audaciæ plenus. Ego vero me fateor esse mollem, et pericula, etiam dum longe absunt, pertimescere. Verum edico, ne nos urbes inter se committamus: atque id e re nostra esse puto, ne quid nos legati temere moveamus. Proficiscitur Philippus ad Pylas? Ego me abscondo. Nemo me propter arma Philippi in judicium adducet, sed si quid dixerim, quod non oportet, aut si quid egerim, quod

in mandatis non accepi. Ut rem finiam, decreverunt collegæ, ut viritum quisque sententiam rogatus, quod e republica esse putaret, id diceret. Hæc ut a me vere dici constet, voca mihi collegas, eorumque recita testimonium.

TESTIMONIUM.

34. Postquam igitur legationes Pellam convenerant, ac Philip-
pus aderat, et præco legatos Atheniensium vocabat, primum pro-
cessimus, non observata ætate, ut in priore legatione, quod apud
quosdam celebrabatur, et ornamentum civitatis putabatur, sed pro
Demosthenis impudentia. Nam cum se omnium natu minimum
esse profiteretur, primas dicendi partes se nemini concessurum affir-
mabat, neque commissurum, ut quidam (me innuens) Philippi au-
ribus occupatis, dicendi vices aliis præriperet. Ut autem exorsus
est, cum quadam collegarum criminazione, quos neque omnes iis-
dem de rebus, neque consentientibus animis adesse significabat,
sua officia Philippo præstata commemorabat: primum, ut Philo-
cratis decreto suffragatus esset, violatarum legum accusati, cum is
scripsisset, licere Philippo legatos de pace Athenas mittere; deinde
recitavit decretum quod ipse scripserat, pacem faciendam cum ca-
duceatore et legatis a Philippo missis; denique illud, ut populus
intra certos dies de pace deliberaret. Ac talem verbis suis signifi-
cationem interjecit, se primum iis, qui pacem excluderent, os ob-
turasse, non verbis, sed temporibus. Deinde aliud decretum ad-
duxit, quo scripsisset, deliberandum esse populo de ineunda socie-
tate. Post aliud decretum de Philippi legatis, principem eis locum
dandum Bacchanalibus. Et adjecit, quantæ sibi curæ illi fuissent,
ut cervicalia apponi curasset, suamque custodiam et vigilias comme-
moravit, propter invidos, qui splendorem suum contumeliis afficere
cupivissent. Adjecit illa etiam maxime ridenda, quorum collegas ita
pudebat, ut faciem obtegerent: ut Philippi legatos hospitio exce-
pisset, ut eis discessuris bigas mulorum conduxisset, et equo eos
comitatus esset, non in tenebras demersus, ut alii quidam, sed aperte
ostendisset observantium et studium suum. Illa vero demum vehe-
menter etiam corrigebat; se non dixisse Philippum esse formosum:
nihil enim esse muliere formosius. Neque potando eum valere:
quod eam laudem spongiæ esse existimaret. Neque memoria pollere:
quod eam putaret rhetoris mercenarii esse commendationem. Ne
longum faciam, ejusmodi erant ea quæ dicebat, præsentibus legatis,
ut breviter complectar, totius Græciæ, unde risus maximus conci-
tabatur.

35. Ut autem aliquando finierat, factoque silentio, ego post
tantam rusticitatem, et tam insignem adulationem dicere cogebar,

necessario pauca præfatus sum de calumnia collegis facta : missos esse nos ab Atheniensibus legatos, non ut in Macedonia causam ipsi diceremus, sed domi judicio de nobis facto, quod digni essemus civitate. Pauca item de jurejurando sum præfatus, cuius exigendi gratia venissemus, ceterasque res, quas nobis mandaveratis, exposui, —nam copiosus et eloquentia præstans Demosthenes nullius-rei necessariæ meminerat—, itaque et de expeditione ad Pylas feci mentionem, et de sacris, et de Delphis et Amphictyonibus; in primis autem a Philippo petii, ut res eas non vi et armis, sed suffragio et judicio, constitueret. Quod si fieri non posset,—ut dubium non erat, cum exercitus convenisset, atque in procinctu staret—, dicebam, ei, qui de sacris Græcanicis deliberaturus esset, magnam religionis curam esse suscipiendam, et iis, qui de patriis ritibus docere vellent, auscultandum. Eademque opera a primordio commemorabam, ut templum ædificatum esset, ut Amphictyones principio convenissent, eorumque jusjurandum recitabam, quo veteres obstricti essent, se nullam urbem Amphictyonicam eversuros, neque aqua profluente prohibituros, sive pace sive bello; quod si quis contra fecisset, ei se bellum illatueros, et urbes excisuros. Si quis vero Apollinem vel spoliaret, vel conscius esset illius injuriæ, vel consilium daret contra templum, eum se ulturos et pede et manu, et voce et omnibus viribus. Annexam etiam esse jurijurando atrocem exsecrationem.

36. His recitatis, pronunciabam, justum vidcri mihi, ne Bœotias urbes eversas jacere pateremur, ut quæ et Amphictyonicæ essent, et jurejurando comprehensæ. Enumerabam porro gentes duodecim, quæ templi participes essent, Thessalos, Bœotios, non Thebanos solos, Dorienses, Ionas, Perrhæbos, Magnetes, Locrenses, Cœtæos, Phthios, Maleenses, Phocenses: et harum gentium unamquamque demonstrabam par suffragii jus habere, maximam idem quod minimam, eum qui venisset Dorio et Cytinio, tantum valere, quantum Lacedæmonios: binum enim quamque gentem suffragium ferre: Ex Ionibus item Erythræum et Prienensem, quantum Athenienses, ac ceteros eodem modo. Principium igitur expeditionis illius, pronunciabam oportere justum esse. Ubi ergo Amphictyones in templo convenissent, ac æquabile dicendi jus et suffragium adepti essent, eos qui auctores fuissent templi principio occupandi, in judicium adducendos censebam, non patrias eorum, sed eos ipsos qui manum admovissent, et consilium dedissent, urbes autem, quæ facinorosos exhibuissent, indemnes esse oportere. Sin armis rem exsecutus, injurias Thebanorum confirmasset, ab iis quos juvisset gratiam ei relatum non iri —neque enim tanta in eos posse conferre beneficia, quanta olim contulissent Athenienses, quorum illi non meminissent—, quos vero deseruisset, iis injuriam facturum, ac hostes potius majores, quam

amicos habiturum. Ne vero sermonibus illic habitis accurate apud vos commemorandis immorer, ubi summatim de omnibus dixero, desinam. Penes fortunam et Philippum, rerum gerendarum fuit auctoritas: penes me, benevolentiae erga vos, et orationis habendae potestas. Ea porro a me dicta sunt, quæ dici fuit æquum, quæque e re vestra fuerunt: eventus autem is consecutus est, qui non optatis nostris, sed Philippi actis respondit. Utrum igitur æquius est, auctoritate florere, eum ne, qui ne studuit quidem commodare quicquam, an eum, qui nihil quod potuit prætermisit? Nunc autem propter tempora, multa prætermitto.

37. Dixit autem, mentitum esse me, cum profiterer, intra paucos dies Thebas fore humiles; et Eubœensibus terrorem incurrisse, cum vos spe aliqua producerem. Quid autem faciat, cognoscite, Athenienses. Ego dum apud Philippum essem, petii, cum ad vos reverterer, renunciavi, censere me, esse æquum, ut Thebae essent Bœotiae, non, ut Bœotia Thebarum esset. Hoc iste me non renunciasse, sed promisisse ait. Dux autem apud vos, Cleocharem Chalcidensem dixisse, mirari se vestram et Philippi subitam concordiam, atque illam etiam mandatorum nostrorum ex decreto clausulam, agendum esse nobis quicquid præterea possimus boni. Nam qui parvorum, ut ipsi, oppidorum essent cives, iis terrori esse arcana majorum civitatum. Haec iste me non renunciasse ait, sed promisisse, vobis Eubœam traditum. Ego vero in ea eram opinione, urbem de summa rerum deliberaturam, nullam non a Græcis habitam orationem audire oportere.

38. Illam etiam orationem insidiosa distinctione calumniatus est, se, vera renunciaturum, a me et Philocrate esse prohibitum. Ego vero vos rogatos volo, an unquam quisquam Atheniensium legatus prohibitus fuerit, quo minus acta sua populo renunciaret, idque per collegas, et ab iisdem contumeliis affectus, tamen scripserit, eos laudandos, et ad cœnam invitandos. Demosthenes autem a posteriore legatione reversus, qua statum Græciæ queritur eversum, non decreto duntaxat nos laudavit, sed cum apud populum renunciasssem habitam tum de Amphictyonibus orationem, deque Bœotiis, non per compendium et festinationem, ut nunc, sed quam accuratissime potui, totidem verbis, eamque populus vehementer approbasset, advocatus a me et collegis, et accurate rogatus de singulis, utrum vera et eadem renunciarem apud Athenienses, quæ apud Philippum dixisse, omnibus legatis attestantibus, et me collaudantibus, surrexit post omnes, et dixit, me non, quemadmodum in præsentia dicerem, tunc etiam dixisse, sed illic duplo melius. Horum vos, qui suffragia feretis, testimonium mihi perhibebitis. Enimvero quæ pulchrior ei dari potuit occasio redarguendi mei, quam tum statim, si qua in re urbem decipiebam?

39. Ais, prima legatione te non animadvertisse meam contra rem-publicam conspirationem, sed in posteriore intellexisse, in qua te patrocinari mihi constat. Et cum illam interim accuses, accusationem tamen dissimulas: hauc vero accusas, qua jusjurandum exegimus. Atqui si pacem vituperas, tu etiam societatem decre-visti. Et Philippus, si qua in re urbem decipiebat, propterea men-tiebatur, ut eam consequeretur pacem, quæ e re sua esset. Hæc igitur ratio prioris legationis fuit: posterior autem, rebus jam confectis facta est. Quæ igitur in ea fraudes fuerunt? Nam quantus iste sit impostor, ex ejus oratione colligitur.

40. Ait, me noctu per Lydiam amnem celoce ad Philippum tra-jecisse, et literas quæ huc missæ sunt, Philippo scripsisse. Nam Leosthenem, qui propter calumniatores urbe exsulet, non satis habuisse dexteritatis ad scribendas literas; quamvis sint qui dicant, eum post Callistratum Aphidnæum omnium fuisse eloquentissimum. Neque ipsum Philippum, contra quem vos Demosthenes defendere non potuit. Necque Byzantium Pythonem, hominem qui scribendi artem laudi sibi dicit, sed mea scilicet opera ad rem conficiendam fuisse opus. Alias dicens, me sæpe interdiu solum cum solo Philippo esse collæcutum, alias criminaris, me noctu fluvium trajecisse. Usque adeo nocturnis literis fuit opus. Te autem nihil dicere veri, adsunt qui testentur, ii cum quibus victu communi sum usus, Aglaocreo Tenedius, et Iatrocles Pasiphontis filius, cum quibus omni tempore continenter singulis noctibus dormivi, qui consciæ sunt, me nullam unquam noctem, aut noctis partem a se abfuisse. Adducimus etiam famulos, et ad quæstionem damus, ac orationem, si concesserit ac-cusator, omitto. Adesto autem carnifex jam, et coram vobis torqueat, si jusserritis. Satis adhuc diei reliquum est ad hæc peragenda. Nam distributo diei tempore, ad undecim aquæ amphoras accusor. Quod si in quæstione dixerint, me unquam ab his convictoribus ullam noctem abfuisse, ne parcitote mihi, Athenienses, sed surgite, meque occiditote. Sin tu, Demosthenes, mendacii convictus fueris, has dato pœnas: confitere coram his, te semivirum esse, et non inge-num. Accerse mihi servos huc ad' tribunal, et collegarum recita testimonium.

TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

Quando autem provocationem repudiat, neque se commissurum, ait, ut mancipiorum quæstio fraudi sibi sit, cape has literas, quas Philippus misit. Unde constet, eum magnis in rebus decipere civi-tatem, ut ob eas literas scribendas fuerit nobis lucubrandum.

LITERÆ.

Audite, Athenienses, ait, se dedisse jusjurandum vestris legatis, et

socios suos qui adfuerint, nominatim cum ipsis, tum urbes eorum inscripsisse, eos vero socios qui non adfuerint, pollicetur se misurum esse. Hæc ergo putatis Philippum non interdiu scribere potuisse sine me? Sed ita me dii ament, isti non aliud curæ esse appetat, nisi ut interim dum verba facit, eloquentiæ gloriam consequatur: an vero paulo post omnium Græcorum improbissimus sit perhibendus, pro nihilo putare.

41. Quid enim tali homini quisquam credat, qui dicere non viritus est, Philippum non suis auspiciis, sed meis concessionibus intra Pylas penetrasse? Atque etiam numerum dierum iniit apud vos, intra quos ego legationem renunciarim, et Phalæci, Phocensium tyranni, publici caduceatores decreta nostra illuc renunciarint, et Phocenses me freti illum intra Pylas receperint, atque urbes suas ei tradiderint. Et hæc quidem commentus est accusator, res autem Phocensium interierunt, primum per fortunam, quæ omnibus dominatur, deinde propter spatium temporis et decennale bellum— eadem enim res Phocensium tyrannorum opes et auxit, et destruxit, nam imperium suscepserunt, cum ausi essent sacram pecuniam invadere, et peregrinorum militum opera respuplicas mutassent, tandem interierunt inopia pecuniæ, cum eam omnem in stipendia militum erogasset—, tertio loco eos evertit seditio, quæ exercitus penuria laborantes familiariter comitari solet, quarto loco Phalæci futurarum rerum ignoratio. Nam Thessalorum quidem et Philippi exercitus in conspectu erat, non multo autem ante quam pax vobis cum iniretur, legati Phocensium ad vos venerant, auxilia petentes, et vobis se tradituros pollicentes Alponum, Thronum, et Nicæam, quæ loca transitu Pylarum potiuntur. Cum vero vos decrevissetis, ea loca Proxeno duci vestro a Phocensibus tradenda esse, et quinquaginta triremes complendas, et iis qui intra trigesimum ætatis annum essent in aciem exeundum, tyranni ea loca Proxeno adeo non tradiderunt, ut legatos, qui se arcet illas vobis tradituros promiserant, in vincula conjecterint, et cum facialibus, qui arcana illa fœdera annunciant, soli Græcorum Phocenses fœdus non percusserint. Deinde cum Archidamus Laco paratus esset loca illa accipere, ac tueri, non assenserunt, sed ei responderunt, se Spartæ magis quam suis rebus diffidere. Eo autem tempore, nondum inter vos et Philippum convenerat, sed eodem die et de pace deliberabatis, et Proxeni literas audiebatis, quibus significabatur, Phocenses loca illa non tradidisse, et ii qui arcana sacra annunciant, indicabant, solos inter ceteros Græcos Phocenses fœdus non admisisse, sed legatos, qui huc profecti essent, in vincula conjectisse. Quæ ut vere a me dici constet, accerse feciales, et Callistratem ac Metagenem, quos Proxenus ad Phocenses legatos misit. Audite item literas Proxeni.

LITERÆ.

Auditis, Athenienses, una etiam tempora recitari ex publicis monumentis, testes quoque dixisse, priusquam ego legatus crearer, Phalæcum, Phocensium tyrannum, nobis et Lacedæmoniis diffisum, Philippo credidisse. Nunquid vero iste solus, quid eventurum esset, ignorabat? Imo vos ipsi publice quomodo affecti fuistis? Nonne omnes exspectabatis, fore, ut Philippus Thebanos opprimeret, quippe quorum et audaciam videret, et perfidorum hominum potentiam augeri nollet? Nonne Lacedæmonii legati una cum vestris, Thebanis refragabantur, ac tandem aperto odio eos in Macedonia lacessebant, et legatis illoruni minitabantur? Nonne vero ipsi aestuabant, et de sese pertimuerant legati Thebanorum? Nonne Thessali ceteros deridebant, et sua causa illam expeditionem susceptam esse jactabant? Nonne vero quidam amicorum Philippi aperte ad vestrum quosdam dicebant, Philippum Bœotias urbes instauraturum esse? Nonne Thebani omnes suas copias eduxerunt, diffisi rebus suis? Nonne Philippus ea cum videret, vos per literas cum omnibus copiis exire jubebat, pro æquitatis defensione? Nonne vero bellicosi isti, qui pacem ignaviam vocant, vos prohibuerunt, ne exiretis, quod se vereri dicerent, ne pace et societate facta, Philippus milites vestros obsides caperet?

42. Utrum igitur ego prohibui majores imitari, an tu, et ii qui tecum contra rempublicam conspirarunt? Utra porro expeditio tutior fuit, et honestior Atheniensibus? Eane, cum Phocensium furor viribus adhuc sustentaretur: cum Philippo resisterent, cum Alponum et Nicæam tenèrent, nec dum ea loca Philippus Macedonibus tradidisset: cum fœdus, ex quo eis suppetias ituri eramus, atque arcana sacra repudiassent: cum Thebanos a tergo reliquissemus: cum a Philippo accerseremur, jurejurando et societate cum eo nobis intercedente: cum Thessali et ceteri Amphictyones militarent? Nonne hæc occasio longe fuit honestior illa, qua propter et ignaviam et invidentiam tuam Athenienses suppellestilia ex agris in urbem convexerunt, cum ego jam tertiam legationem obirem apud concilium Amphictyonum, quam tu me obivisse non delectum, dicere non dubitas: et tamen cum inimicus mihi sis, hactenus nunquam ausus es me falsæ ¹⁴legationis accusare. Neque enim scilicet eas mihi mulcas invides, quæ corpore sunt luendæ.

43. Itaque cum Thebani assiderent, atque orarent, cum nostra urbs propter te perturbata esset, cum Athenienses légiones non adessent, cum Thessali se cum Thebanis conjunxissent, propter vestram temeritatem, atque odium Phocensium, quod ab antiquis temporibus in eos gerebant, quod Phocenses eorum obsides acceptos

trucidassent, cum Phalæcus ante meum, Stephani, Dercylli, ceterorumque legatorum, qui ad Amphictyonas missi erant, redditum per inducias dimissus esset, cum Orchomenii metu perterriti, salute corporibus suis pacta, polliciti essent, se Bœotia excessuros, cum Thebanorum legati adstarent, cum aperte inimicitiae Philippi erga Thebanos et Thessalos restarent, tum res perierunt, non propter me, sed per tuam proditionem, et amicitiam cum Thebanis. Harum ego rerum me magna argumenta prolaturum arbitror.

44. Nam si quid eorum quæ tu dicis, verum esset, Bœotii et Phocensium exsules me accusarent: quorum alias ejecissem, alias ab exsilio revocari prohibuissem. Nunc non eventu considerato, sed studio meo comprobato, Bœotiorum exsulum concilium advocates mihi creavit. Adsunt et e Phocensium urbibus legati, quos ego tertia ad Amphictyonas legatione conservavi, cum Cœtæ censerent, puberes de rupe præcipitandos esse, atque ad Amphictyonas adduxi, ut eis dicendi pro se potestas daretur. Nam Phalæcus tyranus certis conditionibus dimissus erat, hominibus autem insontibus exitium imminebat, qui me patrocinante sunt conservati. Ut autem vera me dicere constet, voca mihi Mnasonem Phocensem, ejusque legationis collegas, et eos qui a Bœotio exsilio sunt delecti. Adscendite huc, Lipare et Pythio, eandemque ad vitæ incolumentatem mihi gratiam referte, quam ego vobis contuli.

ADVOCATIO BŒOTIORUM ET PHOCENSIVM.

Non vero inique mecum ageretur, si accusante me Demosthene, Thebanorum procuratore, ac Græcorum improbissimo, Phocensibus autem et Bœotiis mihi patrocinantibus, condemnarer?

45. Ausus porro est dicere, meis ipsius verbis me convinci. Ait enim me dixisse, cum Timarchum accusarem, omnes impudicitiae famam de eo accepisse: Hesiodum autem præstantem poetam dicere,

Quam populi sermo celebrat creber, irrita nunquam
Fama cadit penitus, Dea quædam cum sit et ipsa.

Eandem igitur deam nunc venire me accusatum; omnes enim dicere, me pecuniam accepisse a Philippo. Satis autem scitis, Athenienses, inter famam et calumniam plurimum interesse. Fama enim cum criminacione nihil habet commune: criminatio vero et calumnia germanæ sunt sorores. Quarum utramque perspicue definiam. Fama est, cum multitudo civium ultiro, nulla de causa, de re aliqua loquitur, quasi facta sit: calumnia vero est, cum unus vir apud multos crimine conjecto, tam in concionibus omnibus, quam apud senatum, aliquem criminatur. Ac Famæ quidem sacra publice fa-

cimus, ut deae: de calumniatoribus autem, tanquam maleficiis publice conqueri licet. Noli igitur conjungere turpissima cum honestissimis.

46. Ego vero, cum alia multa in accusatione iniquo animo tuli, tum vero illud, quum me proditionis insimulavit. Nam una cum his criminibus ostendendum est, me esse ferum atque impium, et multis aliis criminibus olim constrictum. Sed ego vos meae vitae, ac quotidianae consuetudinis idoneos existimo censores: quae vero vulgo perspici non possunt, hominibus vero animo liberali praeditis sunt maxima, horum ego plurima quae recte se habent apud me, in conspectum producam, ut sciatis, quae pignora, cum hinc legatus irem in Macedoniam, post me reliquerim. Tu quidem Demosthenes ista contra me commentus es: ego vero ut educatus sim, vere exponam. Hic pater meus est Atrometus, fere natu maximus omnium civium: annos enim jam vixit quatuor et nonaginta. Accedit autem, ut adolescens, ante rem familiarem bello amissam, pugilem ageret, post a xxx. tyrannis ejectus, in Asia militaret, atque in præliis victoriam cum laudis insignibus consequeretur. Ejus porro genus est ex ea curia, quae aras cum Eteobutadis communes habet, unde Minervæ urbanæ sacrificula deligitur. Ad haec, ut paulo prius etiam dixi, populi in patriam reducendi adjutor fuit. Præterea, materni cognati mei omnes ingenui sunt, quae mihi nunc ob oculos versatur, sollicita de salute mea, et inops consilii. Enimvero, Demosthenes, mater mea cum suo marito Corinthum abiit exsulatum sub xxx. tyrannis, et publicorum malorum particeps fuit. Tu autem, qui te virum profiteris—valde enim dubito an vir sis appellandus—inscriptus es, ut ordinum desertor, et accusatore Nicodemo Aphidnæo pecunia placato evasisti, cuius postea Aristarcho adjutor fuisti occidendi, et cum manus cæde inquinatas habeas, in forum irrumpis. Philochares porro frater meus, qui non degeneri studio occupatur, ut tu conviciaris, sed in gymnasiis versatur, ut cum Iphicrate militavit, et tertium jam annum continenter est cum imperio, adest, oraturus vos, uti me conservetis. Aphobetus autem, frater noster natu minimus, legationem pro vobis apud regem Persarum obiit, pro dignitate civitatis, vestrosque redditus recte justeque curavit, cum eum publicis vectigalibus præfecissetis, et legitimos liberos procreavit, non ut tu, suam uxorem Cnosioni ad stuprum obtulit, atque adstat, contemptis conviciis tuis. Falsum enim probrum ultra aures non penetrat.

47. Ausus etiam es in affines meos dicere, adeo impudens es, et veteris beneficij immemor atque ingratus, qui Philodemum, Philonis patrem et Epicratis, non diligas et adores, cuius opera in municipies es inscriptus, ut e Pæaniensibus natu maximi nieminerunt. Itaque stupore quodam afficiar, si tu Philoni conviciari audes, idque apud

modestissimos Atheniensium, qui huc ingressi sunt, publici boni causa jus dicturi, vitasque nostras spectant magis quam orationes. Utrum enim eos censes optare, ut decem millia militum exsistant, qui sint similes Philonis, et corporibus sic affecti, et animis ita modesti: an vero tricies mille cinædi, qualis tu es? Atque etiam Epicratis tractabilitatem, fratris Philonis, loco probri commemoras. Et quis eum unquam vidi indecore se gerentem vel interdiu, ut tu ais, in celebritate Bacchanalium, vel noctu? Neque enim dicere potes, eum latuisse. Neque enim ignotus fuit.

48. Mihi vero, Athenienses, ex Philodemi filia, Philonis et Epicratis sorore, tres nati sunt liberi, una filia, et filii duo. Quos ego cum ceteris affero, unius interrogationis ergo, et argumenti apud judices, quo nunc utar. Rogo enim vos, Athenienses, num videar vobis una cum patria et amicorum consuetudine et sacris, et patrum monumentorum communione, hos omnium mortalium mihi carissimos prodidisse Philippo, et pluris fecisse illius amicitiam, quam salutem horum. Qua victus voluptate? Aut quod unquam dedecus pecuniae causa in me suscepit? Neque enim Macedonia bonos aut malos facit, sed suum quemque ingenium. Neque alii sumus a legatione reversi, sed tales, quales nos ablegastis. Sed implicatus sum in republica cum mirifico præstigiatore, et insigni prædicto improbitate, qui nec invitus veri quicquam dicat, cum autem mentitur, principatum orationis tenet jusjurandum, nec impudentes ejus oculos vester conspectus pudefacit. Neque vero quæ facta sint duntaxat ait, sed et diem quo facta esse ait, adjicit, et fictitium aliquujus nomen adjungit qui interfuerit, ut eos qui vera loquuntur imitetur.

49. Sed una res nobis insontibus est præsidio, quod in istis morum præstigiis et compositione fabularum, mentem non habet. Nam quanta sit hominis væcordia, simul et inscitia, ex eo æstimate, quod ejusmodi mendacium contra me de Olynthia muliere commentus est, ut inter dicendum a vobis ejiceretur. Eum enim, qui ab ejusmodi crimine remotissimus esset, apud eos qui vitam illius perspectam haberent, criminabatur. Videte autem quam longe ante ad crimen istud se pararit. Est quidam frequentare nostram urbem solitus Aristophanes Olynthius. Is cum isti a quibusdam esset commendatus, atque illud etiam adjectum esset, dicendi esse peritum, hominem omni obsequiorum genere demererit studuit, atque adducere, ut falso me apud vos testimonio oppimeret. Quod si progressus miserabili gestu, dicere vellet, me mulieri sibi cognatae et captivæ insultasse, statim ei se quingentas drachmas daturum pollicebatur, atque alias quingentas post dictum falsum testimonium. Ille autem ei respondit, ut ipse narrabat, eum, quod ad exsilium attineret, atque inopiam qua urgeretur, non mala, sed quam

sagacissima conjectura esse usum; sed ab ingenio suo longissime aberrasse. Nihil enim ejusmodi se commissurum. Ut autem vera me dicere constet, ipsum Aristophanem testem producām. Accerse Aristophanem Olynthium, ejusque testimonium recita, eos item qui hoc ex illo audiverunt, mihiique nunciarunt, Dercyllum Autoclis f. Hagnusium, et Aristidem Euphileti f. Cephisiensem.

TESTIMONIUM.

Testes jurantes et testificantes auditis, nefarias autem istas verborum technas, quas iste adolescentibus pollicetur, quibusque nunc contra me est abusus, nunquid meministis, ut obortæ sint ei lacrymæ, ut Græciā deplorarit, ut Satyrum comicum histrionem laudaret, quod hospites quosdām suos captivos fodientes in Philippi vinea, cū vinctos, in compotatione a Philippo impetrasset: hoc fundamento jacto, adjecit, contenta acuta ista et nefaria voee, quam acerbū sit, cum is qui Cariones et Xanthias repræsentet, adeo generosum et magnanimum se præbuerit, me qui sim urbi maximæ a consiliis, qui illos x. m. Arcadas admoncam, petulantiam meam non coercuisse, sed calore evectum, cum nos quidam ex Philippi amicis Xenodocus convivio excepisset, capillis traxisse, et loris arreptis captivam mulierem flagellasse? Igitur si vos ei credidissetis, et Aristophanes una cum eo me per mendacium oppressisset, ob turpe crimen jure periissem. Sinetis igitur eum qui talis sit meus malus genius (absit enim ut vobis sit), sinetis, inquam, versari inter vos? Ac concionem quidem lustrabitis, in decretis autem vota per istum facietis? Et exercitum sive pedestrem sive navalem ablegabitis? Atqui Hesiodus ait:

Sæpe viri gens tota luit scelus unius atrox,
Qui præceps agitur male sani pectoris æstu.

50. Unum adhuc superioribus adjiciam. Nam si qua est in rebus humanis improbitas, cuius ego non principem esse Demosthenem demonstraro, mori non recuso. Sed multis reus difficultatibus conflictatur, et animum ab ira periculum ad salutis revocat defensionem: ac dispicere jubet, ne ullum accusationis caput prætermiserit. Itaque simul et vobis et mihi objecta crimina in memoriam revocabo. Considerate igitur singula, Athenienses, quo decreto ego scripto accuser, aut qua lege abrogata, aut qua impedita quo minus perferretur, aut quibus pactionibus pro republica factis, aut quibus decretis de pace deletis, aut quibus quæ vobis probata fuerunt, non adscriptis? Non placebat pax quibusdam oratorum. Nonne vero tum refragari, non nunc me accusare debuerunt? Ditabantur quidam bello de vestris tributis et publicis vectigalibus. Quorum messis nunc desiit. Pax enim otium non alit. Ii ergo qui non læduntur,

sed hædunt rempublicam, pacis interpretem mulctabunt, vos vero qui fructum percipitis, eos qui utilem reipublicæ operam uavarunt, deseretis?

51. Una cum Philippo cantica triumphalia cecini, eversis Phocensium urbibus, ut ait accusator. Quo autem id argumento perspicue poterit demonstrare? Sum enim cum ceteris nostris legatis ad hospitium invitatus; fuerunt autem vocati, et concœnati sunt cum legationibus Græcorum, non pauciores ducentis. Inter quos ego scilicet conspicuus fui, non subticens, sed concinens, ut ait Demosthenes: qui nec ipse ibi adfuit, nec eorum qui interfuerunt ullum testem produxit. Et quis me nosse potuit, nisi forte, ut in cœtibus, præcinui? Itaque si tacui, falso me accusas: sin patria nostra incolumi, et civibus nulla calamitate publica conflictantibus, Pæanem cum ceteris legatis concinui, cum et deo honos haberetur, et Athenienses nulla ignominia afficerentur, pie feci, non injuste, et jure conservabor. Et ego propter hæc immisericors homo sum: tu vero pius, qui sis eorum, qui iisdem tecum et libationibus et epulis usi sunt, accusator.

52. Atque etiam inconstantiam in gerenda republica mihi objecisti, quod cum prius Græcos contra Philippum concitassem, legatus ad eum iverim. Enimvero idem crimen publice omnibus Atheniensibus objicies. Bellum gessistis cum Laccdæmoniis: eosdem post Leuctricam calamitatem defendistis. Thebanos exsulantes in patriam restituistis: et rursus eosdem ad Mantineam oppugnastis. Oppugnastis Eretrienses et Themisonem: atque eosdem conservasti. Et Græcos infinitos eodem modo tractastis. Nam tempori servire, et optima quæque amplecti publice et privatim, omnes necesse habent. Quid autem bono senatori est agendum? Nonne reipublicæ pro re nata, ea quæ utilissima sint, suadenda? Improbo porro accusatori quid est dicendum? Nonne temporibus dissimilatis res gestæ accusandæ? Unde porro homo ad præditionem natus, est spectandus? Non ita, ut tu iis usus es qui tibi familiares fuerunt, et fidem habuerunt: qui ob mercedem orationes ad judicia scribat, easque prodat adversariis? Orationem scripsisti Phormioni mensario, pecunia accepta: eandem Apollodoro tradidisti, qui Phormionem capitum accusabat. Ingressus es in florentem Aristarchi domum, Moschi f., eam perdidisti. Præcepisti tria talenta ab Aristarcho qui exsulat: eum exsili viatico spoliasti, famam nihil veritus, cum te mirari formam adolescentis simulasses. Neque enim vere miratus es. Neque enim verus amor improbitatem admittit. Ex his, similibusque rebus, æstimandus est proditor.

53. Quodam etiam loco militiæ mentionem fecit, meque egregium illum militem appellavit; ego vero non propter illius convicium, sed discriminis hujus habita ratione, sine invidia de his

etiam a me dici et posse et debere existimo. Ubi enim, aut quando eorum, aut apud quos, hac die prætermissa, faciam mentionem? Cum igitur pueritiam excessissem, custos nostræ ditionis fui per biennium, cujus rei æquales et collegæ mihi apud vos testimonium perhibebunt. Primum in militiam profectus sum ea expeditione, quæ Meresiana nominatur: et dum cum æqualibus pompam Phliuntiam cum Alcibiadis militibus comitarer, et circa Nemeæam fossam prælium commissum esset, sic decertavi, ut a ducibus laudarer: ceteris etiam expeditionibus quæ per vices mittebantur, ut Eponymianæ et Meresianæ, interfui, et ad Mantineam depugnavi, non turpiter, aut cum dedecore civitatis. In Eubœa item militavi, et Tamynæa pugna inter delectos ita me gessi, ut et ibi a ducibus corona ornarer, et huc reversus iterum a populo, cum et victoriam publice renunciasset, et Temenides Pandioniae tribus centurio, qui a castris legatus huc mecum profectus erat, qualem in prælio me præbussem, indicasset. Quæ ut vere a me dici constet, cape decretum hoc, et Temenidem voca et eos commilitones meos, qui pro republica militarunt, et Phocionem imperatorem, nondum advocatum, nisi judicibus visum fuerit, et testem calumniatori obnoxium, si mentitus fuerit.

DECRETUM. TESTIMONIA.

Cum igitur primus urbis victoriam vobis renunciarim, et liberum vestrorum successus, primam hanc a vobis gratiam repeto, ut vitam meam tueamini, cum non sim populo inimicus, ut accusator ait, sed improbis infestus, quippe qui vetem vos Demosthenis majores imitari—nulli enim sunt—, sed cohorter, ut honestorum consiliorum æmulatores sitis. Quæ altius repetita paulo dilucidius explanabo.

54. Primum, nostra urbs gloriam consecuta est post navale contra Persam prælium ad Salaminem gestum, cum mœnibus a barbaris dirutis, et pace cum Lacedæmoniis constituta, libertatem civitatis retinuimus. Post a quibusdam concitati, belloque contra Lacedæmonios suscepto, multis malis et datis et acceptis, intercessione Cimonis, Miltiadis filii, cui hospitium erat cum Lacedæmoniis, fœdus annorum quinquaginta percussimus, eoque tredecim annos sumus usi. Hoc tempore Piræum muro cinximus, et septentrionalia mœnia exstruximus, et præter eas, quas ante habueramus, centum triremes ædificavimus, et trecentos equites nostris copiis adjunximus, trecentos item Scythes sagittarios mercati sumus, et populare imperium constanter retinuimus. Cum autem in rempublicam nostram homines non ingenui nec moderati irruissent, rursus Æginetis bellum intulimus: in eoque non mediocribus affecti damnis pacem expetivimus, Andocide cum collegis niisso ad Lacedæmonios, et pacem triginta annos servavimus, quæ magni-

fice populum extulit. Nam mille talenta signatæ pecuniæ in arcem retulimus, et centum alias triremes fabricati sumus, et navalia extruximus, et equites mille ducentos comparavimus, et alios totidem sagittarios; erecta item sunt austriæ mœnia, neque quisquam statum popularè evertere est aggressus. Rursus cum persuasum nobis esset, ut bellum adversus Megarenses susciperemus, tum agros nostros vastari passi sumus, tum multis bonis amissis, pacem petivimus, atque fecimus per Niciam Nicerati filium. Sic iterum hoc tempore septem millia talentum ob pacis istius commoda in arcem retulimus, et triremes expeditas atque integras non pauciores trecentis comparavimus, item tributi nomine quotannis mille ducenta talenta nobis fuere pensitata; tenuimus Chersonesum, Naxum, Eubœam, plurimas colonias iis temporibus condidimus. Et cum tot bonis afflueremus, propter Argivos bellum intulimus Lacedæmoniis, Argivis obsecuti, donec tandem per oratorum velitationes eo deve-nimus, ut præsidium urbi imponeretur, et quadringenti, ac post impii triginta tyranni, rerum potirentur, pace non ultiro facta, sed vi nobis imperata. Rursus vita modeste acta, et populo e Phyle reducto, Archino et Thrasybulo populi partes defendantibus, oblivione injuriarum jurejurando sancita, unde omnes civitatem nostram sapientissimam judicarunt, tunc populo recreato, atque iterum viribus aucto, cives adulterini, et fraude in album civitatis relati, subinde laborantem urbis partem sibi conciliarunt, et bellum ex bello severunt. Nam in pace verbis pericula amplificabant, et præmonebant, atque animos liberales et nimis celeres exstimulabant, in bellis autem arma non attingebant, quamvis et censores essent, et classium præfecti, qui quidem liberos e scortis suscipiebant, et ob calumniandi studium infames erant. Hi igitur nostram urbem in extrema pericula conjiciunt, et cum popularis imperii nomen non moribus, sed assentatione colant, et pacem turbent, qua popularis status conservatur, atque iis navent operam, qui populum bellis opprimunt: hi nunc congregati me invadunt, ac Philippum pacem emisse dictitant, atque in pactionibus omnia nobis præripuisse; quam autem pacem impertrarit sibi conducibilem, eam violasse. Me vero sic accusant, non ut legatum, sed ut Philippi atque ipsius pacis sponsorem: et cum ne totius quidem orationis potestas penes me fuerit, actionum expectationem a me reposcunt. Jam eundem hominem in decretis laudatorem meum ostendo, et in judicio accusatorem reperio. Et cum decimus ipse legatus fuerim, solus rationes reddo.

55. Adsunt mihi quidem qui una mecum vos deprecentur, pater meus, cui spem senectutis ne eripiatis: et fratres, qui a me sejuncti vitam sibi acerbam putabunt: affines item et hi puelli quidem, qui pericula nondum intelligunt, sed miserabiles tamen sunt futuri, si quid nobis acciderit. Pro quibus ego vos oro atque obtestor, ut eos

etiam atque etiam commendatos habeatis, neque inimicis et effeminati ac mulierosi hominis iracundiæ tradatis.

56. Oro porro, et supplex peto, primum a diis immortalibus, ut me conservent, secundo loco a vobis, qui ferendi suffragii jus habetis, apud quos ego singula crima quantum quidem meminisse potui, refutavi. Conserveat igitur me, neque orationum scriptori et improbo Scythæ me tradite. Et qui vestrum patres sunt liberorum, aut qui fratres natu minores magnifacitis, recordamini, me immortalem ad modestiam adhortationem accusatione Timarchi reliquisse: a ceteris autem omnibus, erga quos me comem præbui, cum fortuna sim plebeius et mediocrium similis, in civilibus autem certaminibus solus ceterorum contra vos non conspirarim, peto salutem, summa erga rempublicam benevolentia legatione functus, et solus calumniatorum tumultum perpessus, quem multi jam, qui in bellis egregia facinora edidere, non sustinuerunt. Neque enim terribilis est interitus, sed contumelia in morte est mietuenda.

57. Quanta vero miseria est, inimici insultantis vultum intueri, et ejus probra auribus accipere? Sed tamen in discrimen ventum est, vita mea est periculis exposita. Apud vos sum educatus, in vestris congressibus sum versatus, cum nemine vestrum propter meas voluptates pejus agitur, neque patria quisquam privatus est me accusatore, cum in municipiis civium recensiones fierent, neque ob gestum magistratum in periculum veni. Sed ubi pauca dixero, descendam.

58. Illud, Athenienses, in potestate mea fuit, ut nulla vos afficerem injuria: ne vero in crimen venirem, id penes fortunam fuit, quæ me cum homine calumniatore, eoque barbaro, conflictari coegit, qui, neque sacrorum, neque libationum, nec mensæ communis habita ratione, sed iis qui in posterum adversari ei possent terrore injecto, adest, falsa contra nos accusatione concinnata. Quod si eos conservare volueritis, qui pacem vestramque securitatem defendunt, multi erunt, qui reipublicæ commoda tueri velint; et alacriter pro vobis decertare.

59. Peto autem, ut advocatus mihi esse dignetur, e viris modestis et in republica versatis, Eubulus, ex imperatoriis Phocio, qui præterea etiam justitia omnibus antecellit, ex amicis et æqualibus meis Nausicles, ceterique omnes, quibus ego familiariter usus, atque in iisdem studiis versatus sum. Ac mea quidem oratio jam absoluta est: corpus autem meum vobis, et a me traditur, et a lege.

ARGUMENTUM ORATIONIS IN CTESIPHONTEM.

SCITUM ficit Ctesiphon, nt Demosthenes Demosthenis f. Pæanieus corona aurea donaretur, eaque donatio in theatro palam fieret diebus Bacchaualium tragœdis, propterea quod ea quæ e re essent populi Atheniensis et dicere et facere semper persistet. Scitum illud Æschines ut contra leges factum in judicium vocavit, et tria accusationis capita summa profert, unum, quod Demosthenem rationibus nondum relatis corona douaudum decreverit, cum lege cautum sit ne quis magistratus coroua donaretur priusquam rationes retulisset, et hoc caput ad essentiam cause pertinet: alterum, quod corona pœconium in theatro fieri jusserit, cum lex vetet quemquam in theatro coronari, et hoc ad quæstionis qualitatem spectat: tertium et postremum, quod falsa in decreto scripserit; non enim esse honum virum Demosthenem, neque corona dignum. Hoc quoque est ad crimen de decretis contra leges factis referendum, cum exstet lex quæ falsa scribere prohibeat in decretis: perficiet autem ad qualitatem. Adversari vero tres objectiones anticipat, nam ad primum caput bifariam respondebit Demosthenes, se non fuisse in magistratu, nec murorum refectionem esse magistratum, sed ministerium quoddam et curationem; et ut magistratus sit, tamen cum de suo sit largitus et e publico nihil acceperit non sibi referendas esse rationes: utrumque pertinet ad qualitatem. Contra hoc autem Æschines conjecturale caput opponit, quamvis id nou confirmet: si non de suo largitus est, sed decem talenta ad operis sumptum a Senatu accepit: respicit hoc essentiam quæstionis. Adversus alterum caput cum Demosthenes aliam proferret legem quæ coronam iu theatro promulgare jubeat, si jusserit populus, eam Æschines nun ad civicas, sed ad hospitalcs coronas spectare contendit: refertur ad essentiam. Ad tertium multa singulatim regerit. Existimat autem Demosthenem in quatuor tempora defensionem suam partitum esse, singulasque actiones suas iu ea distribuisse. Primum porro tempus id ait fuisse quo bellum primum cum Philippo de Amphipoli gestum fuerit, alterum factæ pacis, tertium secundi belli et cladis Chæroneusis, quartum deinde tempus præsens, earum sc. rerum quæ ipsis cum Alexandro jam tunc intercedabant. Primo igitur tempore pacis eum fuisse auctorem dicit, turpis et infamis, atque obstitisse quo minus eam uua cum commnni Græcorum consessu sanciret civitas: secundo, bellum Philippicum ab eo esse concitatum: tertio, et sacri belli et casus Amphisseusium causam fuisse, quin et cladis Chæroneensis, cum persuasisset civibus, ut suscepto contra Philippum bello, cum Thebanis socia arma jungerent: postremo, quod Alexandri tempore remp. deseruit. His absolutis totam Demosthenis vitam criminatur, iu paucis etiam et Ctesiphontis, ubi postulat ut pro se ipse causam dicat.

Et capita quidem hæc sunt: judicio tamen vicit Demosthenes.

Æschinem quidem culpant nonnulli, quod criminii de decretis legibus adversis uon fuerit immoratus, sed et acta Demosthenis exagitari, cum is remp. præclare administrasset. Hic tameu contra hac iu re maxime nititur, superest mihi, inquit, pars accusationis, in qua plurimum studii colloco: ea vero est causa, cur illum Ctesipho corona donandum censem. Videant autem isti an non rectissime sit factum. Cum enim magna apud omnes esset Demosthenis auctoritas atque existimatio, nt qui splendidissime remp. administrasset, non injuria putavit disputationem de decretis illicitis frigidam fore et inanem, nisi contrariam opinionem auditoribus incuteret, Demosthenem malevolo esse in populum animo et in rebus publicis turpem se et reprehensione dignum ostendisse: Quocirca in hanc accusationis partem summo studio incubuit, et in ea diuissime est

immoratus. In culpa fortasse ponet aliquis exordium, ut tragicum et vastum et ad perorationem proprius accedens.

Status orationis est negotialis scripto constans, ut et orationis pro corona: [neinpe] capita [status negotialis] uti et illic, legitimū sc. quod in tres leges, et justum quod in quatuor tempora dividitur. Observabis autem ut instar perorationis sit exorsus a rejectione advocateorū, quemadmodum et Demosthenes. Quidam dixerunt, non habere confirmationē exordium, itaque ne conclusionem quidem esse quārendam. Verum confirmationē non caret: quae est, ne ea quae æqua et usitata sunt in civitate fiant. Nam si ratio propositionis confirmationē efficit, ratio autem est quorundam deprecationes ne ea quae æqua sunt et usitata in civitate fiant, adest tñque confirmatio. Quin et conclusionem habet, e go vero fretus ad sum, usque ad illud, plus apud vos quam leges atque jura valitum.

Post accidit, ut patria excederet atque in exsilium iret ob accusationem decreti in honorem Demosthenis facti, quasi id esset legibus contrarium, et ipse mulctam eam sibi indixisset nisi ita esse ostenderet, victusque mulctam solvere nec posset nec vellet, quam ipse contra sese decreverat, quod et ipsum in oratione pro Corona cognovimus. Relicta igitur patria ad Alexandrum adscendere voluit, sed, cognito ejus obitu successorumque tumultibus, Rhodum navigavit ibique Rhodiacam scholam instituit, itaque et adolescentes erudiit et adulta ætate viris orationem Ctesiphonteam contra Demosthenem habitam recitavit: de qua cum in magna esset apud eos admiratione, rogareturque quo pacto in tam bona causa victus esset, respondit, miramini ut victus sim, eo quod illam bestiam non audiatis? Bestiam enim illum vocabat ob acerbitudinem ingenii et crudelitatem. Perhibent etiam, eum inter docendum illic declamationes et fictas controversias excogitasse primum.

ÆSCHINIS

IN

C T E S I P H O N T E M

ORATIO.

1. QUANTUS isthic apparatus sit, Athenienses, quantaque acies instructa, quibus denique in foro precibus sint usi quidam, ne ea quæ et æqua et usitata sunt, in civitate fiant, videtis. Ego vero diis primum immortalibus, deinde legibus ac vobis, fretus adsum, nullum existimans apparatum plus apud vos quam leges atque jura valitum.

2. Vellem quidem, Athenienses, et quingentorum senatus et conciones publicæ a præfectis suis recte administrarentur, vellem leges, quas Solon de oratorum disciplina tulit, valerent, ut ei primum qui ex civibus esset ætate proiectior, sicut leges jubent, in suggestum pudenter adscendentī, sine strepitu ac tumultu ex usu rerum

optima reipublicæ consilia dare liceret: deinde ut jam cuivis ci-vium, pro sua cujusque ætate, seorsim et per vices singulis de re-bus sententiæ dicendæ potestas sit. Sic enim mihi videtur et civitas optime regi posse, et contentiones forenses rarissimæ futuræ. Cum autem ea, quæ olim consensu omnium erant præstantissima, nunc abrogata sint, cum nonnulli sententias legibus contrarias non du-bitent perscribere, easque alii populi suffragiis permittant, non ju-stissima ratione proedrorum munus sortito adepti, sed facta coitione consecuti; si quis autem ex reliquis senatoribus munus illud revera sortitus sit et suffragia vestra rite pronuntiaverit, huic isti, qui remp. non jam communem sed privatum suam existimant, delationem nominis minitentur, redacta in servitutem plebe et dominationem sibi vendicantes, cum judicia quæ legibus constituta sunt abro-garint, quæque ex plebiscitis fiunt iracundi pronuntient: silet præ-conium illud omnium quæ in urbe sunt et pulcherrimum et mode-stissimum, quis quinquagenario major concionem ha-bere vult, deinde per vices qui alii Athenienses, sèd oratorum immodestiam jam neque leges neque prytanes neque proedri neque præsidens tribus, decima pars civitatis, possunt coer-cere.

3. Cum igitur hæc ita se habeant, ac talia reip. obvenerunt tem-pora, qualia vos esse ipsi intelligitis, una adhuc pars imperii reliqua est, si quid modo ego intelligo, judiciorum de decretis contra leges factis *vindicatio*. Quod si hæc quoque tolletis vel iis qui tollere con-nantur permittatis, prædicto vobis fore ut paulatim universæ reip. sta-tum certis hominibus imprudentes concedatis. Probe enim nostis, Athenienses, tria esse apud omnes homines reip. administrandæ ge-nera: Unius, Paucorum, et Populi principatu. Ac regnum quidem paucorumque dominatus eorum qui præsunt administrantur arbi-trio; liberæ vero civitates statis legibus *obtemperant*. Neminem igitur vestrum hoc lateat, sed plane sciat unusquisque, se, eo ipso die quo forum judiciale ingreditur actionem de decretis contra leges factis disceptaturus, de sua etiam ipsius dicendi libertate laturum esse sententiam. Idecirco et Legislator primum hoc posuit in judicum jurejurando, sententiam feram secundum leges, illud nimirum pro comperto habuit, conservatis reip. legibus, salvum simul esse imperium populare. Quæ quidem vos memoria tenentes oportet eos qui decreta scribunt legibus contraria odisse, neque ullum hujusmodi crimen leve, sed gravissimum esse unumquodque arbitrari, denique hoc jus neminem mortalium vobis pati eripere, *repudiatis* et imperatorum patrociniis, qui jamdiu oratoribus quibus-dam adjutores adsciti remp. labefactant, et hospitum depreciationi-bus, quibus aliqui subornatis e judiciis effugiant, cum legibus con-trariam sequantur reipublicæ gerendæ rationem: sed quemadmo-

dum quemque vestrum puderet stationem in bello sibi assignatam deserere, ita etiam nunc pudeat ab eo loco migrare, in quo a legibus collocati estis dominationis popularis custodes hodierno die constituti.

4. Illud etiam memoria est tenendum, universos cives reip. statum atque regimen vestræ nunc fidei commisisse, quorum alii hodiernæ intersunt causæ, alii vero absunt suis occupati negotiis: quos reveriti, et jurisjurandi, quo obstricti estis, legumque memores, si Ctesiphontem convicerimus et legibus contrarium falsumque et civitati incommodum decretum conscripsisse, evertite, Athenienses, iniqua proposita, dominationem popularem civitati stabilite, de iis qui in gerenda rep. neque legibus neque civitati neque communi omnium vestrum utilitati consulunt pœnas desumite. Quod si his animis ea quæ dicturus sum audieritis, certe scio vos et justam religiosamque et vobis reipublicæque perutilem sententiam esse laturos.

5. Ac de universa quidem accusatione satis multa me præfatum esse confido: de legibus autem, quæ ad eos pertinent qui rationibus referendis sunt obnoxii, contra quas decretum hoc scripsit Ctesiphon, paucis jam mihi esse dicendum videtur. Superioribus igitur temporibus, nonnulli summis in repub. magistratibus functi et vectigalibus præfecti curandis, quique in eorum singulis sordidum quæstum facerent, adjungendis sibi tum a senatu tum a plebe oratoribus, rationum referendarum judicia laudibus et præconiis ex longinquo antevertebant, ita ut in rationibus magistratum reddendis accusatores, multoque etiam magis judices, in maximas redacti erant angustias. Multi enim eorum qui rationes reddere tenebantur, cum apertissime peculatus arguerentur, e judiciis tamen evaserunt. Neque id sane mirum. Pudebat scilicet judices, in eadem urbe, fortassis etiam eodem anno, virum illum, de quo nuper ludis publicis prædicaretur, eum virtutis ergo et justitiæ aurea corona a populo donari; mox e judicio videri exeuntem furti causa repetundrum damnatum. Itaque sententiam ferre judices cogebantur, non quam objectum crimen postularet, sed qua civium pudori consulteretur.

6. Hæc cum legislator quidam animadvertisset, legem tulit eamque præclaram, quæ diserte vetat, ne qui rationes nondum retulerunt corona donentur. Quæ cum a legislatore tam prudenter sint prævisa, inventa tamen quædam sunt aucupia verborum legibus superiora, quorum nisi quis certiores vos faciat, imprudentes decipiemini. Eorum enim, qui aliquos ante relatas rationes corona donandos contra leges censem, nonnulli natura sunt modesti, si quis modo eorum modestus esse potest qui decreta scribunt legibus adversa: sed tamen velamentum quoddam dedecori prætendent. De-

cretis enim adscribunt, coronandum esse hominem, postquam gesti magistratus rationes reddiderit. Ac civitas quidem pari utrobique injuria afficitur; nam rationes referenda laudibus et coronis prævertuntur: is autem qui decretum scribit significat auditoribus, se quidem contra leges id scripsisse, delicti autem ipsum pudere. Ctesiphon vero, Athenienses, et legem transgressus quæ ad rationes relatuos pertinet, eumque, quem modo vobis exposui, prætextum rejiciens, scito jussit Demosthenem, etiam tum magistratum gerentem, priusquam rationes retulerit, corona donari.

7. Aliam porro, Athenienses, afferent orationem ab ea quæ modo exposita est diversam, si quid aliquis electus ex plebiscito gerat, id non magistratum esse, sed curationem quandam et ministerium: magistratus autem illos esse dicent, quos Thesmoothæ in Thesei fano sortito distribuant, eos item, quos populus in comitiis suffragio creare solet, ut imperatores, ut equitum magistros, cæterosque id genus magistratus, reliqua vero omnia negotia esse duntaxat ex plebiscito mandata. Ego vero istorum orationi legem vestram opponam, quam eo consilio tulistis, ut hujusmodi commenta præcendantur. In qua diserte scriptum est: Magistratus inquit legislator qui populi suffragio creantur, uno omnes vocabulo complexus, cunctosque eos edicens esse magistratus, quos populus suffragio creat: et publicis operibus præfectos (est autem Demosthenes, curator cum esset muris reficiendis, maximo præfectus operi) et omnes, quotquot aliquid quod civitatis sit tractant ultra triginta dies, et quicunque tribunalium præfecturas suscepient (omnes autem operibus præfecti tribunalis suscipiunt præfecturam):—quid hos jubet facere? Non obire ministerium sed magistratu fungi postquam in foro judiciali approbati sint, siquidem ne ii quidem quibus sortito magistratus obvenere, nisi spectati prius et approbati sint, magistratum gerunt; jubet etiam eos, quemadmodum et alios magistratus, apud scribam et ratiociniorum præfectos in tabulas referre rationes. Hæc ut a me vere dici constet, ipsæ vobis leges recitabuntur.

LEGES.

8. Cum igitur, Athenienses, quos legislator magistratus appellat, isti negotia et curationes nominarint, vestrum est hanc legem recordari et eorum opponere impudentiæ, subjicere eis denique, neutiquam vobis acceptum fore malitiosum cavillatorem, qui se verborum captionibus leges eversurum putet, sed quo quisque lingua melior sit qui legibus contraria scribit, eo graviorem vestram sensurum iracundiam. Oportet enim, Athenienses, idem loqui legem et oratorem; ubi vero aliam vocem lex, aliam orator mittat, secun-

dum legis æquitatem ferenda sententia est, non dicentis impudenteriam.

9. Jam de illa, quam Demosthenes inexpugnabilem ait, ratione pauca præmittam. Dicet enim iste, ego muris reficiendis curator sum, fateor, sed minas centum largitus sum civitati, atque opus inde amplius multo effeci. Cujus igitur rei mihi ratio referenda est, nisi forte et benevolentiae sit ratio aliqua referenda? Adversus eum autem prætextum audite me paucis, quam æqua et vobis utilia sim dicturus. In hac enim tanta et tam veteri republica, nemo est eorum qui ad rem publicam quomodocunque accesserint qui referendarum rationum judicio sit solutus. Idque vos iis edocebo primum quæ plerisque mira videantur. Cujusmodi est, quod Sacerdotes mares feminasque lex rationibus reddendis subjicit, et generatim omnes et unumquemque sigillatim, qui duntaxat honorarium aliquod accipiunt et vota pro vobis diis faciunt: idque non privatim tantum, sed communiter etiam totas familias, Eumolpidas, Cerycas, et reliquos omnes. Rursus Trierarchos rationem reddere lex jubet, qui neque publica tractarunt, neque e vectigalibus vestris multum suffurati, exiguum vero quiddam numerantes, largiri se de suo dicunt, cum vestra vobis restituunt, sed qui citra controversiam patrimonia sua vestri studio insumpserunt. Neque vero trierarchi soli, sed maxima omnium quæ in civitate sunt concilia, judicum suffragium subeunt. Primum enim Areopagitum Senatum jubet lex rationes suas apud præfectos ratiociniorum referre, illosque maximarum et gravissimarum causarum arbitros vestro subjicit suffragio. Nunquamne ergo coronabitur Senatus Areopagiticus? *Non*, neque enim hoc illis patrium aut usitatum est. Non ducuntur studio honoris? Ducuntur sane, verum non satis habent, si quis apud se ipsos nemini faciat injuriam, sed si quis deliquerit, castigant: vestri autem oratores licentia efferuntur. Præterea Senatum Quingentorum legislator referendis rationibus fecit obnoxium, atque iis qui rationes nondum retulerunt usque adeo diffidit, ut statim legum initio dicat: *Magistratus rationibus non relatis ne peregre proficiscitor.* Dii boni! exclamet aliquis, eone quo magistratum gessi, non peregre proficiscar? Scilicet ne intercepta pecunia publica aut negotiis *mala fide gestis* in fugam te conjicias. Rursus eum qui rationes debet neque facultates suas consecrare sinit, neque donaria templis suspendere, neque adoptari, neque testamentum facere; aliave permulta. Uno ut dicam verbo, eorum qui hoc judicio tenentur bona legislator in pignus arripit, donec civitati rationem retulerint. Esto, sed est, qui ex pecunia publica neque sumpsit quicquam neque insumpsit, ad aliquam tamen reip. accessit partem. Etiam hunc jubet lex rationes referre apud præ-

fectos ratiociniis. Quo pacto tandem, qui nec sumpsit nec insumpsit quicquam, rationem reddet civitati? Lex ipsa subjicit ac declarat quæ scribenda sint. Jubet enim hoc ipsum tabulis inscribere, se nec sumpsisse quicquam e publico nec insumpsisse. Omnino autem eorum, quæ in hac civitate sunt, nihil est, de quo non reddenda sit ratio, de quo non sit querendum, quod non sit explorandum. Quæ ut a me vere dici pernoscatis, ipsas audite leges.

LEGES.

Cum igitur in hoc maxime se jactabit Demosthenes, dicetque se propter largitionem suam rationibus reddendis non esse obnoxium, illud statim ei opponite, ergo te, Demosthenes, sinere oportebat ratiocinatorum præconem patrium illud et legitimum præconium usurpare, **QUIS ACCUSARE VULT?** sinito disceptare tecum quemvis civium, an nihil sis largitus, sed de multis, quæ accepta habes in murorum refectionem, pauca impenderis, cum decem talenta eo nomine a civitate accepisses: ne tibi liberalitatis laudem rapito, neque calculos e jūdicum manibus extorqueto, neque leges antecedere sed sequi velis in rep. gerenda. Hæc enim dominationem erigunt popularem.

10. Itaque adversus fuitiles, quos fingunt isti, prætextus hactenus a nobis dictum sit. Revera autem referendis rationibus obnoxium fuisse Demosthenem, ubi scitum istud Ctesiphon rogavit, cum pecuniæ theatraли, et murorum simul refectioni præpositus esset, neutriusque magistratus rationem reddidisset, ego jam vos ex tabulis publicis conabor edocere. Recita ergo mihi, quo prætore, quo mense, quo die, et in qua concione Demosthenes theatraли pecuniæ curator sit electus. [Ut intelligatis, decretam ei coronam esse in medio magistratu.] Recita.

SUPPUTATIO DIERUM.

Itaque si nihil amplius probaverim, jure tamen optimo damnaretur Ctesiphon. Neque enim eum accusatio mea, sed acta publica coargunt.

11. Erat olim quidem, Athenienses, custos a civitate delectus, qui in singulis tribuum imperiis rationes vectigalium populo referebat: propter eam autem quam apud vos Eubulus consecutus est auctoritatem, ii quibus theatraли pecunia suffragio mandata erat, fungebantur quidem, ante legem illam Hegemonis, et custodis magistratu, et quæstorum simul et navalibus præfectorum muneribus,

quin et armarii fabricationem et refectionem curabant viarum, deinde totius fere civitatis administrationem obierunt. Neque hæc dico, quo eos aut incusem aut reprehendam, sed illud vobis ostensum volo, latorem legis, si quis unius vel infimi magistratus rationes referre dēbeat, nolle eum, priusquam rationes illas reddiderit, corona donari: Ctesiphon autem Demostheni, qui ad summam omnes Athenarum magistratus una gerebat, coronam decernere non dubitavit.

12. Jam muris eum reficiendis curatorem fuisse, cum iste hoc plebiscitum scripsit, et publicam tractasse pecuniam, et irrogasse mulcas, quemadmodum et alii magistratus, et fori jūdicialis principatum obtinuisse, harum ego rerum testes vobis ipsum Demosthenem et Ctesiphontem citabo. Nam Chæronda prætore, mensis Thargelionis die xxix., cum concio haberetur, scitum fecit Demosthenes, ut convocarentur Tribus diebus secundo et tertio Scirophorionis, eodemque scito præscripsit, ut ex unaquaque tribu deligantur mœnium reficiendorum curatores et quæstores. Prudenter sane, nimirum ut certos homines haberet civitas inquisitioni obnoxios, a quibus esset sumptuum factorum rationem repetitura. Recita mihi decreta.

DECRETA.

13. Esto, verum huic statim e contrario replicabit, sibi nec sorte, nec suffragio populi mœnium instaurationem obvenisse. Et de hoc quidem Demosthenes et Ctesiphon orationem bene longam habituri sunt, vera autem oratio et brevis et perspicua erit quæque cito istorum dissolvet fallacias. Pauca tamen imprimis hac de re præfabor. Tria sunt *apud nos*, Athenienses, magistratum genera: ex quibus unum omnibusque notissimum est eorum qui sorte aut populi suffragio creantur: alterum, qui aliquid quod ad civitatem pertinet ultra triginta dies tractant quique publicis operibus sunt præfecti: tertium verbis legis expressum est, et si qui delecti in foro aliquo judiciali præfecturam suscepint, ii quoque postquam spectati fuerint magistratu fungantur. Jam si demandatur magistratus, qui populi suffragio et qui sorte sunt creati, superest ut ii, quos tribus et trientes tribuum et municipia ex suis diligunt ad pecuniam publicam tractandam, sint delecti magistratus: id autem fit, quando, uti nunc, tribubus aliquid mandatum fuerit, sive sint fossæ egerendæ sive triremes fabricandæ. Quæ vere a me dici, ex ipsis legibus cognoscetis.

LEGES.

In memoriam igitur revocate, quæ modo diximus, latorem legis ju-

bere eos, qui ex tribubus delecti sint, postquam in judiciali foro probarentur, magistratu fungi: atqui tribus Pandionia Demosthenem magistratum et mœnium instauratorem delegit, quin ad eam rem paulo minus decem talentis ex ærario habet: jam vero alia lex vetat magistratum ante rationes relatas coronari: vos autem jurejurando adacti estis sententiam ferre secundum leges: at orator iste decrevit, hominem rationibus reddendis obnoxium esse coronandum, neque illud adjecit posteaquam rationes reddiderit: ego vero crimen plebisciti contra leges facti tum legum, tum decretorum, tum adversariorum testimoniis evinco. Quo tandem pacto apertius quisquam demonstrare possit hominem legibus inimicissima scripsisse?

14. Porro et coronæ prædicationem eum in scito suo jubere contra leges fieri, id quoque vos edocebo. Lex enim diserte jubet, si quem corona donet senatus, ut in curia prædicetur, sin populus, in concione, alibi vero nusquam. Recita mihi legem.

LEX.

Præclara sane lex ista est, Athenienses. Neque enim, opinor, censuit legislator oratorem decere se apud exteros magnifice jactare, sed satis habere, si in urbe a populo ornetur, neque in præconiis quæstum auctoripari. Atque ita quidem lator legis: Ctesiphon autem quomodo? Recita decretum.

DECRETUM.

Auditis, Athenienses, jubere legislatorem, ut qui a populo corona donetur, de eo apud populum in Pnyce concione habita præconium fiat, alibi vero nusquam: at Ctesiphon in theatro, non legibus modo spretis, sed etiam loco commutato, non Atheniensibus ad concionem convocatis, sed novis tragœdis fabulas agentibus, non coram populo, sed spectantibus Græcis, ut nobis consciï sint, quali nos viro honorem habeamus.

15. Cum igitur tam aperte legibus contraria scripserit, conjunctis cum Demosthene viribus technas quasdam legibus intendet, quas ego vobis indicabo et prædicam, ne imprudentes in errorem inducamini. Negare enim isti non poterunt, quin leges vetent, ne is quem populus coronet extra concionem prædicetur: adducent vero qua se defendant legem Dionysiacam, ejusque partem quandam citabunt, quo auribus vestris abutantur, legem denique proferent nihil ad hoc judicium pertinentem, dicentque duas esse in civitate de præconiis receptas leges, unam, quam ego nunc profero, diserte vetantem de eo quem populus corona donet extra concionem præ-

dicari; alteram autem dicent esse legem huic contrariam, quæ coronæ prædicationem in theatro tragœdis fabulas agentibus fieri permittit, modo id sciverit populus. Ex hac igitur lege dicent decretum tulisse Ctesiphontem.

16. Ego vero adversus istorum captiones leges vestras patronas advocabo, quod mihi per totam quidem accusationem summo studio est. Nam si hoc verum est, si talis in rempublicam vestram consuetudo irrepsit, ut leges irritæ inter ratas sint adscriptæ, et binæ de eadem re inter se pugnantes, qualem tandem eam dicat aliquis esse rempublicam, in qua leges eadem facere et non facere jubeant? Verum ista non ita se habent; et absit ut vos unquam ad tales legum confusionem prolabamini, neque hæc sunt a legislatore qui populare imperium constituit neglecta, quin diserte imperatum est thesmothetis ut leges quotannis in populo corrigant, cum diligenter inquisiverint, et considerent, utrum lex alteri legi contraria obtineat, aut irrita inter ratas, aut sicubi plus quam una sit de qualibet re perscripta: quod si quid hujusmodi deprehenderint, jubet eas in tabulis descriptas pro x. heroum statuis proponi, prytanes vero concionem habere, *programmati suo titulum* nomothetis inscribentes, tum præsidum præfectum populum in suffragia mittere, et leges alias abrogare, alias retinere, ut una sit lex, non plures, de unaquaque re. Recita mihi leges.

LEGES.

Si igitur vera essent, Athenienses, quæ ab iis dicuntur, duæque de præconiis leges exstisset, aliter, opinor, fieri non potuisset, quin a thesmothetis deprehensæ fuissent, et a prytanibus nomothetarum judicio traditæ, et sic altera ex legibus tolleretur, vel ea quæ præconium fieri *extra concionem* permitteret, vel ea quæ vetaret. Cum autem nihil tale factum sit, aperte nimirum constat, eos non tantum quæ vera non sint affirmare, sed etiam quæ ne fieri quidem ullo modo possint.

17. Verum unde hoc mendacium eruerint, ego vos docebo, si prius quas ob causas leges de præconiis theatalibus latæ sint exposuero. Cum ludi tragicci urbani fierent, alii, re a populo non impetrata, prædicandum curabant se corona donari a tribulibus, alii a popularibus, nonnulli etiam silentio per præconem facto servos suos libertate donabant, Græcosque manumissionis illius testes adhibebant: et quod omnium erat invidiosissimum, quidam apud exterias civitates hospitia consecuti perfecerunt ut præconium fieret, se a populo, puta fortasse Rhodio vel Chio vel alio quoconque, virtutis ergo et fortitudinis, corona donari. Atque hæc non ita agebant, quomodo ii qui a senatu vestro vel a populo coronantur, re a

vobis impetrata et cum plēbiscito, postquam magnam a vobis ini-
verint gratiam, sed ipsi sibi *honorem* præripientes absque decreto ve-
stro. Ea porro ratione fiebat, ut spectatores et ludorum præfecti et
histriones interturbarentur, qui autem in theatro prædicabantur ma-
jorem honorem consequerentur, quam ii quibus coronam donavit po-
pulus. His enim locus erat certus constitutus, concio scilicet, in qua
essent coronandi, atque interdictum erat ne uspiam alibi proclama-
rentur; de iis vero coram universis Græcis erat prædicatum: ac illi
quidem cum decreto, vobis annuentibus, hi autem absque decreto.
Hæc cum legislator quidam animadvertisset, legem rogat nihil cum
lege de iis qui a populo coronantur commune habentem, neque ea
abrogata (non enim concio turbabatur, sed theatrum), neque lege
suasa prius receptis legibus adversa (non enim fas est), sed de iis
illam tulit, qui sine vestro decreto corona donarentur a tribulibus aut
popularibus, de iis qui servos suos manumitterent, de coronis deni-
que hospitalibus. Ac diserte vetat, ne quis in theatro servum manu-
mittat, neve dc iis præconium fiat, quos tribules aut populares, aut
alii qui vis corona donent, alioqui infamia notari *jubet* præconem.

18. Cum igitur iis, qui a senatu coronantur, curiam designarit
in qua prædicentur, iis qui a populo concionem, de iis autem qui a
tribulibus aut popularibus *honestantur* præconium fieri vetuerit in lu-
dis tragicis, ne quis coronas et præconia tanquam stipem corrogans
falsa meritorum fama perfruatur, vetuerit insuper in lege ne ab ullo
alio prædicetur, exclusis senatu et populo et tribulibus et popula-
ribus: hæc inquam ubi demseris, quid reliquum est præter hospi-
tales coronas? Quæ vere a me dici, magno vobis argumento ex
ipsis deprompto legibus ostendam. Ipsam enim auream coronam,
quæ in theatro in urbe promulgetur, Minervæ sacram lex esse jubet,
ademptam ei qui coronatur. Enimvero quis vestrum tantæ illibe-
ralitatis damnare ausit populum Athenensem? Non modo enim
civitas, sed ne privatus quidem quisquam tam parum esset gene-
rosus, ut, quam ipse donaverat coronam, eodem tempore promulget
auferatque et devoveat. Sed eo nimirum quod hospitalis est corona,
etiam fit consecratio, ut ne cuius animus, dum alienam benevolen-
tiā pluris quam patriam faciat, corrumpatur. At non eam quæ in
concione prædicatur coronam quisquam consecrat, sed libere pos-
sidere licet, ut non is tantum *qui accepit*, verum etiam ipsius posteri
monumentum illud domi asservantes nunquam animos habeant a
populo alienos. Hac etiam de causa adscripsit legislator, ne extera
corona in theatro a præcone promulgetur, nisi populus sciverit, ut
ea civitas, quæ vestrum aliquem corona donare velit, missis legatis,
id a populo petat, adeoque is de quo prædicetur majorem gratiam
vobis habeat, quam iis qui coronam dederunt, quod eam promul-
gari permiseritis. Ac me vera dicere, ex ipsis legibus accipite.

LEGES.

Cum igitur vos decepturi dicent, adscriptum esse legi licere aliquem corona donare, si populus sciverit, facite vobis in mentem veniat subjecere, ita sane, si qua te alia civitas coronarit; sin populus Atheniensis, designatus tibi locus est, ubi id fieri oporteat. Interdictum tibi est, ne extra concionem prædiceris. Nam ea verba alibi autem nusquam quid sibi velint, totum diem dicas licet: nunquam certe ostendes te decretum scripsisse legibus consentaneum.

19. Restat nunc mihi accusationis pars; in qua plurimum studii colloco. Ea porro est causa, propter quam istum corona dignum arbitratur *Ctesiphon*. Ita enim in decreto scribit: et præconem in theatro coram Græcis pronuntiare, Demosthenem a populo Athenensi corona donari virtutis ergo ac fortitudinis et quod est omnium maximum quia illa et dicere et facere non desistat quæ populo sunt utilissima. Jam vero simplex omnino in posterum mihi erit oratio, vobisque audientibus intellectu ac judicatu facillima. Mc enim qui accuso scilicet ostendere oportet, falsas esse laudes quæ Demostheni tribuuntur, eumque neque optima dicere unquam cœpisse, neque jam in iis agendis quæ civitati prosunt perseverare. Quod si hæc evicero, jure nimirum causa cadet *Ctesiphon*: omnes enim leges vetant, ne quis in decretis publicis falsa perscribat scripta. Reo autem hujus contrarium est ostendendum. Vos nobis critis eorum quæ utrinque dicentur judices. Atque ita quidem se res habet.

20. Enimvero totam Demosthenis vitam excutere longioris ego orationis opus esse arbitror. Quid enim nunc ista commemorem, quæ illi in actione vulneris acciderunt, cum in Areopagum citavit Demomelem Pæaniensem, consobrinum suum, utque *ipse sibi* caput inciderit? quid ea quæ in Cephisodoti præfectura, classe in Hellespontum profecta, contigerunt, quo tempore Demosthenes, cum unus esset ex trierarchis, et sua nave ducem circumvehheret, una cum eo vesceretur, sacrificaret, libaret, eumque honorem propterea quod paternus ei amicus erat consequeretur, non dubitavit tamen, cum is læsæ majestatis reus in judicium capitis esset adductus, accusatorem sese ejus profiteri? quid ea quæ ipsi cuin Midia intercesserunt, et colaphos, quos in orchestra choro præfектus accepit, utque et injuriam sibi factam et populi simul judicium damnatorium, in templo Bacchi contra Midiam pronuntiatum, triginta minis vendiderit? Hæc igitur atque alia his similia recte mihi videor esse silentio præteriturus, non

quod aut vos prodere, aut causam hanc indulgenter velim remittere, sed quod verear ne mihi statim ita occurratis, me vera quidem dicere videri, sed antiqua jam et usquequa confessa. Atqui, Ctesiphon, cuius summa flagitia ab auditoribus ita cognita sunt et comperta, ut accusator non falsa dicere, sed vetera et perulgata videatur, utrum eum aurea corona donari, an vituperari convenit? Te vero, qui et falsa et legibus contraria scribere ausus sis, utrum judiciorum auctoritatem contemnere oportet, an civitati pœnas dare?

21. De publicis autem criminibus planius eloqui conabor. Si quidem audio Demosthenem, cum ad eos dicendi vices redierint, quatuor apud vos tempora præterita enumeraturum, quibus ipse remp. administravit. Quorum unum quidem, ut ego accepi, idque omnium primum recenset, quo de Amphipoli bellum cum Philippo gerebamus: id autem tempus definiit pace illa et societate facta, quam decreto sanxit Philocrates Agnusius, et iste ipse cum eo conjunctus, uti ego ostendam. Secundum fuisse tempus ait, quo pacem habebamus, nimirum ad eum usque diem, quo pace qua utebatur civitas dirempta idem iste orator bellum decrevit. Tertium vero cum bellum gessimus, usque ad infelicem illum in Chæronea conflictum. Quartum denique in quo nunc versamur. His igitur enumeratis, me, ut audio, appellaturus est et rogaturus, utrius horum quatuor temporum eum incusem, et quando eum quæ populo utilissima sint in rep. administranda gessisse negem: quod si respondere nolim, sed oculos obduxero et aufugiam, ait se accessum, ac integumentum meum revulsurum, abreptum denique ad suggestum, vi me coacturum ut respondeam. Ut igitur nec iste ita viribus confidat, et vos præmoneamini, et ego tibi respondeam coram judicibus, Demosthenes, reliquisque civibus, qui foris circumstidunt, et coram Græcis quibus curæ fuit huic judicio interesse— video autem non paucos adstare, sed tot quot nemo unquam meminit ad ullam causam publicam convenisse—, respondeo, me omnime eorum quatuor temporum, quæ tu distinguis, te incusare. Quod si dii voluerint, si judices paribus nos animis audierint, si demum ipse, quæ te admisisse scio, memoria consequi potuero, omnino me judicibus ostensurum confido, salutem civitati deos primum immortales attulisse, deinde eos qui reipub. negotia prudenter humaniterque gesserunt, calamitatum vero omnium unum Demosthenem auctorem exstitisse. Et hunc quidem orationis ordinem persecui instituo, quo eum usurum esse accepi, dicamque primum de primo tempore, deinde de secundo, tum de eo quod ordine proximum est, postremo de hoc rerum statu in quo nunc versamur.

22. Ad eam igitur me pacem refero, quam tu et Philocrates de- crevistis. Vobis enim licuisset, Athenienses, priorem illam pacem una cum communi Græcorum concilio facere, si certi homines vos

essent passi legatos operiri, quibus eo tempore in Græciam missis omnes cohortabamini, ut adversus Philippum communis Græcorum concilio interessent, licuisset et processu temporis ultiro vobis delatum a Græcis imperium obtinuisse. Hæc erepta vobis sunt per Demosthenem et Philocratem eorumque turpes corruptelas, quibus inducti contra vestram remp. conjurarunt. Quod si vestrum non nullis raptim hæc et derepente audientibus paulo incredibilior hæc accidat oratio, ad ea quæ consequuntur ita animos attendite, quemadmodum cum de insumptis pecuniis post longum temporis intervallum ad rationes reposcendas sedemus: nonnunquam utique falsas domo de rationibus opiniones afferimus, verum ubi eæ in summam collectæ fuerint, nemo nostrum adeo præfracto est ingenio, quin illud discedens fateatur et annuat esse verum, quodcunque ipsa rationum subductio eyicerit. Ita etiam et nunc animos attendite. Si quis vestrum talem opinionem jamdudum comprehensam domo detulit, nihil unquam Demosthenem, coitione facta cum Philocrate, pro Philippo dixisse,—qui eo inquam animo est, is neque absolvat quemquam neque condemnet, priusquam audierit; neque enim id æquum est: at si mc paucis auscultaretis et tempora commemorantem et decretum, quod Philocrate socio scripsit Demosthenes, proferentem, si ipsa veritatis ratiocinatio Demosthenem implicatum coarguerit plura Philocrate decreta de prima illa pace et societate conscripsisse, per summum porro dedecus Philippo ejusque legatis adulatum esse, in causa præterea fuisse quo minus resp. consentiente Græcorum concilio pacem faceret, postremo Cersoleptem regem Thraciæ, amicum atque socium nostræ civitatis, Philippo tradidisse:—hæc si vobis luculenter ostendero, rem æquisimam a vobis petam, fateamini mihi per deos immortales Demosthenem hoc tempore quod e quatuor primum est remp. non bene administrasse. Inde autem ordiar, unde facillime subsequi possitis.

23. Decrevit Philocrates, ut caduceatores hic et legatos de pace ac societate mittendi copia daretur Philippo. Scitum hoc, tanquam legibus adversum, in jus vocatur. Venit judicii dies. Accusabat Lycinus qui dicam scripserat, causam dicebat Philocrates, patronus erat Demosthenes. Absolutus est Philocrates. Post hæc subibat tempus, quo Archon erat Themistocles. Tum in curiam senator venit Demosthenes, neque sorte neque subsortito *munus illud* consecutus, sed coitione facta nundinatus, ut omnibus et dictis et factis Philocrati subserviret, quomodo res ipsa declaravit. Pervincit enim alterum decretum Philocrates, quo jubet decem legatos diligi, qui ad Philippum profecti postulent ab eo, ut legatos de pace plena potestate instructos hic mandaret. Ex his unus erat Demosthenes. Qui illinc reversus laudator pacis fuit, eademque atque reliqui legati renunciavit, solus autem ex senatoribus decrevit, ut

cum Philippi caduceatore et legatis fœdus feriremus, plane iis consentanea scribens quæ decreverat Philocrates: ille enim potestatem dedit ut caduceatores huc et legati mitterentur, hic cum legatis fœdus icit. Jam vero ad ea quæ sequuntur vehementer quæso animos attendite. Acta enim sunt non jam apud cæteros legatos a Demosthene postea mutatione facta per calumniam multum exagittatos, sed *seorsim* apud Philocratem et Demosthenem—neque id mirum, quippe qui una legationem obierant, una decreta fecerant—primum, ut legatos qui a vobis missi *Græcos* in Philippum concibabant non exspectaretis, ne communiter cum cæteris *Græcis* sed privatam cum eo pacem faciatis: deinde ut non pacem tantum sed etiam societatem cum Philippo scisceretis; ut si qui sorte populo Atheniensi auscultaverant, ad summam adigantur desperationem, cum vidrent vos sibi quidem belli suscipiendi hortatores esse, domi vero non modo pacem cum eo sed et societatem ineundam decrevisse: postremo ne rex Thraciæ Cersobleptes fœdere contineretur, neve pacis ac societatis esset particeps. Jam autem expeditio in eum erat indicta.

24. Atque is quidem qui hæc redimebat nihil fecit iniqui: nam priusquam sacramenta et fœdera confirmarentur, non erat ei vitio dandum, si suis commodis serviret; qui vero præsidia civitatis vendebant et cum eo communicabant, ii demum magna digni erant iracundia. Nam qui se nunc Alexandri tunc Philippi osorem fuisse dictitat Demosthenes, qui hospitium Alexandri mihi exprobrat, decreto jubet, reipublicæ occasionibus interceptis, ut prytanes concessionem habeant octavo die mensis Elaphebolionis, cum Æsculapio sacra fierent et cum præludia agerentur, in die festo scilicet, quo nemo unquam meminit concessionem haberí. Quamnam causam prætendens? Scilicet, ut simul atque advenerint a Philippo legati, populus quam maturrem consultet de rebus ad Philippum pertinentibus, ita eis qui nondum aderant legatis concessionem præoccupavit, et tempora vestra interceptit; rem denique acceleravit, ne cum cæteris *Græcis*, vestris legatis jam reversis, sed soli pacem faceretis. Post hæc, Athenienses, advenerunt a Philippo legati, vestri autem aberant *Græcos* contra Philippum concitantes. Hic alterum etiam Demosthenes expugnat plebiscitum, quo decernit, ut vos non de pace solum verum etiam de societate consilium capiatis, non exspectatis legatis vestris, sed statim post Dionysia urbana decimo octavo et nono mensis die. Ut autem me vera dicere intelligatis, audite decreta.

DECRETA.

25. Cum igitur, Athenienses, præterierant Dionysia, et habitæ

sunt conciones, et in priore recitatum est commune sociorum decretum, cuius summa ego capita breviter prædicam. Primum itaque decreverunt ut de pace tantum consultaretis, societatis autem nomen præterierunt, non quod oblii fuerint, sed quod ipsam etiam pacem necessariam magis quam honestam esse existimarent. Deinde prudenti remedio Demosthenis sordibus occurserunt, atque decreto adscripserunt, ut cuilibet Græcorum liceret intra tres menses in eandem columnam cum Atheniensibus referri, eademque sacramenti et fœderum communione contineri, duas res maximas *ea ratione* ante occupantes, primum quidem spatium trimestre quod Græcorum legationibus satis esset sumpserunt, deinde Græcorum benevolentiam civitati nostræ una cum communi Græciæ consessu conciliarunt, ut si forte violarentur fœdera, nos neque soli neque imparati bellum gereremus, quæ nunc nobis culpa Demosthenis acciderunt. Me autem vera dicere, ipso decreto auditio, perdiscetis.

DECRETUM SOCIORUM.

26. Huic me decreto assensum esse fateor, assensi sunt et omnes oratores qui in priore illa concione verba fecerunt. Ac populus cum hac utique opinione discessit, pacem quidem futuram esse, de societate vero ut consultum esset, cum jam tum Græcos *ad arma* concitaret, non ita expedire, sed eam futuram communiter cum Græcis universis. Nox interfuit; postridie in concionem convenimus. Tum vero Demosthenes suggestu occupato, nemini aliorum dicendi loco relicto, nihil quicquam aiebat ea quæ heri dicebantur verba profutura, nisi iis Philippi legati assentirentur, neque se satis scire professus est quomodo pax fieri possit absque societate. Non enim oportet inquit—ipsum enim quod usurpavit verbum memoria teneo, propter asperitatem et ejus qui dicebat et vocabuli—disrumpere societatem a pace, neque Græcorum expectare cunctationem, sed vel nosmetipsos bellum gerere vel pacem privatim facere. Et tandem, Antipatro ad suggestum advocato, quædam ex eo requirebat, quem multo ante certiorem fecerat quid esset rogaturus, simulque præmonuisset quænam ille adversus rem publ. responderet. Postremo hæc vicerunt, cum hinc Demosthenes dicendo adursisset, illinc Philocrates plebiscitum scripsisset.

27. Jam vero quod eis restabat, ut Cersobleptem et Thraciæ loca *Philippo* dederent, id quoque vigesimo quinto Elaphebolionis confecerunt, priusquam posteriorem illam legationem, jurisjurandi exigendi causa, Demosthenes obiret: nam vester ille et Alexandro et Philippo infensus orator bis legatus profectus est in Macedoniam, eum ne semel quidem proficiisci licuisset, is qui nunc computare

jubet Macedonas. Veruntamen in concione, quæ xxv. die habita est, senator cum esset, facta coitione in eum ordinem cooptatus, Cersobleptem socio et adjutore Philocrate hosti dedidit. Clam enim hoc quoque inter alia decreto suo inscripsit Philocrates, populi vero suffragijs permisit Demosthenes, ut eo ipso die Philippi legatis jusjurandum darent sociorum consessores. A Cersoblepte porro qui in concilio sederet aderat nemo: cum igitur scripsisset ut ii qui assidebant jurarent, Cersobleptem a quo nullus aderat consessor jurejurando exclusit. Ut autem vera me dixisse constet, recita mihi, quis hæc scripserit, quis item proedrus eadem in suffragia miserit.

DECRETUM. PROEDRUS.

28. Praeclara, Athenienses, praeclara profecto res est actorum publicorum custodia. Immota enim manet, neque una cum iis qui in rep. administranda transfugas agunt immutatur, sed populo, ubicunque voluerit, potestatem facit eos perspiciendi, qui cum olim scelerati sint, nunc vice versa virtutis speciem præ se ferunt. Reliquum est, ut ipsius adulacionem commemorem. Nam cum per annum, Athenienses, senator fuisse Demosthenes, nullos eum unquam legatos ad principem locum vocasse compertum erit, sed illo duntaxat tempore et tunc primum *Philippi* legatos in sedes primas vocavit, et pulvinos apposuit, et stragula punicea circumstravit, et primo quoque diluculo iis in theatrum præivit, ut etiam sibilis exciperetur ob gestum indecorum et *fæditatem* adulacionis. Denique cum Thebas abirent, tria conduxit iis mulorum juga, eosque ipse Thebas usque deduxit, ridiculam reddens civitatem nostram. Sed, ut in proposito maneam, cape mihi decretum de primis sedibus.

DECRETUM.

29. Iste igitur, Athenienses, tam insignis assentator, cum per Charidemi exploratores primus omnium de interitu *Philippi* certior factus esset, divino quodam somnio sibi conficto cmentitus est, proinde quasi non a Charidemo, sed a Jove et Minerva nuncium accepisset, quos interdiu perjuriis violans noctu secum colloquia habere ait et quæ sint futura prædicere: at septimo die ex quo filia mortem obiverat, priusquam eam luxisset, priusquam ejus funeri justa solvisset, coronatus et alba veste indutus bovem immolabat et instituta *patriæ* violabat, unica filia miser quæ prima eum patrem appellaverat amissa. Neque vero calamitatem ei exprobro, sed mores hominis perpendo. Nunquam enim, qui liberos odio habet paterque improbus est, bonus erit reipublicæ gubernator; nunquam, qui capita amicissima summaque necessitudine sibi con-

juncta non diligit, vos pluris faciet alienos ; nunquam, qui privatim malus est, publice frugi erit, neque unquam, qui domi nequam fuit, in Macedonia legatus erat integer et eximius : non enim ingenium, sed locum tantum mutavit.

30. Unde igitur ad tam diversum rerum statum pervenerit—hoc enim secundum tempus est—et quæ tandem causa sit, cur Philocrates, iisdem ipsis rebus cum Demosthene publice gestis, læsæ majestatis postulatus et in exsilio actus sit, Demosthenes vero etiam aliorum nobis extiterit accusator, denique quonam pacto homo impurissimus in ærumnas hasce omnes nos conjecerit, hæc jam vel in primis operæ pretium est audire. Ut primum Philippus intra Pylas penetravit, urbesque Phocensium præter omnium opinionem delevit, Thebanos autem potentiores quam, ut tum vobis videbatur, tempora et commoda vestra ferebant effecit, cum vos perterriti agris relicts vasa colligeretis, et gravissime accusabantur legati qui de pace egerant, præ cæteris tamen omnibus Philocrates et Demosthenes, quippe qui non solum legationem obierant sed et decreta conscripserant, et sub hoc porro tempus natum est dissidium aliquod inter Demosthenem et Philocratem iis fere de rebus, de quibus etiam vos eos inter se dissentire suspicabamini,—his igitur turbis excitatis, accendentibus etiam insitis ei vitiis et innatis, consilia jam inde inivit, quæ ipsi suggestit timiditas et Philocraticæ largitionis invidia, existimavitque, si eorum quibuscum una legatus fuerat et Philippi accusatorem se præstiterit, Philocratem quidem citra dubium peritum, et reliquos legatos in discrimen venturos, se vero gloriam consecuturum et, amicorum proditor cum esset atque improbus, animi tamen in populum fidelissimi speciem habiturum. Cujus consilia cum perspexissent ii qui tranquillitatem publicam oppugnabant, avide eum accercebant in suggestum, *hunc* solum in civitate castum atque incorruptum prædicantes : is vero progressus in medium initia eis subministravit belli ac tumultus. Hic ille est, Athenienses, qui primus Serium murum, Doriscum, Ergiscam, Murgiscam, Ganos et Ganidem invenit, loca quorum ne nomina quidem antea noveramus. Eoque tandem res nostras redegit, ut si quidem Philippus legatos non mitteret, contemni ab eo civitatem nostram, sin mittebat, exploratores, non legatos, mitti diceret ; si vellet ille civitati alicui æquæ et in neutram partem propensæ controversias disceptandas permittere, negabat ullum nobis et Philippo æquum judicem reperiri posse. Dabat ille Halonesum : vetabat hic accipere, si modo dederit, nisi etiam et dediderit, de syllabis scilicet altercatus. Postremo, cum Aristodemum sociosque ejus qui Thessalam et Magnesiam contra pacis fœdera invaserant corona donasset, pacem utique diremit, calamitatem nobis bellumque suscitavit.

31. Esto, at enim æneis et adamantinis, ut ipse jactat, muris regionem nostram munivit, Eubœorum ac Thebanorum societate. Imo vero, Athenienses, tres gravissimæ hac in re injuriæ omnino insciis vobis sunt illatae. Quanquam autem ad miram illam Thebanorum societatem explicandam festinem, tamen ut suo quæque loco persequar, Eubœorum primum mentionem faciam. Multis vos ac magnis, Athenienses, affecti injuriis tum a Mnesarcho Chalcidensi, Calliæ et Taurosthenis patre, quos iste nunc accepta mercede non dubitat cives Atticos decreto nominare, tum a Themisone Eretriensi, qui vobis pacis tempore Oropum ademit, horum tamen omnium ultro obliti, statim ac Thebani in Eubœam trajecissent, et urbes ejus in servitutem redigere conarentur, intra quinque dies *Eubœis* et classe et pedestribus copiis opem tulistis, et priusquam triginta dies præterierant, Thebanos accepta fide dimisistis, et Eubœa potiti urbesque et recip. statum iis, qui hæc vobis commiserant, uti rectum et justum erat, reddidistis, iniquum scilicet csse rati, ubi fides habetur, iracundia meminisse.

32. At vero tantis vestris beneficiis affecti Chalcidenses nequam parem vobis referebant gratiam, sed cum in Eubœam copias trajecisti opem Plutarcho laturi, primis quidem certe temporibus amicitiam simulabant, verum statim ut ad Tamynas processimus, et Cotylæum quem vocant montem superavimus, tum illico Callias ille Chalcidensis, quem Demosthenes accepta mercede collaudabat, cum videret civitatis nostræ exercitum in angustias quasdam conclusum, unde nisi prælio viciisset nullus erat receptui locus, nulla vel terra vel mari auxili spes, *is inquam*, coacto ex omni Eubœa exercitu, copiisque a Philippo accersitis, et simul cum eo frater ejus Taurosthenes, qui nunc omnibus dextram porrigit atque arridet, trajectis Phocensibus mercenariis, in vos impetum fecerunt tanquam funditus deleturi. Quod nisi primum deorum aliquis exercitum servasset, deinde milites vestri, pedites atque equites, se viros fortes præbuissent, et juxta Circum equestrem ad Tamynas collatis signis vicissent, hostibus *supplicibus* data fide dimisis, omnino periculum fuit ne civitas nostra gravissimum dedecus subiret. Neque enim in bellis adverso Marte pugnare maximum est malum: sed ubi quis cum adversariis se indignis congressus excidat victoria, dubium non est conduplicari calamitatem. Vos tamen, talibus injuriis acceptis, iterum eos in gratiam recepistis.

33. Callias vero Chalcidensis, cum sibi a vobis veniam impretrasset, brevi post tempore ad ingenium remigrabat, cum enim Eu-boicum concilium verbo Chalcidem convocaret, re vera Eubœam contra vos muniebat, insignemque sibi dominationem comparans. Et ejus obtinendæ adjutorem sibi futurum Philippum sperans, abiit in Macedoniam, et cum Philippo passim profectus est, et in fami-

liaribus ejus numeratus. Verum læso per injuriam Philippo, aufugit inde et Thebanis ulro se in potestatem tradidit. Mox illis quoque relictis, cum plures quam Euripus ille juxta quem habitabat reciprocas fecisset conversiones, medius incidit inque Thebanorum et Philippi inimicitias. Incertus igitur quo se verteret, cum jam milites contra eum scriberentur, unicam sibi spem salutis reliquam esse vidit, si populum Athenensem, socii nomine appellatum, jurejurando obstrinxerit, eum opem sibi laturum, si ab aliquo invaderetur, quod sine dubio erat futurum, nisi vos prohiberetis. Hæc igitur cum animo suo reputans mittit huc legatos Glauacetam, Empedonem, et Diodorum illum cursu longo pollentem, qui quidem populo spes inanæ, Demostheni et gregalibus ejus nummos afferebant. Tria autem erant, quæ simul redimebat. Primum, ut ne societatis vestræ spe decideret: nihil enim ei erat medium, si populus superiorum injuriarum memor societatem ejus repudiasset; quin aut Chalcide profugiendum esset aut undique intercepto moriendum; tot et tantæ in eum a Philippo et Thebanis ingruerant copiæ. Secundo autem, stipendia ei delata sunt qui societatem decreverat, ne Chalcidenses communi concilio Athenis convocato interesse cogerentur: tertio denique, ne tributa penderent. Et Calliam quidem nullius eorum quæ sibi proposuerat spes fecellit, sed ille tyrrannis, ut ipse fingit, infensus Demosthenes, quem ait Ctesiphon optima semper dicere, oblatas reipublicæ occasionses vendidit, et in societate decernenda censuit ut Chalcidensibus opem nos ferremus, locutione tantum commutata, pro his enim honestæ scilicet orationis causa scripsit, ut Chalcidenses opem ferrent, si quis in Athenienses invaserit: consessum autem communem et tributa, ex quibus belli robora pendebant, prorsus vendidit, speciosissimis verbis res turpissimas complexus, eoque vos dicendo perducens, *ut crederetis* oportere civitatem nostram semper Græcis auxilio egentibus in primis opem ferre, societas vero post collata demum beneficia pacisci. Ut autem me vera dicere pernoscatis, cape scriptum illud Calliæ et societatem, et recita decretum.

DECRETUM.

34. Nondum igitur hoc grave aut indignum est, si tantæ venum dantur opportunitates et consessus et tributa, sed multo illud, quod dicturus sum, indignius videbitur. Eo enim contumeliae et avaritiæ processit Callias; eo sordidæ nundinationis Demosthenes, quem laudibus effert Ctesiphon, ut tributa quæ tum ab Oreo tum ab Eretia pendebantur, decem talenta, vobis videntibus, prudentibus, inspectantibus, furtim subduxerint, quique ab his civitatibus mitti solebant consessores a vobis avocaverint, atque iterum in Chalcidem

et in Euboicum quod appellatur concilium transtulerint. Qua autem ratione et quibus improbis præstigiis, id nunc operæ pretium est audire. Venit enim non jam per legatos, sed ipse ad vos Callias, et progressus in concessionem orationem habuit sibi a Demosthene elaboratam. Dixit se nuper ex Peloponneso venisse, ibi stipendi collectam adversus Philippum ad centum talenta exigisse, rationemque inibat, quantum quosque populos conferre oporteret, Achæos omnes et Megarenses talenta sexaginta, Euboicas civitates universas quadraginta : his pecuniis posse comparari et classem et copias pedestres : esse porro multos Græcorum alios, qui hujus collationis partem subire vellent, ita neque pecuniæ neque militum fore penuriam. Atque hæc quidem aperta esse : alias autem moliri se aiebat res arcana, quarum testes esse nonnullos civium vestrorum ; postremo nominatim Demosthenem advocabat, utque hæc una secum dicendo confirmaret petebat. Hic vero grandi admodum incessu in medium progressus mirifice laudabat Calliam, et arcani se consciū esse simulabat : legationem autem a se obitam, tum in Peloponneso tum in Acarnania, velle se jam vobis renuntiare dicebat. Orationis porro ejus hæc summa erat, Peloponnesios omnes, omnesque item Acarnanas esse a se ordine descriptos ad pecuniam adversus Philippum conferendam : descriptionem autem eam esse factam, quæ ad centum naves actuarias ornandas, ad decem millia peditum, equites mille alendos suppeteret : his accessuras singularum etiam civitatum copias, ex Peloponneso amplius duo millia gravis armaturæ, ex Acarnania totidem altera : ab his omnibus delatum ultro vobis esse principatum : neque vero longum fore cum hæc perficerentur, sed ad decimum sextum mensis Anthesterionis ; singulis enim civitatibus a se prædictum esse ac denuntiatum, ut omnes Athenas in concilium convenient ad plenilunium. Etenim hanc sibi homo propriam et non jam omnium communem habet facultatem. Ceteri enim vaniloqui jactatores, cum quid mentiuntur, dant operam ut indefinita quædam et obscura proferant, veriti ne coarguantur : at Demosthenes, si quid arrogans confingit, primum quidem perjurio mendacium cumulat, exitium sibi imprecans, deinde, quæ certo scit nunquam futura, audet affirmare, ratione etiam inita quando sint eventura definit, et quos ne de facie quidem novit, eorum nomina in ore habet, auribus vestris abusus, eosque qui vera loquuntur imitatus. Quocirca et odio vel acerbissimo dignus est, quod improbus cum sit virorum quoque bonorum indicia corruptit. His igitur dictis decretum dat scribæ recitandum, Iliade quidem prolixius, verbis autem, quæ loqui solet, et vita, quam egit, inanius, spe denique fallaci et exercitibus nunquam converturis cumulatum. Cum autem vos a furti suspitione abduxisset, et spe futili suspensos tenuisset, illic vero se

totum colligens decretum scribit, quo legatos ad Eretriam mitti jubet, qui orent Eretrienses—omnino enim orandi erant—ut tributum suum, quinque illa talenta, non vobis posthac, sed Calliae, pensitarent, rursusque alteros legari censem ad Oritas, qui et ipsi peterent, ut eundem sibi atque Athenienses amicum eundemque inimicum haberent. Deinde, praeter furtum de omnibus in decreto scriptis, dprehenditur, porro scribens ut legati ab Oritis postulent ne vobis sed Calliae quinque sua talenta penderent. Ut autem me vera dicere pateat, demptis ex decreto verborum fastu et triremibus et inani jactatione, recita, et furtum illud attinge, quod fecit impurus ac nefarius homo, quem ait Ctesiphon in hoc etiam decreto assidue et dicere et agere quae maxime sint populo Atheniensi salutaria.

DECRETUM.

Itaque triremes et pedestres copias et plenilunium et consessores verbo quidem audiūstis, sociorum vero tributa, decem talenta, remansistis.

35. Reliquum est ut ostendam, Demosthenem trium talentorum mercede accepta decretum hoc tulisse, uno talento ex Chalcide a Callia, altero ex Eretria a Clitarcho tyranno, tertio autem ex Oreo: ex quo etiam fura ejus patetfacta sunt, quod Oritarum libera civitas sit, et nihil agant nisi per plebiscitum. Illi enim bello quod cum Philippo gesserant exhausti, et summa inopia laborantes, mittunt ad eum Gnosidemum Charigenis filium, ejus qui quondam Orei principatum tenuit, qui ab eo supplex petat, ut talentum civitati remitteret, promittat autem æneam ei statuam in Oreo ponendam. At iste Gnosidemo respondit, sibi pauxillulo aeris nihil esse opus, talentum vero per Calliam exigebat. Coacti igitur Oritæ, neque unde sumerent habentes, vectigalia publica talenti nomine ei oppignerarunt, et pecuniæ illius turpiter conciliatae usuram solverunt Demostheni singulis mensibus unam in minas drachmam, donec sortem reddidissent. Atque haec acta sunt cum populi scito. Quod ut vere a me dici constet, sume hoc Oritarum plebiscitum.

PLEBISCITUM.

Hoc est illud plebiscitum, Athenienses, probrum ac dedecus nostræ civitatis, rerum a Demosthene publice gestarum non leve indicium, perspicua Ctesiphontis criminatio. Nam qui tam turpiter muneribus se corrumpendum dederit, fieri non potest ut vir bonus sit, quod tamen iste in suo ausus est decreto perscribere.

36. Hic vero tertium jam collocatum tempus est, vel potius omnium acerbissima tempestas, qua Demosthenes et Græcorum et

civitatis nostræ rempublicam funditus evertit, primum cum in templum Delphicum impie deliquit, deinde cum injustam et omnino imparem cum Thebanis societatem decrevit. Sed a sceleribus, quæ in deos immortales suscepit, initium ducam. Campus est, Athenienses, quem Cirrhæum nominant, portusque qui hodie Sacer et Sceleratus appellatur. Eam regionem tenuerunt olim Cirrhæi et Crauallidæ, gentes a legibus alienissimæ, qui et templum Delphicum et quæ in eo erant donaria violarunt, simulque Amphictyonum concilio injurias intulerunt. Ob hæc igitur facta indignati, cum alii Amphictyones, tum vero maxime, ut ferunt, majores vestri, oraculum dei scitabantur, quibus suppliciis in istos homines animadvertere oporteret. Respondit Pythia, uti Cirrhæos et Crauallidas omni tempore dies noctesque bello vexarent, direptisque eorum finibus ipsisque in servitutem abstractis, agros illos Apollini Pythio, Dianæ, Latonæ, Minervæ Providæ, ut in perpetuum inculti essent, consecrarent, eosque neque ipsi colerent neque ab alio coli paternentur. Hoc oraculo accepto, Amphictyones decreverunt, sententiam dicente Solone Atheniensi, viro et legum scribendarum peritissimo et in poeticæ ac philosophiæ studiis exercitato, ut ex oraculi præscripto exercitus contra sceleratos duceretur. Justis itaque ex Amphictyonibus collectis copiis, homines illos in servitutem redegerunt, portus obstruxerunt, urbem funditus diruerunt, regionem omnem ex oraculo consecrarunt; quin et religiosissimo se sacramento devinxerunt, neque se terram sacram culturos neque ab aliis coli passuros, sed opem deo terræque sacræ, manibus, pedibus, omni virium contentione perlatus. Neque vero satis habuerunt, jusjurandum hoc sanxisse, sed devotionem insuper et exsecrationem validam adjecerunt. Ita enim in exsecratione scriptum est: si quis inquit hæc violaverit, sive civitas sive quis privatus, sive natio, caput ejus Apollini, Dianæ, Latonæ, Minervæ Providenti devotum esto: imprecatur iis porro, ut neque ipsis terra fructum ferat, neque conjuges eorum liberos parentibus similes sed portenta enitantur, neque pecudes fœtus naturales edant; ut e bello, e judiciis, e foro vietni discedant, et internecione deleantur et ipsi et ædes et genus ipsorum; neque unquam inquit Apollini aut Dianæ aut Latonæ aut Minervæ Providenti sancte libanto, neque numinibus illis eorum sacra accepta sunto. Atque ut hæc vera dicere me pateat, recita dei oraculum. Audite exsecrationem, jurisjurandi, quod cum cæteris Amphictyonibus majores vestri juraverunt, memoriam repetite.

ORACULUM.

Non prius hanc urbis captam delebitis arcem,
Quam mea templa mihi servens maris alluat unda,
Litoribusque sacris resonet Neptunia Conjuncta.

JUSJURANDUM. EXSECRATIO.

37. Hac exsecratione facta, hoc jurejurando, hoc oraculo dato, quæ omnia in tabulas publicas relata adhuc exstant, Locri Amphisenses, ac potius eorum principes homines iniquissimi, campum illum excoluerunt, portum sacrum et sceleratum rursus munierunt et habitarunt, ac portoria ab adnavigantibus exegerunt; non nullos etiam ex Pylagoris qui Delphos proficiscebant pecunia corruerunt, quo quidem in numero fuit Demosthenes. Nam suffragio creatus a vobis Pylagoras mille drachmas ab Amphisensibus accepit, ne quam eorum apud Amphictyonas mentionem faceret. Pacto etiam promissum erat, ut in posterum viginti minæ ex devota illa et exsecrata pecunia singulis annis Athenas ei mitterentur, ut ibi omni contentione Amphisensibus opitularetur. Unde magis etiam quam unquam alias ei contigit, ut quemcunque vel privatum vel potestate præditum vel liberam civitatem attingeret, eorum singulos insanabilibus ærumnis implicaret.

38. Sed videte, quæsø, quantopere vicerit Amphisensium impietatem divinum numen et fortuna. Archonte Theophrasto, hieromnemone Diogneto Anaphlystio, vos Pylagoras legistis Midiam illum Anagyrrasium, quem ego multis de causis velim nunc superstitem, et Thrasylem Lesbium, et me una cum his tertium. Accedit autem quam primum Delphos delati sumus, ut Diogenetus hieromnemon in febrim inciderit; eodemque morbo correptus est Midias. Cæteri Amphictyones in concessum coibant. Interea affertur ad nos ab iis qui suam in civitatem vestram benevolentiam declarare cuperent, Amphisenses, subjectos tunc et mirum in modum subservientes Thebanis, decretum adversus civitatem nostram attulisse, quo populus Atheniensis quinquaginta talentis mulctaretur, propterea quod novo templo priusquam esset dedicatum aureos clypeos suspendissemus, addita inscriptione quam addi par erat, Athenienses de Medis ac Thebanis, quo tempore adversum Græcos hi pugnarent. Hieromnemon autem accersitum me rogabat, ut in concilium ingressus aliquid apud Amphictyonas pro civitate nostra dicerem, cum ipse ultiro id in animo haberem. Postquam igitur verba facere cœpisset, et quidem paulo cupidius in concilium ingressus essem, quod cæteri Pylagoræ nostri abessent, exclamans quidam ex Amphisensibus,

homo procacissimus et, ut mihi videbatur, omnis doctrinæ liberalis expers, fortassis etiam a deo aliquo irato in hanc amentiam impulsus, omnino, si saperetis, inquit, vos Græci, ne nomen quidem Athenicnsum his diebus nominaretis, sed eos tanquam impios et contaminatos templo exturbaretis. Et simul Phocensium societatem, quam Crobylus ille suaserat, commemorabat, multaque alia acerba et odiosa in civitatem nostram exproinebat, ea percensens quæ neque tunc aures meæ sustinere poterant, neque nunc memoria libenter excito. Cæterum his auditis, tanta ego ira exarsi, quanta nunquam alias per totum vitæ meæ cursum. Atque alia quidem quæ tum locutus sum prætermittam: verum in mentem mihi venit Amphissensium in terram sacram impietatis facere mentionem, quam terram eodem vestigio in quo insistebam Amphictyonibus indicabam. Nam campus Cirrhæus templo subjacet, indeque facilis est conspectu. Videlis, inquam, Amphictyones, campum hunc ab Amphissensibus excultum, videlis figlinas et diversoria exstructa. Cernitis oculis sacrum et sceleratum portum illum munitum. Scitis ipsi, neque aliis testibus egetis, istos ex sacro portu vectigalia exigere pecuniamque cogere. Simul iis dei oraculum, majorum jusjurandum, exsecrationem factam recitari jubebam, planissime testatus, me pro populo Athenensi, pro me, pro liberis domoque mea, ex majorum jurisjurandi præscripto, deo terræque sacræ, manibus, pedibus, voce, quibus cunque denique rebus possem, opem ferre, et civitatem nostram piaculo liberare: vos vero, inquam, vobis ipsi consulite. Canistrorum jam cœpta est circumvectio, admotæ sunt altaribus hostiæ, bona tum publica tum privata a diis immortalibus estis petituri. Vobiscum itaque reputate, qua voce, qua mente, quibus oculis, qua fidentia freti supplicationes facietis, si consecleratos et diris devotos homines inultos dimittetis. Non enim obscure sed apertissime in exsecratione scriptum est, quibus sint afficiendi suppliciis tum sacrilegi, tum ii qui impietatem permiserint, ac postrema exsecrationis clausula est: NE PURE inquit LIBANTO APOLLINI, DIANÆ, LATONÆ, MINERVÆ PROVIDE, QUI NON PENAS EXEGERINT, NEQUE HIS EORUM SACRA ACCEPTA SUNTO.

39. Cum hæc et alia hujusmodi multa dixisset, cessi tandem atque e consessu migravi; clamor illico ingens et fremitus inter

Amphictyonas coortus est, neque jam de clypeis, quos dicaveramus, sed de pœnis ab Amphissensibus sumendis agebatur. Die igitur jam proiecta, præco procedens nunciavit, ut quotquot e Delphis biennio pubertatem superassent, tum servi tum liberi, statim ubi diluxerit, cum falcibus et ligonibus ad Thyteum quem appellant locum convenientent. Iterum idem præco edixit, ut hieromnemones et Pylagoræ eodem venirent deo et terræ sacræ auxilium laturi: si qua vero civitas non affuerit, templo arceretur, scelerata foret et exsecrationi obnoxia. Postridie mane in prædictum locum convenimus, in campum Cirrhæum descendimus, et effosso portu ædificiisque incensis rediimus. Interea dum hæc agimus, Loci Amphissenses, qui **LX.** circiter stadia a Delphis distabant, armati in nos impetum fecerunt univrsi, et nisi in pedes conjecti vix tandem Delphos pervenissemus, periculum certe fuit ne funditus periremus. Die proximo Cottyphus, qui sententias suffragiis permittebat, concionem indicit Amphictyonum: concionem autem nominant, quando non solum Pylagoras et hieromnemonas convocant, sed eos etiam qui sacra simul faciunt, quique oraculum dei adeunt. Ibi vero multis accusationibus urgenter Amphissenses, nostra civitas contra magnis laudibus ornatur. Totius autem orationis hic exitus fuit, decernitur ut hieromnemones ante proximum Pylæum consessum constituto tempore in Pylas coirent, unaque décretum afferrent, ex quo essent Amphissenses scelerum suorum in deum inque terram sacram et Amphictyones pœnas daturi. Ut autem vera me loqui pernoscatis, decretum ipsum vobis scriba recitabit.

DECRETUM.

40. Hoc igitur decreto a nobis tum in senatu renuntiato, tum in concione ad populum prolatu, et actionibus nostris a populo comprobatis, et universa civitate ad studium pietatis excitata, cum Demosthenes propter mercedis sponzionem illam Amphissensem contradiceret, a me vero coram vobis manifeste coargueretur, neque jam posset homo in propatulo civitatem decipere, ingressus in curiam et summotis privatis præconsultum senatus *scribendum curat* et in concionem defert, ejus qui scripserat imperitia abusus: perfecit porro, ut hoc ipsum SCtum in concione suffragiis permittere utque a populo scisceretur, cum surrexisset jam concio, egoque discessissem—neque enim unquam passus essem—, multitudine denique dimissa; cuius quidem sciti caput hoc fuit: hieromnemon inquit Atheniensium et Pylagoræ quotquot in posterum futuri sunt ad Pylas et Delphos profici-scantur iis temporibus quæ a majoribus nostris constituta sunt, verbo quidem honeste, re turpiter et flagi-

tiose : prohibet enim quominus ad consessum illum Pylæum occurrant, qui necessario ante præstitutum tempus erat futurus. Sed aliud ei scito adscriptum est multo et apertius et acerbius. Atheniensium inquit hieromnem on et Pylagoræ, qui posthac futuri sunt, cum iis qui illuc conveniunt neque verborum neque factorum neque scitorum neque ullius rei habeant commercium. Quorsum autem illud est ne habeant commercium? Verumne dicam, an id quod sit auditu jucundissimum? Verum dicam; nam quod ita semper ad voluptatem dictum fuit, id vero civitatem nostram hue rededit. Non sinit vos jurisjurandi meminisse, quod majores vestri juraverunt, non execrationis, non oraculi.

41. Nos igitur, Athenienses, propter hoc plebiscitum hic mansimus, at vero reliqui Amphictyones ad Pylas convenerunt præter unam civitatem, cuius ego neque nomen proferam, et absit precor ut Græcorum cuiquam similis accidat calamitas. Ibique congregati exercitum in Amphisenses ducendum censuerunt, et imperatorem legerunt Cottypum illum Pharsalium, qui tum sententias suffragiis subjeciebat, quo tempore non erat in Macedonia Philippus, quin ne in Græcia quidem, sed in Scythia versabatur adeo longe abhinc remotus, quem tamen mox audebit dicere Demosthenes impudenter a me esse in Græcos immissum. Ac prima quidem expeditione victores valde se moderatos in Amphisenses præbuerunt. Pro atrocissimis enim injuriis pecuniis tantum eos mulctarunt, quas præstituto tempore deo persolvi decreverunt, et sceleratos commissorumque facinorum auctores abegerunt, eos vero qui pietatis causa profugerant revocarunt. Sed cum illi neque pecuniam deo persolverent, sceleratos autem restituerent, et pios illos homines ab Amphictyonibus revocatos ejicerent, jam tum alteram in Amphisenses aciem instruxerunt, cum longo post intervallo ab expeditione Scythica regredetur Philippus, cumque defendendæ religionis principatum dii immortales nobis detulissent, Demosthenis avaritia et sordes obstitisset.

42. At non prædicebant, non præmonstrabant nobis dii ut caveremus, tantum non humanis vocibus eloquentes? Nullam unquam ego civitatem vidi deorum præsidio insignius custodiri, ab oratoribus rursus quibusdam pessundari. Non satis ad præmonendum valebat portentum illud mysteriorum diebus visum, mystarum interitus? Non ob hæc Amyniades prædixerat ut caveremus, ut certos homines Delphos mitteremus, qui quid facto opus esset oraculum scitarentur: Demosthenes vero obstitit, eum Pythiam φιλαππίζειν prædicaret, vir illiberalis et hac quam ei datis licentia insolenter perfruens et inflatus? Postremo nonne hostiis non litatis, non addicentibus, milites ad manifestum misit vitæ periculum?

Atqui is nuper ausus est dicere, Philippum idcirco in nostram regionem non invasisse, quod sacra ei haud pulcre cessissent. Quo igitur suppicio dignus es, o Græciæ clades? Si enim ipse victor in eorum qui victi erant fines non invasit, quod sacra ei non pulcre cessissent, tu autem nescius quid esset omnino futurum, priusquam litasses milites emisisti, utrum oportuit te propter clades civitatis corona donari, an ejici atque exterminari?

43. Nam quid insperati, quid inexspectati nostra ætate non evenit! Non enim vitam nos humanam viximus, sed ut incredibilia de nobis loquantur posteri in lucem editi sumus. Non Persarum rex, qui Athona perfodit Hellespontumque junxit, qui terram et aquam Græcos postulavit, qui se in literis ausus est mortalium omnium ab ortu solis usque ad occasum dominum appellare, jam non de dominatu in alios, sed de sui corporis salute dimicat? At eosdem cernimus et hac gloria et belli adversus Persam principatu dignatos, qui templum Dælphicum liberarunt. Thebæ vero, Thebæ, urbs vicina, uno die ex media Græcia funditus abrepta est, ac ni fallor jure, quippe quæ nullum rectum consilium de summa rerum agitaverat, verumtamen non humane sed divino quodam impulsu in hanc fatuitatem et amentiam fuerat protrusa. Jam Lacedæmonii miserrimi, qui leviter tantum et initio rebus illis cum templum diriperetur se immiscuerant, qui sibi Græciæ principatum quondam arrogabant, nunc ut *Macedonibus* dent obsides suæque calamitatis indicium haud obscurum edant ad Alexandrum legationem sunt missuri, poenas ipsi cum sua patria, quascunque illi visum fuerit, daturi, denique et victoris et injuria lacesiti judicio et moderationi sese tradituri. Civitas vero nostra, commune Græcorum perfugium, ad quam legationes olim ex singulis Græciæ civitatibus ventitabant, salutem omnes a vobis paraturæ, jam non de Græcorum imperio dimicat, sed de patrio ipsius solo. Et hæc omnia nobis acciderunt mala, ex quo Demosthenes ad rem. accessit. Praeclare sane de hujusmodi viris cecinit poeta Hesiodus. Dicit enim alicubi, populos erudiens, et civitatibus consulens ne improbos oratores admittant—atqui carmina ipsa vobis recitabo. In hunc enim finem arbitror nos dum pueri sumus poetarum sententias perdiscere, ut iis ætate jam adulta utamur.

Sæpe viri gens tota luit scelus unius atrox,
Demens qui peccat, qui res molitur iniquas.
Jupiter hos contra summo demittit Olympo
Omne mali genus exitii, pestemque famemque:
Vel aciem immanem perimit, vel mœnia sternit,
Vel rapidis naves jactatas obravit undis.

Quod si detractis undique poetæ numeris, sententias perpendatis, puto vobis non Hesiodi carmen, sed oraculum de publica Demo-

sthenis administratione visum iri. Istius etenim in rep. gerenda institutis, classes, exercitus, urbes penitus dissipatae sunt.

44. Sed neque Phrynondam, arbitror, neque Eurybatum neque alium quenquam eorum qui olim improbitate excelluerunt talem magum aut præstigiatorem extitisse, *qualis hic noster est*, qui, o tellus, o di immortales, dæmones atque homines, quicunque vera audire curatis! audet, os vestrum directo contuens, *audet* affirmare, Thebanos societatem vobiscum iniisse, non temporum ratione, non metu instanti, non vestra existimatione commotos, sed Demosthenis concionibus adductos. Atqui multas ante istum legationes Thebas obierunt homines, quibus summa cum illis familiaritas intercessit, primo quidem imperator ille Thrasybulus Colyttensis, vir apud Thebanos fide et auctoritate valens ut nemo alias: deinde Thrason Erchiensis, hospes publicus Thebanorum: Leodamus porro Acharnensis, dicendi viribus Demostheni non inferior, ac mihi quidem multo suavior visus orator: hic Archedemus Pelex, ipse quoque facundus et qui multa in rep. gerenda propter Thebanos pericula adiit: ductor ille popularis Aristophon Azeniensis, qui perdiu Bœotorum partibus studuisse insimulatus est: Pyrrhander denique Anaphlystius orator, qui etiam nunc vivit. Sed tamen nemo unquam ex iis Thebanos potuit ad vestram amicitiam perducere: causam equidem scio, sed propter eorum calamitates non necesse est exponere. At enim, opinor, postquam Philippus ademtam iis Nicæam Thessalis tradidisset, bellumque, quod olim ex Bœotorum finibus depulerat, nunc denuo per Phocidem in ipsas Thebas revexisset, postquam denique Elateam occupatam vallo muniisset in eamque præsidium imposuisset, ibi demum illi, *instantium malorum* metu incumbente, Athenienses accersiverunt, et vos copias eduxistis et Thebas introiistis armati equites peditesque, priusquam vel unicam syllabam de societate scripsisset Demosthenes: Thebas autem quod intromittebat vos, tempus fuit, metus, societatis necessitas, non Demosthenes.

45. Siquidem vero his in rebus tria vel gravissima Demosthenes in vos peccavit. Primum, quod cum Philippus verbo quidem vobiscum bellum gereret, revera multo acriori odio in Thebanos incenderetur, quomodo res ipsæ declararunt, et quid pluribus opus est? hæc tanta tantique ponderis celavit, et societatem nobis *cum Thebanis* futuram simulans, quæ non ex temporum necessitate sed suis legationibus oriaretur, primum populo persuasit ne magnopere spectarent quibus conditionibus societatem fieri conveniret, sed satis haberet si fieret modo: hoc primo autem occupato universam Bœotiam Thebanis dedidit, cum in decreto scripserit, ut si qua civitas a Thebanis descisceret, Athenienses Bœotis qui Thebis essent opitularentur, verbis, ut solet, res suffurans alioque transfe-

rens, quasi vero Bœoti, reipsa injuriam passi, in callido Demosthenis verborum contextu acquiescerent, ac non potius damna illa accepta gravissime essent laturi: deinde bellicorum sumptuum duas partes vobis adscripsit, qui longius a periculo aberatis, tertiam Thebanis, turpem in his singulis quæstum aucupatus; imperium maritimum cum illis communicavit, impensam proprie vestram esse voluit; terrestre, si nugis indulgere nolumus, totum prorsus ad Thebanos transtulit, adeo ut in eo quod natum est bello Stratocli imperatori vestro facta non sit de militum salute consulendi potestas. Neque vero hæc ego incuso, alii prætermittunt, sed et ego commemo et omnes reprehendunt et vos scitis neque irascimini. Sic enim in Demosthenem estis animati: insuevistis jam istius facinora exaudire, ut nihil amplius miremini. At non ita facere vos oportet, sed indignari, sed acerbe punire, siquidem reliqua civitati bene prospereque vultis procedere.

46. Secundam vero et antedicta multo graviorem injuriam fecit, cum senatum populique majestatem penitus furtim submovit et Thebas in Cadmeam traduxit, rebus nostris cum Bœotorum principibus pactione facta communicatis; quin vero tantam sibi dominationem comparavit, ut jam consenso suggestu glorietur se quo velit legatum profecturum, etiamsi vos non mitteretis: quod si quis imperatorum ei contradiceret, quo prætores in servitutem redigat eosque assuefaciat ne sibi refragarentur, minetur se suggesti nomine item intentaturum prætorio; plura enim ad vos commoda sua opera e suggesto, quam per imperatores e prætorio pervenisse. In externo autem exercitu, cum ex ordinibus non completis quæstum faceret, militare stipendum furaretur, et decem illa millia externorum militum Amphissensibus mercede accepta locaret, multum licet obtestante et in concionibus quiritante me, civitati imparatæ, surreptis mercenariis *subsidiis*, periculum summum injectit. Quid enim putatis Philippum temporibus illis in votis habuisse? Non ut seorsim cum urbana acie, seorsim cum conductis copiis ad Amphissam decertaret? Græcos tanta plaga accepta exanimatos opprimeret? Et tamen horum omnium malorum opifex Demosthenes non satis habet, si poenas effugerit, sed nisi etiam aurea corona donetur, indignum putat: neque ei sufficit præconium coram vobis fieri, sed nisi et coram Græcis prædicetur, ferendum negat. Ita nimirum prava indoles magnam potestatem adepta publicas semper exudit calamitates.

47. Tertia vero et superiorum omnium gravissima est injuria, de qua sum dicturus. Cum enim Philippus Græcos non contemneret, nec ignoraret—neque enim intelligentia caruit—se de bonis fortunisque omnibus in parvo dieculæ spatio esse decertaturum, atque idcirco pacem facere vellet, legatosque missurus esset; cum The-

barum principes imminens jam periculum reformidarent—neque injuria: non enim eos orator militiae rудis ordinisque desertor monuerat, sed Phocense illud decennale bellum æternum animis documentum infixerat—, cum haec igitur ita se haberent, cumque animadverteret ea Demosthenes, ac suspicaretur Bœotorum principes pacem privatum coituros, auro sine se a Philippo accepto, non sibi vivendum arbitratus, si qua largitionis societate excluderetur, repente in concionem prosiliit, et neque dicente quoquam mortalium, pacem cum Philippo facere oportere, neque negante, sed quia censeret se hoc veluti præconio Bœotorum principibus multo ante denuntiarc, ut secum prædæ captæ partem communicarent, per Minervam jurabat, quam scilicet eo fabricatus est Phidias ut inde quæstum faceret et pejeraret Demosthenes, si quis pacem esse cum Philippo faciendam diceret, se eum capillis arreptum in carcerem abducturum, Cleophontis imitatus in administranda rep. rationem, qui bello Lacedæmonio civitatem dicitur perdidisse. Sed cum Thebanorum principes ei non attenderent, militesque vestros jam egressos remisissent, ut vos de pace consultaretis, ibi vero omnino amens evasit, et consenso suggestu Bœotorum principes Græciæ proditores appellavit, scitumque se facturum dixit is qui nunquam hostem rectis oculis intuitus est, ut vos legatos Thebas mitteretis, qui a Thebanis transitum postularent contra Philippum. Summo igitur pudore affecti Thebanorum principes, ac veriti ne revera Græcorum proditores esse viderentur, a pace divertebant, atque ad aciem instruendam propérabant.

48. Hoc loco optimorum virorum meminisse dignum est, quos iste cum sacris non litatis, non annuentibus, in apertum periculum allegasset, ausus est, fugacibus et loci desertoribus pedibus in tumulum mortuorum ascendere, eorumque fortitudinem collaudare. O ad res magnas seriasque agendas hominum omnium futilissime, ad orationis confidentiam omnium accommodatissime! hoccine mox agere contendes, in ora istorum intuens, debere te propter civitatis calamitates corona honestari? Vos, si is dixerit, patiemini, unaque cum iis qui defuneti sunt vestra scilicet commorietur memoria? Adeste mihi paulisper animis, Athenienses, non jam in judicio sed in theatro; ponite vobis ante oculos præconem produntum prædicationemque ex plebiscito facturum, ac vobiscum considerate, utrum putetis mortuorum propinquos plures lacrymas profusuros ob tragœdiarum spectacula et acerbos heroum casus, qui mox in scenam producentur, an ob civitatis iniquitatem et dementiam. Quis enim, non vir modo Græcus, sed vel homo liberaliter institutus, non ingemiscat, si nihil aliud, illud saltem in theatro recordatus, hoc quondam die tragœdis, ut nunc, in scenam prodituris, quo tempore melius erat morata civitas et melioribus gu-

bernatoribus utebatur, progressum praeconem, productisque pupillis, quorum patres in prælio ceciderant, adolescentulis integra armatura instructis, pulcherrimum et ad virtutem commendandam aptissimum præconium facere consuevisse, Hos adolescentes quorum patres in bello fortiter pugnantes occubuerunt, ad pubertatem usque populum aluisse, nunc autem integra hac armatura tectos, faustis omnibus, ut ad res suas revertantur, dimittere, et ad principem in consessu locum vocare. Hæc quidem olim prædicabat, nunc vero non item, producto enim eo qui liberis orbitatis causa fuit, quid prædicabit, quid clamabit? Nam etsi ipsa decreti præscripta recitarit, nunquam tamen obmutescet vera rei turpitudo, sed præconis verbis contraria prorsus eloqui videbitur, Populum Atheniensem hunc virum, si quidem iste vir est, corona donare, virtutis ergo nequissimum, fortitudinis ergo timidissimum locique desertorem. Ne quæso vos, Athenienses, per Jovem reliquosque deos immortales, ne trophæum de vobis ipsis in Liberi patris orchestra statuatis! ne populum Atheniensem in conspectu Græcorum amentiæ condemnetis! ne miseris Thebanis insanabilem et desperatorum malorum memoriam refricetis, quos hujus culpa profugos in urbem vestram excepistis, quorum fana, sepultra, liberos Demosthenis nundinatio atque aurum regium perdiderunt!

49. Sed quoniam corporibus non affuistis, animis saltem eorum calamitates intuemini, ponite vobis ante oculos civitatem captam, diruta mœnia, ædes incendio vastatas, conjuges liberosque in servitutem abductos, viros ac mulieres graves annis sero libertatem dediscentes, plorantes, supplicantes vobis, irascentes non iis qui a se pœnas expetiverunt sed iis qui harum calamitatum auctores existere, enixe flagitantes ne vos ullo modo perniciem Græciæ corona donetis, sed ut genium etiam et fortunam quæ hominem istum comitatur caveatis: neque enim aut civitas aut privatus quisquam pulcre unquam discessit, Demosthenis usus consilio. Non pudet vos, Athenienses, in portiores qui Salamina transvehunt hanc legem tulisse, ut si quis eorum navigium in trajectu etiam invitus everterit, ne ei postea liceat esse portitori, ne quis in hominum Græcorum capitibus temere negligenterque versetur; huic vero, qui et Græciam civitatemque nostram funditus everterit, iterum rempublicam permittere gubernandam?

50. Jam vero ut de quarto etiam tempore et præsenti rerum statudicam, illud vos admonitos velim, Demosthenem non solum in acie locum deseruisse, verum etiam civitatis vestræ, . . . accepta tremi pecunias a Græcis exegisse. Cum autem inopinata salus eum

in urbem reduxisset, primis quidem temporibus tremebundus homo fuit, et semimortuus in concionem progressus postulavit ut se pacis custodem crearetis. Vos autem initio ne nomen quidem Demosthenis decretis adscribi permisistis, sed hoc *negotium* Nausicli mandastis: jam vero iste etiam coronam sibi deberi contendit. Mortuo deinde Philippo, et Alexandro ad regni successionem vocato, rursum iste præstigias et portenta moliens, sacella exstruxit Pausaniæ, et senatum in gratulationis et sacrificii *ob lætum nuncium* facti crimen conjecit, Alexandro autem Margitæ cognomen indidit, aususque est affirmare, nunquam eum e Macedonia pedem elaturum; satis vero habiturum, si Pelleæ deambularet et exta inspiceret. Atque hæc se dicere prædicabat, non conjectura ductum, sed quod certo sciret, virtutem non nisi sanguine comparari, ipse penitus sanguine destitutus, et Alexandrum non ex Alexandri ingenio, sed suapte ignavia dimensus. Cum vero censuissent jam Thessali civitati nostræ bellum inferendum, et juvenis principio, neque injuria, irritatus esset, cumque castra jam ad Thebas admoverentur, legatus a vobis delectus *Demosthenes* arrepta fuga e medio Cithærone reversus est, neque in pace neque in bello utilem se civem *reip. præbens*. Et quod est omnium acerbissimum, vos eum non prodidistis, neque in judicium coram consilio Græcorum adduci permisistis: ille autem vos jam plane prodidit, si quidem vera sunt quæ dicuntur.

51. Ut enim aiunt paralii iisque qui legati ad Alexandrum profecti sunt—et rei merito sane adhibetur fides—, est Aristion quidam Plataicus, Aristobuli pharmacopolæ, si quis forte vestrum cognorit, filius. Is aliquando adolescens, cum suis æqualibus forma præstaret, diu in Demosthenis domo diversabatur: quid vero aut fecerit aut passus sit, cum dubium atque incertum sit, tum res mihi nequaquam dictu est honesta. Hic igitur, ut ego audio, cum et quis esset et quomodo antea vixerit nemini esset compertum, in Alexandri gratiam subrepit, et cum eo familiariter versatur. Per hunc Demosthenes missis ad Alexandrum literis, aliquid tandem securitatis nactus est et gratiæ reconciliationem, multisque eum blanditiis demulcivit. Inde autem spectate, quam valde res sit criminationi consentanea.

52. Nam si quid horum revera sentiret Demosthenes, si hostili in Alexandrum, uti jactat, esset animo, tria ei pulcherrima tempora oblata sunt, quorum nullo ut videtur unquam est usus. Primum cum in regno non ita pridem constitutus Alexander, suis rebus nondum satis compositis, in Asiam transiret; Persarum autem rex classe, pecunia, peditatu florerer, libenterque vos in societatem receperisset propter ea quæ sibi ipsi ingruebant pericula. Num tu orationem tunc unam habuisti, Demosthenes, ullumve decretum conscripsisti? Vis ponam metuisse te tuoque ingenio obsecundasse?

Atqui timiditatem oratoriam reip. tempora non exspectant. Sed postquam Darius cum universo exercitu descendisset, Alexander autem in Cilicia intercluderetur, rerum omnium inopia, ut ipse tum dixisti, laborans, cum illum continuo, ut tua pariter ferebat oratio, Persicus equitatus conculcaturus esset, jamque importunitatem tuam civitas capere non poterat et epistolas tuas, quas digitis suspensas circumferebas, nonnullis os meum tanquam hominis perculti et exanimati ostendens, cum me auratis cornibus *hostiam* nuncupabas, et, si quid laberetur Alexander, jam coronatum esse dicebas, ne tum quidem egisti quicquam, sed rem in aliud tempus nescio quod magis commodum distulisti. His igitur omnibus prætermissis, de iis dicam rebus quæ nunc sunt. Lacedæmonii et exercitus externus secundo Marte pugnarant, militesque Corrhagi deleverant: Elæi una cum iis a *Macedonibus* defecerant: Achæi præterea omnes præter Pellenæos: Arcadia omnis præter Megalopolim; ipsa autem obsidione pressa erat, et de die in diem capi sperabatur: Alexander extra septentriones et orbem pene terrarum habitabilem excesserat: Antipater multum jam temporis in comparando exercitu consumserat: quid futurum esset, incertum erat. Hic tu nobis ostende, Demosthenes, quæ gesseris, quæve dixeris; quod si velis, cedam tibi suggestu, quoad dicendi finem feceris. Sed quoniam taces, sane tibi quod hæsites ignosco: quæ vero tum dixisti, ego nunc exponam.

53. Excideruntne vobis e memoria verba illa odiosa, immania, quæ vos olim, o ferrei, quo pacto audire sustinuitis? Cum pro concione hæc effutiret, civitatem non nulli tanquam vitem amputant, populi palmites quidam res ecuerunt, rerum nervi succiduntur, storearum instar in angustum cogimur, quidam podice m quasi mugilibus trans fodunt. Hæccine vero, o bella, verba sunt an portenta? Quid cum in suggestu te in orbem circumagens clamitabas tanquam Alexandro adversatus, fateor me Laconicam conjurationem excitasse, fateor me Thessalos et Perrhæbos ad defectionem impulisse. Tu vero vel villam quidem ad defectionem impellas? Tu, non dico ad urbem, sed ad domum ullam, ubi quid sit discri-minis, accedas? Verum sicubi pecuniae impendantur, asidebis, nihil vero dignum geres: sin *boni* quid fortuito eveniat, id tibi vendicabis, te ipsum rei jam peractæ auctorem inscribes: si quis metus ingruerit, profugies: si in spem bonam erecti simus, præmia posces et aureas coronas flagitabis.

54. Esto: at popularis est. Si vos ad honestam verborum ejus speciem respiciatis, nunc etiam, uti et olim, eritis decepti: sin naturam ejus reique veritatem *exquiratis*, nequaquam fallemini. Hoc igitur modo rationem ab eo reposcite. Ego jam vobiscum expendam,

quæ insita esse debeat in ingenio viri popularis ac moderati, eque contra ponam, qualem esse verisimile sit hominem paucorum potentiae studiosum atque improbum : vos, his duobus inter se comparatis, spectate jam mihi, non qualis lingua sit, sed qualem vitam egerit.

55. Vos igitur omnes arbitror mihi assensuros, hæc in homine populari inesse oportere. Primum ut a paterna maternaque stirpe liber sit, ne ob generis infortunium infensus sit legibus, quæ potestatem populi tuerentur. Deinde ut a majoribus suis alicuius erga populum beneficentiae hereditatem acceperit, vel quod est summe necessarium nullius inimicitiae, ne calamitatum in quas majores inciderunt se vindicem præbens, malum moliatur civitati. Tertio ut in quotidiani victus ratione natura frugi sit ac temperans, ne ob perditam in sumptibus nequitiam largitiones contra rempublicam accipiat. Quarto ut et vir bonus sit et dicendi peritus : præclarum est enim mente et consilio res optimas eligere *easdemque* eruditione oratoria et dicendi facultate *instructum* auditoribus probare posse ; sin minus ita contingat, utique bona mens anteponenda eloquentiae est. Quinto fortis animo esse oportet, ne in temporum angustiis et in bellis populum deserat. At homini paucorum potentiae faventi his omnibus adversa esse studia convenit : quid enim ea vobis iterare opus est ?

56. Jam vero dispicite, quodnam ex his insit in Demosthene : ratio autem summa cum æquitate subducatur. Huic pater erat Demosthenes Pæaniensis, vir ingenuus quidem — neque enim mentendum est — : sed a materno avique materni genere quomodo se habeat ? Ego jam exponam. Gylo quidam erat Ceramensis. Hic Nymphæo quod in Ponto est, quo tempore oppidum illud civitas in ditione sua tenebat, hostibus prodiito, delatus urbe exsulavit, cum capitatis damnatus judicii pœnam non exspectasset. Hinc Bosporum concessit, ubi Hororum qui vocantur a tyrannis largitionem nactus, uxorem dicit opulentam sane magnamque vim auri secum affarentem, sed genere Scythidem, ex qua cum duas filias suscepisset, easque cum grandi pecunia huc misisset, collocavit alteram nescio cui, ne multorum in me odia concitem, alteram spretis civitatis nostræ legibus duxit Demosthenes Pæaniensis, ex qua natus est nobis percuriosus hic ardelio et calumniator Demosthenes. Quamobrem ab avo quidem materno hostis erit populi ; ejus enim majores capitatis damnavistis : a materno genere Scytha barbarus lingua duntaxat Græcus. Unde fit, ut improbitate etiam indigenam non referat.

57. In quotidiani autem victus ratione qualis est ? Ex trierarcho scriptor oratiuncularum evasit, bonis paternis ridicule dissipatis. Deinde cum in hoc etiam negotio perfidus haberetur, quod ora-

tiones adversariis impertiret, repente in suggestum prosiliit. Cum ingentem a civitate pecuniam accepisset, perpusillam sibi reliquam fecit. Nunc vero aurum regale sumptus ejus *exhaustos* inundavit, sed neque hoc quidem satis erit : nullæ enim unquam divitiæ pravæ indolis libidinem exsuperarunt. Ad summam, vitam non ex suis vectigalibus, sed vestris ex periculis sustentat. Quod ad bonitatem autem intentis dicendique facultatem attinet, qualem eum natura finxit? Oratione disertum, vita turpem. Ita enim corpore suo a puero est abusus, ut *flagitia*, quæ in se admisit, nolle exponere : vidi enim jam ante, odium esse consecutos eos qui vicinorum dedecora nimis aperte declararunt. Sed quid tandem *ex hac eloquentia* civitati quæritur? Præclara verba, facta humilia atque abjecta.

58. Jam de fortitudine per mihi brevis restat oratio. Nam si vel se ipse ignavum esse negaret vel vos nesciretis, diutius esset mihi in hoc loco commorandum : nunc autem quando et ipse fatetur in concionibus vosque omnes intelligitis, reliquum est ut leges, quæ his de rebus latæ sunt, vobis in memoriam redigam. Solon enim antiquus ille legislator iisdem pœnis obstringi debere censuit et eum qui militiam detrectaret et eum qui de statione decederet et eum simul qui timidus miles sit : dantur enim et timiditatis actiones. Atqui mirabitur fortasse quispiam, etiam propter naturæ *defectum* actiones esse constitutas. Sunt. Quid ita? Ut unusquisque nostrum pœnas legibus irrogatas magis quam hostem extimescens, tanto fortius pro patria propugnet. Legislator itaque eum qui militiam subterfugiat et timidum et desertorem lustralibus vasis fori prohibet, et corona donari vetat et sacrificiis arcet publico nomine institutis : tu vero eum nos corona donare jubes, cui coronam leges interdicunt, tuoque decreto hominem indignissimum ludis tragicis in orchestram arcessis, in templum Liberi patris eum *deducis*, qui timiditate sua tempora prodidit. Sed ne vos a proposito divertam, facite vobis in mentem veniat, cum se dicit esse popularem, non orationem ejus sed vitam spectare, neque quem se esse prædicet, sed quis sit, attendite.

59. Verum quoniam in coronarum et præmiorum mentionem incidi, antequam mihi e memoria excidat, prædicto vobis, Athenienses, nisi hæc præmia infinita et temere concessas coronas reprimetis, neque eos quos honore afficitis gratiam vobis habituros, neque res civitatis meliores fore. Improbos enim nunquam in melius mutabitis, bonos ad summam desperationem adigitis. Vere hæc a me dici, magnis me vobis argumentis monstraturum puto. Si quis vos roget, *Athenienses*, utrum his temporibus nostra civitas gloria magis florere videatur an majorum nostrorum, omnes credo assensuros ætate majorum *insignius eam floruisse*. Utrum tunc temporis an nunc viri meliores? Tunc quidem excellentes, nunc longe deteriores.

At præmia et coronæ et præconia et quotidianus victus in Prytaneo utrum tunc erant an nunc crebriora? Tunc rari apud nos honores, tunc virtutis nomen in pretio erat, nunc vero res ipsa obsolescit, et coronas vos non consilio sed ex consuetudine donatis.

60. Nonne hæc igitur expendentibus *vobis* absurdum merito videtur præmia nunc increbuisse, civitatis opes tum majores quam nunc fuisse; viros nunc esse nequiores, tunc multo præstantiores? Ego autem, quamobrem hoc ita fit, ostendere vobis conabor. Putatisne, Athenienses, futurum unquam fuisse, qui se vel ad Olympia, vel ad aliud aliquod certamen in quo coronæ donentur, exercere vellet, ad Pancratium aut aliud quodpiam gravioris luctæ genus, si corona traderetur non præstantissimo sed ei qui malis artibus ipsam consecutus esset? Nemo hercle sc exerceret. Nunc autem, opinor, propter raritatem, propter contentionem, decus, gloriæ denique sempiternam quæ victoram sequitur, reperiuntur nonnulli qui, corporibus suis fortunæ permisisse gravissimisque laboribus exantlatis, periculum adire cupiunt. Quocirca fingite vos esse certaminis de virtute civili arbitros constitutos, atque illud simul cogitate, si paucis et dignis et secundum leges præmia tribuatis, complures vos virtutis certatores habituros: sin cuivis et eis qui ambierint gratificemini, etiam bona ingenia corrupturos.

61. Hæc autem recte a me dicta esse, luculentius paulo vobis libet exponere. Uter vobis vir melior fuisse videtur Themistocles, quo duce navalium apud Salamina prælio Persam vicistis, an qui locum in acie deseruit Demosthenes? Miltiades qui Marathonia pugna barbaros superavit, an iste? [Ii denique, qui populum exsularem a Phyle reduxerunt?] et Aristides ille, qui cognomine, multum illi quod Demosthenes habet dissimili, Justus appellatus est? Verum ego, per deos immortales, ne iisdem quidem diebus fas esse existimo de hac bellua et de viris illis meminisse. Ostendat igitur in oratione sua Demosthenes, sicubi decretum sit, ut quisquam illorum virorum corona donaretur. Ingratus ergo erat populus? Minime, imo et excelsi animi *populus* fuit, et illi qui hunc honorem non adepti sunt civitate hac dignissimi. Non enim se in tabulis decretoriis honorem suum ponere debere censebant, sed in eorum quibus bene fecissent memoria, quæ quidem ex illo tempore ad hunc usque diem manet immortalis.

62. Quibus vero præmiis ornati sunt? Iis quæ operæ pretium est commemorare. Fuerunt quidam iis temporibus, qui multis gravibusque periculis defuncti Medos apud Strymonem fluvium prælio fuderunt. Ii igitur huc reversi præmium a populo petiverunt, deductique eis populus magna, ut tum videbantur, præmia, ut tres Hermæ lapidei in Hermarum porticu iis ponerentur, ea lege tamen ne sua nomina inscriberent, ut non imperatorum sed populi inscri-

ptio videretur. Esse autem vera quæ a me dicuntur, ex ipsis versibus cognoscetis. Inscriptum est enim in prima statua :

Hi quoque præstanti valuerunt pectore, Medis
Strymonias ad aquas, Eionisque locum
Perdomitis, diraque fame ferroque cruento
Hostiles primi qui minuere manus.

secundæ hæc inscriptio est :

Præmia Cecropidæ hæc ducibus memoranda dederunt,
Pro virtute virum pro meritisque piis.
Ut, cum progenies lustrent hæc sera nepotum,
Læti pro patria ferre pericla velint.

tertiæ autem statuae inscriptum est :

Ex hac urbe olim Mnestheus comitatus Atridas
Examen duxit Pergama ad alta virum,
Gnarum præ reliquis quem cantat Homerus Achivis
Compositis acies dirigere ordinibus.
Sic neque immerito primi dicentur ubique
Virtute insigni Marteque Cecropidæ.

Usquamne hic reperitur ducum nomen ? Nusquam, sed populi *tantum*. Adeste igitur mihi animis et ad porticum picturatam : omnium enim facinorum egregiorum exstant vobis in foro monumenta. Quid igitur illud est, quod dico, Athenienses ? Hic pugna Marathonia depicta est. Sed quis erat imperator ? Omnes, opinor, hoc ita rogati responderetis, Miltiades, at illic *nomen ejus* non inscribitur. Quid ita ? non petivit hoc præmii ? Petivit quidem, sed populus non dedit, verum ei pro nominis inscriptione concessit, ut primo loco pingeretur milites cohortans. Ergo et in æde Matris deum juxta Curiam, quodnam iis præmium qui populum exsulanter a Phyla reduxerunt dederitis, intueri licet. Qui enim populi scitum scripsit et obtinuit Archinus erat Cœleus, unus ex iis qui populum reduxerunt: scripsit autem primum ut iis mille drachmæ darentur in sacrificia et dona templis appendenda — estque hoc minus quam decem drachmæ in singulos viros —, deinde jubet unumquemque oleagina corona ornari, non aurea ; erat enim tum oleagina corona pretiosa, nunc etiam aurea in fastidio est. Verum neque hoc quidem temere fieri decernit, sed tum demum cum senatus accurate perquisiverit, quot eorum in Phyla obsessi fuissent, cum Laccdæmonii et triginta tyranni in eos invaserunt qui Phylam occuparant, non quot ad Chæroneam cum instarent hostes a statione recessissent. Ut autem vera me dicere *cognoscatis*, recitabitur vobis decretum.

DECRETUM DE REDUCIBUS A PHYLA.

Recitetur jam ex adverso decretum id quod Ctesiphon scripsit Demostheni gravissimarum calamitatum auctori.

DECRETUM.

Hoc decreto oblitteratur eorum præmium, qui populum reduxerunt. Hoc si honestum est, illud turpe fuit: si illi merito honore affecti sunt, hic immerito corona ornatur.

63. At enim audio dicturum esse Demosthenem, me parum juste facere qui majorum res gestas cum suis contendam. Neque enim (aiet) Philammon pugil Olympiis coronam adeptus est, quod veterem illum pugilem Glaucum, sed quod suæ ætatis certatores, superarit. Quasi vero nesciatis, pugilibus inter sese propositum esse certamen, iis autem qui coronam poscunt cum ipsa virtute, cuius etiam causa coronantur. Oportet enim mendacio vacare præconem, cum quid in theatro coram Græcis prædicat. Quare noli nobis pluribus verbis demonstrare, te in rep. administranda Patæcione fuisse meliorem, sed ubi virtutis compos fueris, ita demum gratias a populo deposce. Verum ne vos a proposito abducam, scriba vobis epigramma recitabit, quod in eos scriptum est qui populum a Phyla reduxerunt.

EPIGRAMMA.

Hosce coronarum antiqua gens Attica pulcræ
Virtutis ergo jussit honore coli,
Qui quondam injustos arcebant urbe tyrannos,
Objicere haud veriti corpora pro patria.

Propterea quod eos qui contra leges dominati sunt everterint, honore affectos esse dicit poeta. Adhuc enim omnium aures *vox ea* personabat, populum illo maxime tempore eversum fuisse, postquam judicia de decretis contra leges factis nonnulli sustulissent.

64. Evidem ut ego de patre meo audiebam, qui anno ætatis suæ quinto et nonagesimo diem obiit, cum omnium reip. ærumnarum particeps fuisse, quas sæpe mecum per otium conferebat—: is *in quam* dicebat, primis illis temporibus quibus populus reductus fuerat, si qua de decretis contra leges scriptis actio in judicium venerit, similia plane fuisse et nomen et factum. Quid enim est sceleratus homine, qui res legibus adversas dicit aut facit? Neque vero judices, ut ille referebat, eadem ratione qua nunc, de causa cognorunt; crant enim in eos, qui decreta legibus aduersa tulerant, multo infestiores quam ipse etiam accusator, et sæpenumero scribam reocabant, jubebantque leges et decretum iterum recitare, damnabantur denique ii qui contra leges scripserant non si universas leges transgressi fuissent, sed si unam duntaxat syllabam immutassent. At perridiculum est, quod nunc fieri solet. Scriba decretum recitat contra leges factum; judices, quasi cantilenam aut rem *a judicio*

alienam audirent, ad aliud aliquod animum advertunt. Jam vero ex Demosthenis artibus turpem consuetudinem in judicia irreperere sivistis. Inversa enim nobis sunt jura civitatis: accusator quidem defecndit, reus accusat, judices quarum rerum disceptatores sedeant interdum obliviscuntur, de iis vero rebus, quarum judices non sunt, sententiam ferre coguntur. Reus, si quando rem ipsam attigèrit, non se dicit legitima scripsisse, sed alium etiam antea cum talia scripsisset absolutum esse: quo quidem arguento magnopere jam nunc elatum esse audio Ctesiphontem.

65. Ausus est aliquando apud vos gloriari Aristophon ille Azeniensis, se septuaginta quinque actionibus de decretis contra leges factis postulatum fuisse. At non ita priscus ille Cephalus, qui omnium maxime popularis est habitus, non ita *inquam*: sed plane contrariis gloriabatur factis, quod nempe, cum plura quam quis alius plebiscita scripsisset, nunquam tamen de decretis contra leges scriptis reus factus esset, praeclara mea quidem sententia gloriatio. Nam de decretis adversum leges factis alii alios postulabant, non ii tantum qui in reip. partibus dissiderent, verum etiam amici amicos, si quid in rem publicam commisissent. Id autem exinde cognoscetis. Archinus Cœleus violatarum legum postulabat Thrasybulum Stiriensem, quod contra leges decretum fecerat, unum scilicet ex iis qui secum a Phyla revertissent, et reum peregit, recentibus ejam tunc ejus erga populum beneficiis, quorum tamen rationem nequaquam judices habuerunt: existimabant enim, quemadmodum tum ipsos cxsulantes Thrasybulus revocasset, ita etiam nunc eundem se in urbe constitutos exturbare, cum aliquid contra leges decerneret. Nunc autem non ita fit, quin plane aliter. Vestri enim eximii imperatores, eorumque nonnulli qui victum quotidianum in Prytaneo meruerunt, actiones de decretis contra leges factis depreciationibus suis evertunt, quos jure vos ingratos existimare debeat. Si quis enim in libera republica honorem consecutus, in ea præsertim civitate, quam dii legesque conservant, iis qui decreta legibus adversa scribunt opitulari audet, is eam ipsam rem publicam evertit, a qua est honestatus.

66. Quænam igitur defensionis ratio patrono justo ac modesto præscripta est? Dicam. In tres partes distribuitur dies, quo actio de decretis contra leges factis in judicium venit. Infunditur enim prima aqua accusatori, legibus, libertati denique populari, secunda reo iisque *patronis* qui in rem ipsam loqui volunt; cum vero prima sententia non solutum fuerit violatarum legum crimen, tertia jam aqua litis estimationi infunditur vestræque iræ magnitudini. Qui-cunque igitur in cestinianda lite suffragium petit, is iram vestram deprecatur: at qui in prima contentionis parte suffragium petit, jusjurandum petit, legem petit, populi libertatem petit, quorum ne-

que quicquam rogare fas est, neque rogatum alteri concedere. Ju-bete igitur, ut, vos primam sententiam secundum leges ferre passi, exinde ad litis aestimationem vires convertant.

67. Ad summam autem parum mihi abest, Athenienses, quin dicam legem in actionibus duntaxat de decretis contra leges factis ferri debere, ne liceat aut accusatori, aut ei qui hujus criminis postulatur, advocationis sibi adsciscere: non enim *hic* interminatum jus est, sed legibus vestris definitum. Ut enim in arte fabrili, cum quid rectum sit quid non, scire volumus, regulam adhibemus, qua dijudicentur, ita in accusationibus de decretis contra leges factis juris regula proponitur, tabella scilicet hæcce et decretum et leges descriptæ ac juxta positæ. Hæc si inter se consentire ostenderis, descende, et quid opus te Demosthenem advocare? Cum vero justa illa defensionis ratione neglecta hominem maleficum accersis et verborum artificem, insidias struis auditoribus, civitatem labefactas, populi dominationem evertis.

68. Quænam igitur ratio sit hujusmodi orationum propulsandarum? Ego jam exponam. Simulatque huc progressus Ctesiphon illud compositum sibi a Demosthene exordium pronuntiabit, deinde tempus absumet nihilque ad defensionem afferet, commonete eum, ut citra tumultum tabellam hanc in manus sumat legesque cum decreto suo recitatas conferat. Quod si vos audire se dissimulaverit, ne vos quidem eum audiatis: non enim huc convenistis, ut reos qui legitimam defensionem respuant audiatis, sed illos qui se recte atque ordine defendere parati sunt. Sin autem justa defensione prætermissa Demosthenem accersat, potissimum nolite ferre hominem veteratorem, sperantem se verborum aucupiis leges sublaturum, neque hoc quispiam vestrum sibi in laudis loco deputet, si interrogante Ctesiphonte, liceatne per vos Demosthenem advocare, primus exclamabit *voca*, *voca*:—contra te ipsum vocas, contra leges vocas, contra populi libertatem vocas—: quod si vobis audire placeat Demosthenem, postulate ab eo, ut ad eam normam defensionem instituat, quam ego in accusatione sic quodammodo, ut id vobis in memoriam revocem, sum secutus.

69. Nec privatam Demosthenis vitam prius explicavi, nec ullius publici criminis mentionem feci, cum eorum ingens mihi adesset copia—aut omnium certe hominum essem infantissimus—, sed primo loco osterendi leges diserte vetare, ne corona donentur ii qui rationibus referendis sunt obnoxii, deinde oratorem redargui, quod Demosthenem qui rationibus reddendis obnoxius est corona donari jusserit, nullo prætextu interposito, non excusatione ea adscripta posteaquam rationes retulerit, sed vobis atque legibus penitus despiciens: porro cavillationes quas contra hæc allaturi sunt exposui, quarum etiam ut vos memores sitis exoro, Secundo loco

leges vobis de præconiis percurri, quibus diserte interdictum est, ne quis a populo corona donatus extra concionem prædicetur: orator vero qui est reus non leges tantum transgressus est, sed et tempus et locum prædicationis *commutavit*, siquidem non in concione sed in theatro, non Atheniensibus in concionem congregatis sed tragœdis in scenam jam prodituris, præconium fieri decerneret. His expositis, pauca de privatis dixi, magnam autem partem in publicis ipsis criminibus oratio mea versata est.

70. Sic igitur et a Demosthene postuletis ut defensionem instituat, primo ad legem de iis qui rationibus reddendis sunt obnoxii, deinde ad legem de præconiis *respondeat*, tertio loco ad illud quod maximum dico, non esse dignum eum corona. Quod si vos oret, ut de ordine dicendi suo se arbitrio uti concedatis, pollicitus se sub finem defensionis *crimen de decreto contra leges facto soluturum*, nequaquam concedite, neque vos fugiat callidam hanc esse technam ad eluctandum judicium: nunquam enim postea ad crimen decreti contra leges facti respondebit, sed, cum nihil habeat quod juste possit dicere, aliarum rerum injectione in oblivionem accusationis vos adducere cogitat. Quemadmodum igitur in certaminibus gymniciis videtis pugiles inter se de statu decertare, sic et vos cum eo totum diem pro civitate et de dicendi ordine depugnate, neque eum sinite extra crimen violatæ legis per ambages evadere, sed audiendo illi immorantes atque insidentes intra causæ ipsius limites hominem coercete, verborumque ejus diverticula et anfractus observeate.

71. Quæ autem vobis eventura sint, nisi hoc modo Demosthenem audiatis, æquum est ut prædicem. Introducet enim *Ctesiphon* præstigiatorem illum et crumenarum sectorem et reipublicæ carnificem. Hic et facilius plorat quam alii rident, et mortalium omnium est ad pejerandum promptissimus: neque vero mirabor, si subita mutatione facta in eos qui foris circumsistunt maledicta congeret, dicetque homines paucorum potentiae studiosos, ab ipsa etiam veritate discretos et dinumeratos, ad accusatoris suggestum, populares autem ad rei subsellia, convenisse. Hæc igitur cum dicet, id ei contra seditiones has orationes opponite, si tui similes fuissent, Demosthenes, qui populum exsulantem a Phyla reduxerunt, nunquam hic popularis status fuisset constitutus. Nunc illi post gravissimas clades rempublicam-conservarunt, pulcherrimo illo et ab humilitate disciplinaque profecto verbo usurpato, NE QUIS INJURIARUM REMINISCERETUR, at tu vulnera *nobis* refricas, majorque tibi quotidianarum orationum cura est quam publicæ salutis.

72. Cum autem homo in perjuriis versatus ad fidem jurejurando faciendam configuerit, illud eum commonete, viro, qui et sæpe pe-

jerat, semperque apud eosdem sibi fidem esse jurato postulat, duorum alterum suppeterem oportere, quorum neutrum consecutus est Demosthenes, aut deos novos aut non eosdem auditores. Jam quod ad lacrymas attinet et contentionem vocis, cum vos rogabit quo confugiam, Athenienses? circumscribat me ex republica; non est quo me recipiam, hæc ei contra referte at populus Atheniensis quo confugiet, Demosthenes? ad quem sociorum apparatum vèl ad quam pecuniam? quæ dum tu remp. gereres populo munimenta comparasti? nam quibus rebus tibi ipsi consulueris, omnes videmus. Urbe enim relictâ non, ut te videri velis, in Piræo habitas, sed fugam ex civitate spectas, jamque ignaviæ tuæ viatica providisti aurum regium et peculatu quæsitas opes.

73. Denique quorsum lacrymæ? quorsum ejulatio? quorsum tanta illa vocis contentio? Nonne is qui causam dicit Ctesiphon est, causaque ipsa nequaquam ex iis quæ pœnam habent legibus definitam, tu vero neque de fortunis neque de vita neque existimatione tua decertas. Qua tandem igitur de re laborat? De aureis coronis et præconiis in theatro legibus interdictis. Quem, si populus aut furore præceps aut præsentis rerum status immemor tam alieno tempore eum corona donare vellet, in concionem progressum dixisse oportebat, Athenienses, coronam quidem accipio, tempus autem, in quo fit præconium, non probo: nec enim decet, propter quæ res publica luctu obruta est et comam totundit, propter ea me corona donari. Hac opinor oratione uteretur vir bonus, qui vitam cum vera virtute conjunctam vixisset: quæ tu dices vero, scelerati sunt nebulonis inanem virtutis umbram consequantis.

74. Neque enim mehercule hoc quisquam vestrum pertimescat, ne Demosthenes, magni vir animi et virtute bellica præcellens, præmiis fortitudinis frustratus se domum versus interficiat; qui usque adeo laudis et gloriæ apud vos studium deridet, ut nefandum illud caput et rationibus referendis obnoxium, quod iste contra leges omnes coronandum decrevit, decies milles dissecuerit, ejusque rei uberrimam mercedem tulit, accusationibus de vulnere consulto illato institutis, pugnisque ita est a Midia concitus, ut eorum credam vestigia adhuc in corpore ejus eminere. Homo enim non tam caput gestat, quam capitularium.

75. Jam porro de Ctesiphonte, qui scitum hoc scripsit, pauca mihi dicenda sunt; multa autem præteribo, ut vestri faciam periculum, utrum homines improbitate præcellentes ipsi per vos, etiamsi

nemo præmonuerit, internoscere possitis. Id tantum, quod istorum utriusque commune est quodque de iis apud vos merito dici potest, exponam. In foro igitur circumcursant veram alter de altero opinionem habentes, vocesque minime falsas jactantes. Negat se Ctesiphon sibi quicquam timere; sperat enim se stolidum quendam et imperitum visum iri: sed Demosthenis in administranda rep. quæstus flagitosos et consternationem et ignaviam, ea vero se pertimescere confirmat. Demosthenes contra, cum in se ipse intuetur, securu se animo esse prædicat; at Ctesiphontis improbitatem et lenocinia vehementer perhorrescere. Quos igitur sua mutua sententia flagitiorum arguit, vos communes utriusque judices criminibus ne absolvite.

76. De iis vero quæ in me congeret maledictis pauca nunc præfabor. Audio enim Demosthenem dicturum, rempublicam a se quidem multa commoda, a me autem multa damna suscepisse, et simul Philippum et Alexandrum atque inde nata crimina in me rejecturum. Est enim, ut videtur, adeo callidus verborum artifex, ut jam non satis habeat, siquid ego in rep. gessi vel siquas orationes apud vos habui, incusare, sed ipsum vitæ meæ otium criminatur meumque silentium insimulat, ne quis ei locus scilicet calumniæ vacuus relinquatur; cœtus porro et colloquia, quæ in gymnasiis cum adolescentulis habeo, reprehendit; quin et contra hanc ipsam actionem statim orationis suæ initio crimen quoddam afferet, me litem ei intendisse non studio reipublicæ adductum, sed ut me Alexandro ostentarem propter inimicitias quæ illi cum isto intercedunt. Enimvero, ut accepi, ex me etiam quæsitus est, cur ego rerum a se gestarum summam reprehendam, singulas vero neque interpellari neque in judicium adduxerim, sed longo demum intervallo, et cum in republica administranda non assidue versatus essem, ad accusandum accesserim.

77. Ego vero neque Demosthenis consuetudinem et colloquia mihi unquam invidenda duxi, neque meorum me pudet, neque quæ coram vobis a me dicta sunt indicta esse velim, neque, si quales iste habuit conciones habuissem, mihi diutiū vivendum putarem. Meum vero silentium, Demosthenes, vitæ meæ continentia peperit: parvo enim sum contentus, nec majora turpiter concupisco, itaque et silentio utor et ad dicendum venio consilio adductus, non insita ingenio luxuria coactus. At tu opinor accepto munere siluisti, consumpto vociferatus es; dicis autem, non cum tibi videatur neque ea quæ velis, sed cum ii qui operam tuam mercantur imperarint: neque ea te pudet arroganter decantare, quæ paulo post a te conficta esse arguentur.

78. Namque in judicium deducta est hæc de scito Ctesiphontis actio, quam tu me intendisse dictitas, non quo reipublicæ studerem,

sed quo me Alexandrò venditarem, Philippo etiam tum vivente, priusquam Alexander regnum obtineret, cum tu nondum illud de Pausania somnium videras, nondum cum Minerva et Junone noctu collucutus essem. Quomodo igitur me Alejandro ante tempus venditarem, nisi vero idem somnium ego et Demosthenes viderimus?

79. At in eo me criminari, quod non continenter sed interjecto tempore ad populum accedam, idque nos latere arbitraris, istam te sententiam non ex populari imperio, sed alia quadam reipublicæ forma traduxisse. Namque ubi obtinet paucorum dominatus, non is qui vult, sed qui dominatur, accusat; in civitatibus vero liberis, qui vult et quandocumque ei videtur. Et vero cum aliqua temporis intermissione dicere virum indicat, qui cum tempora postulant et utilitas communis, ad rempublicam accedit; ne unum vero diem interponere, operarii est et quæstum aucupantis.

80. Quod autem nondum a me in judicium fueris adductus, nondum tuorum facinorum pœnas dederis, ad has rationes cum confugeris, vel auditores oblivious esse existimas vel ipse tibi illudis. Quæ enim in Amphissensi negotio impie commisisti, quæ in rebus Euboicis quæstus causa fecisti, quoniam tempora jam effluxerunt quibus a me manifesto convictus es, eorum nunc fortasse populum oblitum esse speras: rapinas vero tuas in triremium et trierarchorum negotio, quod unquam tempus obscurare queat, cum tu lege de trecentis navibus lata, perpulsoque populo ut te rei nauticæ curatorem præficeret, a me coram convictus es sexaginta quinque naves actuarias trierarchis ademisse, quo facto majorem civitati nostræ classem subripuisti, quam quæ suppeteret cum Athenienses navalii apud Naxum prælio Lacedæmonios Pollimque devicerunt?

81. Ita vero criminationibus pœnas tibi debitas obsepsisti, ut periculum sit non tibi qui injusta feceris sed iis qui te judicio persequuntur, dum tu Alexandrum et Philippum inter calumniandum assidue in ore habes, dum certos homines reipublicæ opportunitates impedire insimulas, dum res quidem præsentes semper labefactas, deque futuris mirifice polliceris. Non denique, cum diem ego jam tibi dicturus essem, *subdole* effecisti ut Anaxinus Orta comprehendenderetur, qui Olympiadi merces coemebat, atque ipsum illum virum discruciatum decreto tuapte manu conscripto capitis damnasti, apud quem in Oreo diversabare, quocum ex eadem mensa ederas, biberas, libaveras, cuius dextræ dextram junxeras, cum quo amicitiam hospitiumque iniveras. Hunc, *inquam*, occidisti, et, cum a me coram universo populo sceleris hujus convictus essem atque hospitis occisor nominatus, impium facinus non negasti, sed illud respondisti, ad quod et populus, et quicunque advenæ concionem circumsistebant, clamorem sustulerunt: dixisti quippe, te reipublicæ salem hospitali mensæ prætulisse.

82. Jam falsas epistolas prætermitto, speculatorum comprehensions, tormenta adhibita ob crimina nunquam admissa, quasi ego cum quibusdam hominibus in civitate rebus novis studerem. At enim, ut audio, ex me porro quæsiturus est, qualis ille medicus habendus sit, qui ægro interea dum ægrotet nihil det consilii, postquam vero obierit, ad inferias accedens mortui necessariis ea commemoret, quæ si ager observasset convaluisset. Te ipsum vero non contra rogas, qualis ille reipublicæ administrator sit, qui populum blanditiis delinire sciat; tempora, quibus civitas conservari poterat, vendiderit; cives rite sentientes calumniando ne consilia communicent deterreat; qui, cum periculis timide se subtraxerit remque publicam insanabilibus ærumnis implicarit, se virtutis ergo corandonandum esse contendat, cum nihil unquam boni fecerit, omnium vero calamitatum auctor unus exstiterit; qui nunc eos interroget qui illis temporibus, quibus civitas servari poterat, a rep. administranda calumniis depulsi sunt, cur sibi quo minus delinqueret non obstiterint? Illi quidem nunc denique tibi ita respondeant, cum prælium supervenisset, otium nobis non erat de tuo suppicio cogitandi, sed de salute civitatis legatis huc illuc missis agebamus: verum enimvero quando tibi non satis erat pœnas non dedisse, nisi etiam et præmia posceres civitatemque nostram Græcis omnibus deridendam objiceres, tum denique tibi obviam ivi litemque intendi.

83. Cæterum, per deos immortales, eorum omnium quæ dicturum esse Demosthenem audio, hoc quod jam vobis dicam indignissime fero. Ingenium meum cum Sirenibus comparat, si diis placet. Ab illis enim non tam permulcentur inquit auditores, quam ad perniciem adiguntur [quocirca male audit Sirenum harmonia]. Ita meam in dicendo peritiam, meum ingenium, iis qui audiunt semper esse exitiosum. Atqui cum hanc de me orationem neminem omnino decere putem; turpe enim accusatori est, si criminaciones suas re nequeat comprobare: tum sicui illud dicendum fuisset, non ea Demosthenis oratio erat, sed imperatoris alicujus qui res quidem præclaras pro republica gesserit, dicendi autem facultate deseratur, qui que ideo adversario ingenium suum miratus invidenter, cum intellegat se nihil eorum quæ patraverit oratione explicare posse, accusatorem contra videat etiam ea quæ nunquam gesserit perinde auditoribus in conspectu ponere, quasi a se revera essent perfecta. Nunc vero cum homo totus ex vocabulis conflatus, iisque amaris et inaniter exquisitis, tandem ad orationis simplicitatem et facta confugit, quis æquo animo ferat? cui si quis linguaū, ut tibiis, demserit, reliquum nihil erit.

84. Ego equidem vos demiror, Athenienses, et scire velim, quibus demum rebus permoti actionem hanc sententiis vestris improbaretis. An quod scitum legitimum est? At nulla unquam sententia legibus

magis adversa fuit. An quod is qui scitum fecit non dignus est suppicio? Ergo nullæ sunt apud vos rationum vitæ referendarum leges, si hunc absolveritis. Illud vero nonne ingemiscendum, si quidem olim aureis coronis, quibus populus a Græcis donabatur, referta erat orchestra, eo quod dies hic hospitalibus coronis constitutus erat: nunc ex Demosthenis in rep. administranda institutis vos neque coronis neque præconiis donati sitis, iste autem prædicatione sit ornandus? Atqui si quis ex poetis tragicis, qui paulo post *histriones in scenam* producturi sunt, faceret in tragœdia Ther-sitem a Græcis coronari, nemo vestrum ferret, quoniam dicit eum Homerus ignavum et sycophantam fuisse: vos autem cum istiusmodi homini coronam imponetis, non putatis vos Græcorum omnium judiciis exsibilatum iri? Majores enim vestri, si quid rebus suis splendidum ac præclarum inesset, id populo adscribebant; si quid abjectum atque infimum, in malos oratores conferebant: at Ctesiphon arbitratur, quam Demostheni detraxeritis ignominiam, populo vos circumjicere oportere.

85. Enimvero dicitis vos fortunatos esse, quemadmodum estis et merito quidem, decreto autem confirmabis vos a fortuna derelictos, a Demosthene beneficiis esse affectos, et quod est omnium absurdissimum, in iisdem judiciis eos qui repetundarum sunt damnati infamia notatis, huic quem ipsi scitis mercede remp. administrasse coronam imponetis: ludorum ctiam Dionysiacorum judices, si iniquam de choris cyclicis sententiam tulerint, mulctatis, iidem autem vos, non chororum cyclicorum judices constituti sed legum virtutisque civilis, præmia non secundum leges neque paucis ac dignis, sed ei qui hæc ambiendo assecutus sit, largiemini. Ergo ex judicio discedit talis judex, suis quidem opibus diminutis, oratoris autem auctis et confirmatis. Vir enim privatus in civitate libera lege et calculo suo rex est: cum vero hæc alteri concesserit, suum ipse principatum dissipavit. Deinde jurisjurandi quidem religio, qua obstrictus judicat, assidue ipsum comitans afflictat; ex illius scilicet violatione crimen natum est: gratia vero ei, cui beneficium facere studebat, non innotescit; nam calculus secreto redditur.

86. Videmur autem, Athenienses, simul et fortunati esse et de republica periclitari pari imprudentia. Nam quod his temporibus liberæ civitatis firmamenta multi paucis projicitis, non laudo: quod autem inde non increbuit in nos seges oratorum improborum simul et petulantium, *eo nomine* fortunati sumus. Talia enim ingenia tulit quondam respublica, quæ populum adeo facile perdiderunt. Gaudebat quippe assentationibus; ita illum non ii quos metuebat, sed ii quorum fidei se commiserat, everterunt. Quorum quidem nonnulli etiam ipsi in triginta tyrannorum numero fuerunt, qui plus quam mille et quingentos cives indicta causa necaverunt, ne criminibus quidem

auditis ob quæ erant morituri, neque ad mortuorum tumulos, ad cadaver efferendum, cognatis conveniendi copiam fecerunt. Ergo eos qui remp. administrant in potestate vestra non continebitis? Non eos qui nunc elati insolentia sunt submissos ablegabitis? Non meministis, nunquam quemquam prius se ad libertatem populi diluendam accinxisse, quam judiciorum auctoritate major evaserit?

87. Libenter equidem, Athenienses, rationem coram vobis inire velim cum isto qui decretum scripsit, quænam propter beneficia Demosthenem censeat corona esse donandum. Nam si dicas, unde auspicatus es decretum, propterea quod fossas mœnibus obductas pulcre descripserit, demiror te. Nam in causa fuisse cur istæ *necessariæ* sint culpam habet graviorem, quam quæ pulca earundem descriptione *eluatur*: non enim, quod muros ovallarit, quod publica sepulcra diruerit, fidum oportet reipublicæ administratorem præmia postulare, sed quod bonum aliquod civitati compararit. Quod si venies ad secundam decreti partem, in qua scribere ausus es, virum bonum esse eum atque ea constanter et dicere et facere quæ maxime sint e re populi Atheniensis, demptis ex decreto arrogantia ac jactatione verborum ad facta redi, ostende nobis quid sit quod dicas. Quæstus enim sordidos, quos in rebus Amphissanis atque Euboicis fecit, prætermitto: cum vero societatis cum Thebanis factæ causas Demostheni adscribis, rei quidem ignaros decipis, eos vero qui sciunt atque sentiunt contumelia affici. Nam dissimulato tempore sublataque horum amplitudine, propter quæ hæc societas facta est, illud nos latere arbitraris, te reipublicæ dignitatem Demostheni affinxisse.

88. Quanta autem hæc sit arrogantia, magno vos argumento con-nabor edocere. Persarum enim rex, non multo ante quam Alexander in Asiam trajecisset, misit ad populum contumeliosam admodum et barbaram epistolam, in qua cum multa alia dixerit a liberali disciplina alienissima, tum illud etiam sub fine scripsit: ego inquit vobis aurum non dabo; nolite a me petere, non enim accipietis. Idem tamen ille periculis in quibus etiam nunc versatur circumventus, populo Athenensi non petenti trecenta talenta ipse ultro misit, quæ is prudens non accepit. Quod autem aurum illud *robis* pertulit, tempus fuit, metus, sociorum indigentia. Eadem porro ipsa et Thebanorum societatem effecerunt. Tu vero Thebanorum nomen et infelicissimam illam societatem semper in ore habens nos obtundis, septuaginta autem talenta retices, quæ ex auro regio præcepta avertisti. Nonne ob inopiam pecuniarum, cum quinque duntaxat talentis *opus fuit*, externi milites arcem Thebanis non tradiderunt? Nonne propter novem talenta argenti, cum Ar-acades omnes in expeditionem egredierentur ducesque eorum ad opem ferendam essent parati, res confecta non est? At tu dives es

habesque unde voluptatibus tuis sumptum suggestas, et ut in summa dicam, aurum regium apud istum, pericula penes vos sunt.

89. Operæ vero pretium est, et vecordiam eorum spectare. Nam si Ctesiphon Demosthenem advocare ausus fuerit apud vos verba facturum, is autem conscenso suggestu seipsum laudarit, gravior erit ipsis cladibus, quas perpessi estis, audita ista oratio. Nam cum eos qui revera sunt viri excellentes, quorum multas et præclaras esse res gestas probe scimus, si laudes ipsi suas prædicent, non sustinemus: ubi is homo, qui reipublicæ opprobrium fuit, seipsum laudibus efferre cœperit, quis ea patienter audire poterit? Ab impudenti igitur instituto, si sapis, desistes; causamque tuam, Ctesiphon, ipse defendes. Neque enim hoc scilicet prætextu inniteris, te non esse dicendi peritum. Namque absurdum tibi acciderit, si nuper quidem te legatum ad Cleopatram Philippi filiam populi suffragiis creari passus es, ut cum ea de Alexandri Molossorum regis interitu condoleres, nunc autem te dicendi facultate instructum esse negabis. Mulierem igitur peregrinam lugentem consolari potes, scripto autem abs te mercedis ergo plcbiscito te ipse non defendes?

90. An vero talis est is quem corona donandum decrevisti, ut ab iis in quois beneficia contulit ignoretur, nisi quis se tibi in dicendo adjutorem præbeat? Percontare judices, norintne Chabriam, Iphicratem, Timotheum, et quære ab iis, qua de causa præmia illis tribuerint imaginesque collocarint. Omnes tibi uno ore respondebunt, Chabriæ honorem concessum ob navalem cam ad Naxum pugnam, Iphicrati quod Moram Lacedæmoniorum occiderit, Timotheo propter navigationem illam ad Corcyram liberandam, cæteris itidem, quorum multas quisque res ac præclaras bello confecerat. At Demostheni præmium quamobrem tribuetis, si quis roget? Quod muneribus corruptus, quod timidus sit, quod locum in acie deseruerit. Utrum igitur huic honorem habebitis, an potius et vos ipsos et eos qui pro vobis in prælio occubuerunt ignominia afficietis? quos fingite vos videre indigne ferentes et quiritanes, si iste coronabitur. Acerbum utique illud esset, Athenienses, siquidem ligna, lapides, ferrum, res mutas sensuque carentes, si quem delapsa exanimarint, exterminemus; ejusque, qui sibi necem conciverit, manum quæ hoc commisit separatim sepeliamus: Demosthenem, eum, Athenienses, qui ultimam hanc expeditionem decrevit, qui milites prodidit, honore vos ornabitis. Ergo contumelia afficiuntur mortui, vivi ad desperationem adiguntur, cum vidcant virtuti quidem mortem esse præmium propositum, memoriam autem suam interire.

91. Jam quod est omnium maximum, si a vobis quærant adolescentes, quodnam ad exemplum vitam suam conformare debeant, quid sitis pronuntiatur? Probe enim nostis, non palæstra, non li-

terarum ludis, non musica tantum juvenes erudiri, sed multo etiam magis publicis præconiis. Prædicatur aliquis in theatro, quod corona donatur virtutis ergo ac fortitudinis et benevolentiae, homo vita immodestus atque contaminatus? Adolescens hisce visis corruptitur. Pœnas dedit improbus aliquis et in lenocinio versatus, ut Ctesiphon? Cæteri erudiuntur. Scitumne aliquis honesto atque æquo adversum tulit, inde domum reversus filium instituere aggraditur? At is jure non auscultat; monere enim et præcipere, merito hic obtundere nominatur. Quocirca non solum quasi judicantes, sed quasi omnium oculis observati, ita sententiam fert, ut iis civibus rationem reddere possitis qui nunc quidem non adsunt, sed vos quid judicaveritis interrogabunt. Probe enim nostis, Athenienses, talem visum iri civitatem, qualis est ille de quo fit præconium: atqui turpissimum sit, vos non cum majoribus vestris sed cum Demosthenis ignavia comparari.

92. Quonam igitur modo hujusmodi dedecus evitari possit? Si eos scilicet qui nomina popularia et humanitatis plena præoccupant, moribus autem sunt infidi, caveatis. Benevolentia enim et popularis status nomen in medio posita sunt; verum ea verbis plerumque ante alios occupant, qui factis longissime ab iis distant. Itaque eum oratorem nacti fueritis coronarum externarum et præconiorum apud Græcos faciendorum cupidum, revocare eum jubete verborum probationes præconiorumque, sicut leges jubent, ad vitam laudabilem et mores modestos: cui vero hæc testimonia desunt, ei suas laudes constabilire nolite. Ita enim popularis imperii curam habebitis, vobis jam paulatim de manibus clabentis. Quid enim? non indignum vobis videtur, senatum populumque *nostrum* despici, literas autem ac legationes in privatas domos pervenire, non eas a vulgaribus quidem hominibus missas sed ab iis qui in Asia atque Europa principatum obtinent? Et quibus facinoribus capitale legibus supplicium constitutum est, ea se nonnulli committere non infiantur, sed palam apud populum confitentur, et literas inter se conferunt recitantque, atque alii vos hortantur ut in ora sua, quasi popularis imperii sint custodes, oculos figatis, alii præmia poscunt, tanquam publicæ salutis conservatores: populus autem ob ea quæ acciderunt animo fractus, quasi senio confectus aut delirio captus sit, nomen solum dominationis popularis retinet, res quidem ipsas aliis concessit. Deinde ex concionibus disceditis, non ut qui consultaris, sed veluti ex cœna collatitia fragmentis quæ supersunt distributis. Ut autem non inania me effutire constet, id quod dico ex his considerate.

93. Fuit hic—magno equidem cum dolore miserias civitatis sæpius commemoro—vir quidam privatus, qui ad Samum tantum navigare aggressus, tanquam proditor patriæ eo ipso die a Senatu

Areopagitico morte mulctatus est. Alter item privatus Rhodum navi profectus, quod metum *publicum* non viriliter tulisset, nuper læsæ majestatis postulatus est, et pares calculos habuit: quod si unus duntaxat calculus aliter cecidisset, aut exterminatus esset aut morti addictus. Cum his igitur id quod nunc fit conferamus. Orator quidam malorum omnium *civitati* auctor locum in acie deseruit, ex urbe profugit: is se corona donari postulat et præconis voce prædicari oportere censem. Non vos hominem ut communem Græcorum pestem amandabitis, aut comprehensum, tanquam rerum prædonem verbis *quasi navigio* per rem publicam navigantem, supplicio afficietis? Ac temporis quoque memores sitis, in quo sententiam pronuntiatis. Paucos jam intra dies Pythia futura sunt Græcorumque cogetur conventus; magna hoc ipso tempore invidia laborat civitas nostra propter Demosthenis in rep. gerenda consilia: si igitur hunc corona donabitis, cum iis qui communem pacem violent consentire videbimini, sin aliter feceritis, populum his criminiibus absolvetus.

94. Ne igitur quasi de aliena civitate sed ut de vestra propria consulite, neque honores spargite sed judicio adhibito tribuite; et præmia in melioribus personis virisque magis probatis collocate, neque solum auribus *exquirentes*, sed etiam oculis in vosmet ipsos conversis, dispicite, quinam vestrum Demostheni sint opem laturi? Utrumne qui ipsi in venatu, an qui in certaminibus gymnicis, dum esset adolescens, socii fuerunt? At medius fidius! non in apris silvestribus insectandis, non in corporis valetudine curanda versatus est, sed in machinis adversus locupletium fortunas struendis vitam produxit.

95. Sed vos arrogantiam hominis spectantes, cum dicet se Byzantium legatione e Philippi manibus extorsisse, Acarnanas ad deficiendum concitasse, Thebanis concionibus suis attonitos rapuisse, —vos enim eo jam stultitiae processisse arbitratur, ut etiam hæc credituri sitis, proinde quasi Suadam in urbe vestra non calumniatorem alatis. Cum denique in extrema jam orationis parte sordidum suarum socios sibi accerset, fingite vos intueri hoc ipso in suggestu, quo ego nunc insistens loquor, contra petulantem istorum improbitatem veluti acie instructos viros optime de republica meritos; Solonem qui pulcherrimis legibus popularis dominationis statutum exornavit, virum et sapientiae studio deditum et legum scriptorem præstantem, pudenter, ut ei conveniebat, vos obtestantem ne ullo modo Demosthenis conciones pluris quam sacramenta et leges faciatis; Aristidem qui vectigalia Græcis *communia* descriptis, cuius defuncti filias populus in matrimonium collocavit, contumeliosum justitiae ludibrium stomachanteum, percunctantem porro, an non vos pudeat, cum majores vestri Arthmum Zelitam, quod aurum a

Medis in Græciam deportasset, virum in civitate diversantem, cum populo Atheniensi hospitio conjunctum, tantum non interfecerint, ex urbe autem et ex omni, quod Atheniensium ditione tenetur, solo præconio exterminarint: Demosthenem, qui non aurum a Medis in Græciam deportavit, sed muneribus se corrumpi passus est eaque etiam nunc domi possidet, aurea corona donare. Themistoclem autem eosque qui apud Marathonem et Platæas mortem oppetrerunt, ipsa denique majorum sepulcra non putatis graves gemitus editura, si is, qui cum barbaris adversus Græcos se conspirasse profitetur, corona exornabitur?

96. Ego igitur, o Terra, Sol, Virtus, Intelligentia, Doctrina, qua honesta ab dishonestis discernimus! opem tuli et peroravi. Quod si recte et pro magnitudine criminis accusavi, dixi ut volui: sin deteriorius, ut potui. Vos autem, cum ex iis quæ dicta sunt, tum ex iis quæ silentio prætermissa, ipsi justam reique publicæ utilem sententiam pronuntiate.

ÆSCHINIS
EPISTOLARUM
INTERPRETATIO LATINA.

HIERONYMI WOLFII IN ÆSCHINIS EPISTOLAS ARGUMENTUM.

NOTUM est, Æschinem ob judicii ignominiam, quo accusatum Ctesiphontem, vel Demosthenem potius, reum non peregerat, quinta suffragiorum parte non accepta, cessisse Athenis, ac Rhodum se contulisse. Ubi has epistolas fere omnes scripsit, in quibus partim amicos de itineribus et statu rerum suarum certiores reddit; partim inimicorum insolentiam retundit; partim innocentiam suam apud Athenienses, quos monet, ut temerariis bellis abstineant, defendit, utque ab eis in patriam revocetur, petit.

I. AD PHILOCRATEM.

CUM ex Munychia vesperi solvissemus, circa meridiem, serenissimo Scirone flante, ad Neressum, Ceiorum oppidum, appulimus. Ibi novem dies ob adversum ventum desedimus: post rursus profecti sub auroram, Delum pervenimus. Sed Delii pestilenti quodam morbo laborabant. Nam facies eorum albugine opplebantur, capilli etiam candescebant, collum autem et pectus intumescebat: ceterum nulla febris accedebat, neque etiam dolores magni, neque partes corporis inferiores quicquam mutabantur. Hæc audierant ex Apollinis ira sibi accidisse, quod vir quidam illustris, contra morem veterem, in insula sepultus esset: ea igitur de causa deum sibi morbum immittere putabant. Nos autem, quasi ad gentem aliquam peregrinam, aut in exteri maris insulam, pervenissemus, et subito variuum hominum colorem vidissemus, noctu aufugimus: alias alium inter navigandum sciscitantes, utrum eum colorem et capillum, quem domo quisque attulisset, retineret? Sed tempestas exorta, et ventus impetuosus, nos supra Cretam prope Psamathuntem abstulit. Quem locum cum jam in conspectu haberemus, reflat ventus Libycus. Deinde, cum septentrio nobis spiraret, rursus ferebamur, quinque noctes in mari versati, quibus Athronæ appulimus: ut disceremus non curare, si quis in sua patria, sive secundum, sive contra leges, corona donaretur. Atque inde quatuor diebus in nave quoddam Rhodium pervenimus, ubi in morbum et difficultatem spirandi incidi. Quo in loco dum manebam, cum morbus nihil levatur, Rhodum trajeci, ac placide nos urbs exceptit: statim enim ut eo transieram, multo melius habere cœpi. Atque hæc hactenus habuimus, quæ tibi scriberemus: cetera porro, uti quæque acciderint, significabimus. Felix sis: et caveas velim, ne quem te vel potentiorem vel imbecilliores offendas.

II. AD CTESIPHONTEM.

Scripsit nobis Nicostratus, avunculus noster, te cum sibi non mediocriter insultare, tum mihi exprobrare quam propter te accepi calamitatem. Ego vero miror quid tibi acciderit, ut nobiscum domo egressis, tam multa colloquereris, ut crederem, te nihil eorum quæ dixisses, simulasse, intuens primum calamitatem meam, quam non incredibile putabam inimicis etiam esse miserabilem, deinde vultum tuum tristem, et pene lacrymabundum (itaque necessariorum nostrorum quibusdam mandavi, si qua re egerent, ut te accederent, eosque quidvis impetraturos esse promisi eis, atque ipse etiam saepe ad te scripsi, iis de rebus quas Athenis consequi cupiebam), nunc vero nobis, qui tibi jam impedimento non sumus, qui nec tibi nec cuiquam Atheniensium obturbamus, insultas, nulla vel fortunæ vel ullius humanitatis habita ratione, atque post victoriam certamen renovas contra nos, qui et patria excidimus et dignitate privati sumus, et civitate et civibus et amicis. Ac quæ in me absentem convicia dicis, ea probabile est tibi quidem aliquid et invidiæ et odii paritura (non secus ac si mortuum aliquem insectareris) in urbe adeo leni et humana: ego vero propterea nihilo deterior existimabor, qui absens a te male audiam. Calamitosior quidem et miserabilior haberí queam: ut, qui olim nihilo vobis inferior fuerim, nunc autem nullam pro me vocem edere, ac ne audire quidem possim convicia. Jam senem moderatum exagitare, qui nullam ultiōnis spem habet, ut qui spem omnem in vobis ipsis adhuc habeat, qui eum ne ipsi quidem amplius conservare possitis, nonne turpe est? Ne feceris, obsecro te; ne feceris Ctesipho, neque si maxime nobis molestus esse studies, neque ullis malis nostris satiatus es, isto piaculo te liberosque tuos obstrinxeris: quos ea spe alis, ut senectutis tuae imbecillitas in eorum praesidio conquiescat. Memento potius, ne Æschinem quidem huc se redactum iri unquam putasse, nec multos alios, qui majorem etiam in sua patria auctoritatem habuerunt, et splendore me ac te superarunt.

III.

Omnes alii qui per injuriam exsulant, aut redditum a civibus precantur, aut frustrati eo, patriæ maledicunt, ut quæ inique secum egerit: ego vero postquam in calamitatem actis in republica meis indignam incidi, et dum alios accuso, ipse sum condemnatus, moleste fero cquidem, uti par est, sed nihil prorsus succenseo. Neque enim adeo væcōrs ego sum, ut, ex qua urbe Themistocles, qui Græciæ libertatem asseruit, pulsus est, atque ubi Miltiades, ob exiguum debitum scnex in carcere mortuus est: ei urbi, Æschines Atrometi

filius exsulans succensendum esse arbitretur, si quid sibi Athenis usitatum acciderit. Imo potius ego hoc jure p̄eclarum duco, me cum illis apud posteros in ignominia esse, et dignum habitum, qui similem cum eis fortunam experirer.

IV.

Posteaquam percontari tibi libet de Cleocrate, quis sit Cleocrates; audi. Desines enim gratis inquirere: neque abibis, priusquam longam audieris narrationem. Nam genere quidem inter omnes Græciæ viros non est obscurissimo: si de Ariphrone, qui est a Demageto oriundus, perconteris, quem magnus etiam extollit Pindarus. Sed vide ne ridiculus fias, si quæras, quis sit Pindarus. Nam id scriptum te arbitror aliquando una tecum apud Mantiam literatorem didicisse: et si nihil jam Mantianæ doctrinæ meministi, in concionibus certe Melanippum subinde dicentem audis, BEATÆ ET CELEBRES GRÆCIÆ PROPUGNACULUM ATHENÆ, atque ad dentem, Pindari esse hoc carmen: ob quod factum a Thebanis mulctatus fuerit: majores autem nostros duplam ei reddidisse mulctam, præterquam quod eum ærea statua ornarint: quæ quidem etiam usque ad nostram ætatem ante regiam porticum fuit: Pindarus cum veste et lyra sedens, diadema gerens, et in genubus complicatum libellum habens. Is igitur Pindarus Demagetum illum celebrat, ad quem refertur Cleocratis genus. Mentionem facit etiam idem Pindarus Diagoriorum, et aniculæ, quam maternum ejus genus attingit. Quod nisi compertum haberem, te poetarum esse contemptorem, et circumforanea ista studia, quæ nos perdiderunt, magis complecti, satis esse putassem, te admonere tantum Diagoriorum, recitatis Pindari versibus: nunc scio nos frustra tibi lyram illam recitatuuros. Itaque necessarium mihi videtur, eam tibi rem narrare. Est enim audire operæ pretium, tametsi nihil ad Cleocratem attineat. Memoriæ proditum est, senem olim mulierem Olympiæ in stadium progressam, et viris adstitisse, et spectasse certamina. Cum autem Græcorum judices eam appellassent, cur ausa esset in stadium progredi? Respondisse: cui vero alteri mulieri deus hanc gloriæ prærogativam dedit? Nam ego et patrem habeo, et tres fratres, qui Olympia vicerunt, et filium ad Olympia duco. Hujus igitur anus, et hujus stirpis germen est Cleocrates: idque ex omnibus potius quam ex ipso cognosces. Ac plura dicere nolo: ne non solum indicare tibi, quod voluisti, quisnam sit Cleocrates, sed et laudationem ejus instituisse, videar, ut Thrasymachus hospitis sui, et hanc ei referre gratiam pro splendido convivio. Illud tantum dico, si anus illa hunc Cleocratem novisset, magis eo fuisse gloriaturam, quam quinque illis Olympiæ victoribus.

V.

Iuliades, quo maxime confisus fuisti, neque quem Rhodum venissemus, affuit, sed Lindi fuit: neque Rhodum reversus, admodum nos humaniter accepit, nisi quod vulgaria ista nunciari jussit, si qua re egeamus. Cleocrates autem quam insigni erga nos usus sit humanitate, ita me deus amet, scribendo satis consequi non possum. Effecit enim, ut ædes mihi publice darentur, et fundus Camiri, atque ipse etiam misit nobis commeatum qui vel in annum sufficiat, non mihi tantum, sed et Teuthranti, et Oplistiæ: qui quidem etsi minus laetus sit quam Atticus, veluti mel et oleum: talis tamen est, ut hoc instructi, illum non requiramus. Vinum autem vestrati multo præstantius, et bellaria confecta ex nuce pinea, farina et aromatibus: de quibus etiam tibi aliquid misi. Hæc nobis misit, et tot frumenti medimnos, unde non me tantum, sed omnes etiam Cothocidas sustentare possim: ac multa etiam alia præterea, quæ scribere pudet, ne minuta quædam consecutari videar. Tametsi enim res peregrinas maximi facere, pusillitatis cuiusdam et inscitiae esse puto: tamen vel tenuissimis humanitatis officiis me devinciri fateor. Suppeditat nobis etiam exoticorum aprorum et caprearum delicias. Præterea et ipse quotidie nobiscum est, suaque nos impertit sapientia, quæ nostram excellit. Nam quæ ego accepto malo didici, ea ille, antequam accipiat malum, sua sapientia præcavet, et non, ut vœcordes, experientia magistra. Neque enim capessit reipublicam. Ac quantum ad Cleocratem attinet, nullam aliam civitatem, homines alios nullos desidero, sed admodum mihi placet mea calamitas, ac vitæ principium videtur Atheniensis reipublicæ effugium. Et hoc statu usque adeo delector, ut (id quod Sophoclem jam senem de alia quadam voluptate dixisse ferunt) efficiat, ut voluptate reipublicæ gerendæ, tanquam rabioso cane, liberatus mihi videar. Unde, cum ratio dominatur, ter quaterque beatum me judico ob hoc exsilium: cum autem vicissim in mentem venit, non tantum amicorum, quos istic habeo, sed et cognatorum, et concionis, et Colytti (quo in loco v. et xxxxx. annos habitavi) et Alesichorii, et colloquiorum, quæ ibi tecum et cum Philino habuimus, sanguis omnis in aliud viscerum locum refluit, ac mihi aliquando et convicia quæ Demosthenes in me dixit, jucundissima videntur, et dicteria, quibus præter Ctesiphontem nemo unquam arrisit. Sed modus esto lacrymarum nostrarum. Tu vero felix sis, neque omnia duntaxat munera publica, sed et Leptinem fugito, quod et nobis infensus est, et alioqui talis ut eum viciisse nihil splendoris, ab eo superatum esse ignominiae plurimum habeat. Atque in primis moneo, ut ejus congressus fugias: sin casu in eum

incideris, atque ille in nos aliquid dixerit, operam dato ut taceas, si potes; et rideas. Verum ille quidem satis graves poenas dat, ut qui et risu et odio omnium dignus habeatur. Tu vero, nisi mare penitus extrimescis, ad nos aliquando venito, factaque nobis tui vindendi copia, domum revertitor.

VI.

Aristo, qui has tibi literas reddit, primus nos Rhodi exceptit. Profectus autem est Athenas ob negotium senis cujusdam affinis sui, pecuniam redacturus a Charmola mensario. Eum igitur humaniter excipias velim. Est autem minime delicatus, et nobis dignus. Cui ceteris etiam in rebus operam navabis: ut intelligat, se hominem excepisse, amicis non plane destitutum, sed Athenis nomen adhuc aliquod, et memoriam Æschinoris extare.

VII. SENATUI POPULOQUE.

Audivi quæ Melanopus apud vos dixerit, vestramque probavi humanitatem: Melanopo autem me non modo reversum ad vos dignam acta ejus vita gratiam relaturum arbitror, sed quamvis patria carens adhuc, tamen ut par sim fortassis, operam dabo. Nam ego, Melanope, secundum leges hac me calamitate esse usum fateor: accidisse mihi tamen hoc leges defendant, atque id agenti, ne quis contra eas corona donaretur. Adversus igitur in gerenda republica casus communes mihi est cum Themistocle, et Aristide, et multis aliis, quorum summus in urbe splendor fuit: illud autem quod jam mater tua tibi præest, qui non ita pridem inter sexviros fuisti, et pater tuus ter in carcerem conjectus est, tu autem bis mille drachmis venundatus, florem ætatis tuæ una cum Timarchi gregalibus adolescentibus prostituisti, hæc tibi non jam esse communia cum Themistocle, et Aristide justo existimo. Sed cum vobis aliquando visum fuerit, denuo coram cum Melanopo agam: nunc autem vobis de benevolentia, quam absenti mihi præstistis, cum obturbaretis, et audire nolletis eos, qui nobis maledicebant, magnam habeo gratiam. Æquius tamen et melius fuerit, me ipsum sinere respondere conviciatoribus, iis decretis, quæ sæpe multis jam decrevistis, qui maxima in vos peccata commiserunt: sin minus, secundo loco vos oratos volo, ut potius maledicos nostros audiatis, quam gratificandi specie conviciatoribus non audiendis, gravioris injuriæ faciatis suspicionem, quam quæ dici verecunde possit.

VIII.

Tu quidem hactenus non provenisti ad nos, sed morbos, et judicia,

et quævis potius causaris, quam non veniendi ad nos voluntatem: Nicias vero pridem venit, et Andronides. Quod si nunc saltem cum Philino (audio enim eum abitatum esse) ad nos proficisci decreveris, fortassis adhuc aliqua tibi defensio relinquetur, bellumque hoc componetur. Sin ne cum illo quidem exire decreveris, tu quidem subinde scribes te venturum, ego vero semel duntaxat moleste feram.

IX.

Cum ad Phycum trajecisset, ac diem illum quievisset, non ex ignavia, sed quod spirandi difficultas ingravescere videbatur, ut noctu id malum remisit, atque ego melius habere cœpi, ad Amnum profectus, fundos inspexi. Ac illi quidem mihi puleri ac varii sunt visi. Nam et olivetum est, et multæ arbores, et vites crebræ, et sata plura, et pascua pulera: domicilium vero nullum, vel mediocre, sed rudera omnia. Excepit nos Mironides valde humaniter. Fundos igitur duobus talentis comparavi. Et nunc tale domicilium molior, quale ego re tenui moliri queam, quique hic habitaturus sum, non, ita me dii ament, æquo animo, civitate mea privatus, præsertim tali, in qua si quis se habitaturum existimaret, minus dolere posset.

X.

Cimo, ut in qualibet urbe et litore nobiscum egerit, nullius necessitudinis, nullius legis habita ratione, cum ad Ilium perveni, spectandæ et terræ et maris causa, quæque ibi viderim, quoniam uberm suppeditare materiam videntur, scribere supersedebo—vereor enim ne poeticis nugis instituendis ineptire videar—, Cimonis autem facinora et immodestiam, non mihi si centum sint linguæ, dicere possim. Nam cum multos Ilii dies versaremur, et spectaculo Pergamorum non satiaremur, mihique in animo esset manere, donec omnes Iliadis versus ad ea contulisset, de quibus illi facti essent: incidit dies, qua plerique periclitantur conjugia filiarum, quas lex et ætas nubere sinit. Fuerunt autem complures nupturæ. Et moris est in Trojana terra, nupturas virgines ad Scamandrum ire, ex eoque lotas, verba hæc tanquam sacrum quiddam recitare: **CAPE MEAM SCAMANDER VIRGINITATEM.** Inter alias igitur virgo quædam nomine Callirhoe, procera, et illustri patre nata, ad fluvium venit lavandi gratia. Nos una cum cognatis nupturarum, et ceteris turbis, eminus festum, et lavaera virginum, quatenus fas nobis externis erat, spectabamus. At bonus iste Cimo se occulit in frutice Scamandri, atque arundinibus coronat: instruxerat autem nimirum de die stratagema illud, atque insidias contra Callirhoen. Cum autem lavaretur, et de more verba illa pronunciaret, ut posterius cognovi, **CAPE MEAM SCAMANDER VIRGINITATEM**, prosiliens e fruticibus Scamander Cimo, libenter, inquit, accipio, et sumo Cal-

lirhoen Scamander : et multa in te conferam beneficia. Hæc cum diceret, simulque abripuissest puellam, se occultat : non tamen res etiam occultatur. Sed cum quatriduo post pompa esset Veneris, et recens nuptæ ei pompæ intressent, nos quoque illam spectabamus. Sponsa autem Cimonem conspicata, ut nullius mali sibi concium, una mecum spectantem, honorem ei præbuit : et nutricem intuita, vides, inquit, mea nutrix, Scamandrum, cui virginitatem dedi. Quo illa audito exclamat : itaque facinus divulgaritur. Ut vero domum ingredior, prehendo Cimonem, et ita cum coago, uti par est, vocans nefarium, et dicens per eum periisse nos. Is vero nihil ea re perterritus, neque verecundatus ob ea quæ fecerat, fabulas narrare cœpit prolixas, undique eos connumerans, qui cruciatu digna commiserant. Nam et in Magnesia idem circa Mæandrum fluvium aiebat esse factum a quodam indigena adolescente. Ex quo etiam hodie Attalum pugilem pater, inquit, non suum, sed Mæandri esse filium, persuasum habet : eaque de causa illum adeo carnoso' et robusto esse corpore. Cum vero multis acceptis plagis, viribus destitutus abit, fluvium ei indignatum ait, quod eum patrem non proclamasset. Cum igitur succumbit, non ei deest excusatio. Et circa Epidamnum rursus eodem modo Carionem aiebat Musicum præ stultitia credidisse, puerum ex adultero natum esse filium Herculis. Ego vero, non procreavi puerum, inquit, sed collocutus semel sum cum puella jam exoleta, lavantem cum una anicula conspicatus. Præterea mihi videtur, inquit, ut res Ilienses prorsus terribiles et tragicæ sunt, nobis etiam aliquid esse perferendum, et, tanquam, in Comœdiis, circa Scamandrum patrandum aliquid. Tum ego nihil aliud nisi, quo tandem evaderet tanta impudentia exspectans, lapis pene factus sum, adeo mihi res incredibilis videbatur. Ille vero tertium etiam Apollinis et Bacchi adulterium tentatus erat scilicet, donec ego vidi turbam ad januam accedentem. Tum, hoc illud est, inquam, combustum nos adveniunt, et statim per posticum ad Melanippidem confugi, inde vesperi ad mare prorsum versum, deinde ad hospitium eo vento appulimus, quem nemo navigans toleret, nisi qui Cimonium piaculum fugiat. Talia cum perpessus sim, ea tibi scribenda esse duxi, ut qui gravius etiam quam ego ipse latus esses : tu vero, ut arbitror, affatim ridebis.

XI. SENATUI POPULOQUE ATHENIENSI.

Aliis de rebus quibusvis, prius etiam, ad vos mihi scribendum esse putabam—neque enim id quoque, ei, cui vestram rempublicam calamitas ademisset, eruptum arbitrabar—, sed dare consilia, et negotiis alienis implicari, non parvæ incontinentiæ mihi esse videbatur in eo, qui administratæ reipublicæ tam graves dedisset pœnas, nisi cum

et res postularet, et vos peteretis. Alioqui ne familiarium quidem aliquibus facile esse suadere existimabam, nedum civitati: et vobis esse alios qui reipublicæ dicendo agendoque consulere possent. Reliqui enim non paucos. Sed quia eorum alii obierunt, multi simili mecum calamitate sunt conflictati, et respublica eorum a quibus gubernetur penuria laborat,—audio autem quosdam per literas turbare statum civitatis,—, jam non recuso, ea quæ mihi e republica esse videntur qua sola ratione licet, per literas explicare, quod si me nunc etiam facere cum Macedonibus dicunt, et falsæ legationis, aut Græciæ proditæ etiam absentem aliqui accusant, paratus sum ultra et Rhodum et universam Græciam fugere, si volent, et ad Persarum et Medorum regem proficiscar. Etsi me stare a Persis et Medis nemo unquam dixit, et omnium minime Demosthenes. Sed ne ibi quidem ea scribere desistam, quæ urbi profutura videbuntur, non gratificaturus vobis, ut alii quidem, sed libere monitus. Scendum enim est, eos magistratus, qui magis objurgare vos, quam gratiam vestram aucupari videri volunt, maxime ad gratiam loqui, delecta ea assentandi via, quæ sub velamento libertatis delitescat —nam hæc est gratificandi civibus et ducibus via multo malitiosior—, quam ingressi quidam Athenis, me et adhuc apud vos superstite, sic enim mihi dicendum est, et nunc, quantum in vobis est, mortuo, vestram culpant ignaviam, ut qui nolitis imperare Græciæ, et ad principatum adhortantur, ut quem obtinere possitis. Vos vero malle debetis cum opinione ignaviæ videri Græcis imperare posse, quam, retenta vestra alacritate, viribus destitui. Audio enim, Alxandro defuncto, quosdam exhortari vos ad rerum novarum studium: ego vero ea me vobis suadere velle, quæ in posterum prodessent. Neque enim ignorabam, testor Jovem optimum maximum, ceterosque deos, magnificum esse, barbaros perpetuo oppugnare, et Græcos in libertatem vindicare, et hoc patrum etiam nostrorum fuisse institutum: verum, ut optima quæque velitis, id in vestris animis esse situm, ut autem exsequi etiam possitis, secunda etiam fortuna vobis esse opus. Existimabam igitur, vos quoque meminisse oportere, nos, etsi ad Athenienses scribamus, ad eos tamen scribere Athenienses, non apud quos rempublicam Themistocles administravit, sed ad eos, qui, cum animis nihilo sint illis inferiores, non easdem habent ad gerenda bella facultates. Nam qui Græcia digna scribunt: danto vobis trecentas triremes: danto triginta millia talentum argenti, et auri puri puti tria millia: danto virorum ætate et robore florentium tantum multitudinem, in armis jam exercitatorum: et suadere desinunto—ipsi enim sciemus quid sit agendum, ubi ea quæ probata nobis fuerint, exsequi poterimus—, neque nugas agunto, frustra laudandis majoribus nostris, et regione, illos in ea et pro ea fuisse natos, etiam Deos in ea esse ortos. Rogate

eos, quid in Chæronensi pugna urbi Atheniensium profuerit, quod Mars suam causam cum Neptuno in Areopago disceptarit? Enimvero illud considerandum est, an ad prælio decertandum cum Antipatro, aut quovis alio Macedonum rege, justas vires habeamus. Quod si erit, diis approbantibus, sumptis armis, Græcos in libertatem asseramus. Sin hoc quidem neglexerimus, assentationibus autem inducti, superati fuerimus, qui fieri poterit, ut in calamitatem non incidamus; præterquam quod nosmetipsi in mala conjectisse videbimus, quæ sola res in miseriis nullam consolationem habet? Est autem et reipublicæ et viri sapientis officium, de statu rerum pro ratione horum temporum deliberare: audaciam vero, ad res quas gerendas suscipias, ex veteri potentia concipere, qua olim magna præditus fueris, id perinde esse videtur, ac si quis sæpe Olympiæ victor, post ubi consenserit, adhuc nomen suum profiteatur, et scribas evocet, eosque roboris, non quod jam habet, sed quod olim habuit, commonefaciat. Est etiam consideratu dignum, cuiusmodi ea sint, quæ ab eis dici audio, quam nova et mirabilia: dum nos concordes esse jubent, tanquam id magnum rebus gerendis afferat adjumentum. Quasi vero vos ignoretis, id quidem cuivis urbi sive bellum gerenti, sive pacem agenti, esse optimum, illud autem nobis spectandum esse, non an bellum suscepturis concordia sit ineunda—nam concordes esse nos, sive bellum gerentes, sive quiescentes, omnibus de causis oportet—, sed an justas vires habeamus, si et bellum gerere et concordes esse voluerimus, ut scimus omnes. Quoad autem non ostenderint, nec quos bellum gesturi exercitus habituri simus, nec quam pecuniæ copiam, sed Minervam belli vadem nobis dederint, statim eos nihil ab insanis differre existimabimus. Ac illum quidem, ut merrebatur, homo nimirum mentis errore affectus, jure repudiastis: isti autem contenti esse debent, si nihil mali patientur, dum absurdas excogitant orationes, et ne reliquias quidem ulla vobis superesse sinunt, sed has etiam iis invident, qui fungi officio cupiunt; donec Thebanorum exemplo republica administrata, regionem nostram in ovium pascua converti, urbem everti coegerint. Nec enim eo quod res male se habent, providendum non est, ne deteriores etiam fiant.

XII. SENATUI POPULOQUE ATHENIENSI.

Ego ad rempublicam accessi, annos tres et triginta natus, cum mehercule non tertias actitare partes didicissem, ut Demosthenes dicebat, sed illud comperietis, me et scribendi liberaliter, et medicris doctrinæ, et ejusmodi orationum rationem habuisse, quas haberi Athenis deceret. Atque eas non ad calumniam contulisse, neque ulli civium, accepta pecunia, periculum creasse, neque etiam contumelias vendidisse, sed prorsus contumeliis non affectum fuisse, ne-

que causam contumeliæ mihi faciendæ ulli suppeditasse, ac ne in judicium quidem ullum civem adduxisse, extra solum Timarchum. Neque jacto apud vos, me, cum permultas apud vos pecunias accipere potuissem, non accepisse: sed, ut conveniebat, pœnas legibus sumpsisse. Post etiam Ctesiphontem, multa ab eo perpessus, multa item a Demosthene, violatarum legum reum feci, justissimo, o Dii immortales, judicio. Neque vero mirum est, Demosthenis eloquentiam et legibus vestris et verbis meis fuisse superiorem. Illud autem, non exiguum fortassis apud vos argumentum exstitit bene gestæ a me reipublicæ, quod, ne Demosthene quidem accusante, illorum criminum, quorum ille me reum fecerat—cum quidem iis ob quæ nunc exsulo longe graviora essent—, fuerim condemnatus. Post hanc autem calamitatem, me penitus non vobis duntaxat, sed omnibus etiam Græcis notum esse factum opinor. Quis enim nescit, homines ut mortuos, ita etiam patria exsulantes, qui, et quibus moribus fuerint, maxime cognosci? Nam et quæ prius ipsi contegebant, ea illis e medio sublatis perspicue cernuntur; et omnes inimici multo magis eos criminantur, cum jam se defendere non possunt. Qui autem ob id crimen exsulanter, quasi hostium commodis perpetuo studuerint, omnino et mores et consilia in gerenda republika sua evidenter demonstrant. Neque enim quo pacto calamitates ferant, et ut erga patriam sint affecti, ulla ratione celare possunt. Nunquid ergo, ut qui patriam meam Philippo prodiderim, et in reipublicæ fraudem mala fide legationem obierim, quippe Macedonum cultor, ut primum a vobis ejectus abii, ad Alexandrum me contuli, ut et gratia pro meritis ab eo mihi referretur, et rationibus meis consuleretur? Neque vero non videbam, Deniadem cauponas Bœotias tencre, et fundos xx. boum jugis arare, et aureas habere phialas, Hegemonem autem et Callimedontem, alterum Pellæ, alterum Berrhœæ, cum munera accepisse, tum matronas honestissimas uxores duxisse. Neque etiam a vobis ad Thebanos aut in Thessaliam abiī, aut ad alios quosdam, apud quos mihi convicia in patriam aut dicenda, aut ab aliis audienda essent, sed Rhodum sum profectus, in hominum urbem, qui nec vobis inimici sunt, nec inimicitarum appetentes. Nam proxime patriam consistere mihi videbatur eorum esse, qui calamitatem quasi eluderent magis quam æquo animo ferrent: cum quam longissime ab ea multo magis discedendum fuerit, neque ullum in oculis habendum monumentum, quod animum cruciaret. Ac ne Rhodi quidem mansi: sed delegi Stereæ parvum quoddam castellum Ammon, ibique emi prædia tot talentis, duobus videlicet, quot emi ab eo consentaneum erat, qui olim Philippi, post Alexandri mercenarius fuerat, quique Macedonibus et Phocenses, et Græcorum prodiderat libertatem. Hic sedeo cum septem famulis, et duobus duntaxat sodalibus; et matre, quæ anno ætatis tertio et

septuagesimo navigavit mecum, particeps futura inflictæ mihi per vos calamitatis; et cum uxore, quæ una mecum ex urbe excessit, prohibente eam patre, et legibus fortasse manere cogentibus, magis gnara morum civitatis, quam legum; et cum tribus liberis, qui ne nunc quidem suam calamitatem intelligunt, nec qualem sibi na-scentibus patriam dii dederint Atheniensium civitatem, et quali, statim ut nati fuerant, sint urbe privati. Ac alii quidem, ut video, suos liberos vel in Bœotia vel in Ætolia natos ad vos mittunt, ut vestra disciplina erudiantur: quibus vero hæc a natura tributa fuerant, cum patris essent, non populi beneficio in urbem adscripti, aut ob turpia facinora condemnati, hi exsulant adhuc infantes, et in pau-pertate educantur, in solitudine et exsilio paterno. Ac de Lycurgi liberis ad vos scribit Demosthenes, et recte facit, qui paternum eis debitum condonari petat, et vos nihil aliud egistis nisi quod Athe-nienses decebat, ac miserti eorum condonastis—vestri enim moris est, facile et irasci et redire in gratiam—: ego vero a vobis impe-trare non potero, si pro meis orem, non modo ne in orbitate alantur, sed ne simul et orbi sint et exsules, cum nihil peccarint, quippe pueri, neque alia ratione sint condemnati, et perpessi tamen omnia quæ condemnatis usu veniunt. Tandem recordamini mei, Athe-nienses, et precibus meis benigne locum date, nunc nostri rationem habentes. Agite ergo, Athenienses, concedite ea, quæ vestri moris sunt, et moderatione utimini. Neque a vestris moribus recedetis, neque gloriam vestram destruetis, quam bonitatis et humanitatis no-mine, majorem quam ceteræ urbes omnes, estis consecuti, neque plus valeat Melanopus, qui vobis obstat, quo minus vestram boni-tatem et humanitatem imitemini, quam qui vos adhortatur, et is quidem non Æschines—nequaquam medius fidius, neque enim ego satis aut virium aut facundiæ habeo, ad persuadendum patriæ meæ, præsertim cum nunc meam causam agere videar—, sed civitatis mos, et antiquum vestrum nomen, et majorum consuetudo. Quæ pluris facienda est scilicet, quam Melanopus, qui ea flagitat quæ vobis sunt indecora.

ÆSCHINIS ORATORIS

OPERUM

INTERPRETATIONIS LATINE

FINIS.









